ſſ.1.241

241

Digitized by Google

Digitized by Google

CRITICE APOLOGETICA
VETERUM ECCLESIÆ PATRUM

ADVERSUS HÆRETICOS

JOANNEM DALLÆUM, ET JOANNEM CLERICUM,

ALIOSQUE NOVATORES


DISSERTATIONIBUS ADORNATA

A PATRE MAGISTRO

PETRO THOMA SANTABARBARA

CARMELITA.

Diſſertatio VII. De innerranti Patrum Traditione.



BONONIÆ,

Typis Ferdinandi Piſarri. 1768. *Superiorum permiſſu.*

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX LOCORUM,

QUÆ IN HOC OPERE CONTINENTUR.

DISSERTATIO VII.

DE inerranti Patrum Traditione. pag. 1

§. I. *Traditionis notio, & diviſio explicantur.* pag. 1

§. II. *Traditio Divina, & Apoſtolica ex inerranti Sacrarum Littera-rum, & plerorumque Patrum conſenſu evincitur, atque firma-tur.* pag. 2

§. III. *Ex hiſce argumenta ducuntur, & Hæreticorum reſponſa elimi-nantur.* pag. 14

§. IV. *Dallæi objectio, qua aliquas Traditiones, & Conſuetudines pe-tit, diſſolvitur.* pag. 37

§. V. *Quæ Dallæus ex quibuſdam Veterum aſſertionibus eruit, ea con-futantur.* pag. 45

§. VI. *Varia Dallæi objecta refutantur.* pag. 113

§. VII. OBSERVATIONES.

De levioribus nævis, quos Patribus Dallæus appingit. pag. 120

§. VIII. OBSERVATIONES.

De gravioribus nævis, quos Patribus Dallæus affingit. pag. 179

§. Ultimus. ANIMADVERSIO, IN QUA

Dallæi oppoſitio in eum retorquetur, & Traditionis neceſſitas oſtenditur, ac finis operi imponitur. pag. 300

Appendix, ſive Diſſertatio de Platoniſmo circa Verbum Dei antiquis Pa-tribus falſo adſicto. pag. 304

NOS

NOS FR. JOACHIM MARIA PONTALTI,

Sacræ Theologiæ Magiſter & Doctor, humilis Prior Generalis, nec non Commiſſarius, ac Viſitator Apoſtolicus totius Ordinis Fratrum Beatiſſimæ ſemperque Virginis Genitricis Dei Mariæ de Monte Carmelo, Antiquæ Obſervantiæ Regularis.

Opus, cui titulus eſt = *Critice Apologetica Veterum Eccleſiæ Patrum adverſus Hæreticos Joannem Dallæum, & Joannem Clericum, alioſque Novatores, Diſſertationibus adornata* a Reverendo Patre Magiſtro Petro Thoma Santabarbara Definitore Perpetuo noſtræ Provinciæ Romandiolæ atque Piceni, viſum de mandato noſtro, & approbatum a duobus Ordinis noſtri Theologis, typis mandari, ſi iis, ad quos ſpectat, videbitur, præſentium tenore licentiam impertimur. In quorum fidem &c. Datum in Conventu noſtro S. Mariæ Tranſpontinæ de Urbe die 15. Menſis Martii 1758.

Fr. Joachim Maria Pontalti Prior Generalis Carm.

Fr. Joſephus Maria Spinedi Secretarius Reverendiſſimi Patris.

Die 16. Septembris 1767.

Vidit D. Johannes Maria Vidarius Clericus Regularis Sancti Pauli, & in Eccleſia Metropolitana Bononiæ Pœnitentiarius, pro Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino, D. Vincentio Cardinali Malvetio Archiepiſcopo Bononiæ, & S. R. I. Principe.

Videat pro S. Ufficio, & referat Ad. R. D. Aloyſius Mingarelli Canonicus Regul. S. Salvatoris in Univ. Bononienſi publicus Profeſſor.

Juſſu Reverendiſſimi P. Inquiſitoris Generalis legi librum manuſcriptum, cujus titulus eſt: *Critice Apologetica &c.* nihilque inveni quod Fidei Catholicæ conſentaneum non eſſet, aut quod morum ſanctitatem labefactare poſſet. Ita cenſeo ego ſacræ Congregationis Indicis Conſultor, ſacræ Theologiæ Lector Emeritus, in Bononienſi Univerſitate Publicus Profeſſor, & pro S. officio Bononiæ librorum Cenſor Ordinarius.

Die 22. Septembris 1767.

D. Joannes Aloyſius Mingarelli Canonicus Regularis S. Salvatoris.

Die 23. Septembris 1767.

Attenta ſupradicta atteſtatione = Imprimatur.

F. P. P. Salvatori Inq. Coad. Generalis S. O. Bononiæ.

DIS-

DISSERTATIO VII.

De Inerranti Patrum Traditione.

CUM multæ res, quæ ad Eccleſiæ, & Patrum dogmata pertinent, ſatis in ſuperioribus explicatæ ſint: tum perfacilis, & clara Diſſertatio eſt de Traditione; quę & ad fidelis animi agnitionem pulcherrima eſt, & ad defendendam Chriſtianam religionem neceſſaria: de qua tam conſonæ, tamque inerrantes ſunt plerorumque omnium majorum ſententiæ, ut magno argumento eſſe debeat, duo eſſe Chriſtianæ religionis principia, & ſacras veteris, ac novi Teſtamenti Scripturas, & Traditionem non ſcriptam, de qua modo agemus, conſiderantes, quæ ſit ejus notio, quæ neceſſitas, quæ opportunitas, quæque inerrans Apoſtolorum, & Patrum Doctrina, qua Traditio ipſa nititur, atque monſtratur.

§. I.

Traditionis Notio, & diviſio explicantur.

PRimitus adnotandum cenſeo, Traditionis nomen bifariam ſumi, & late pro documento alteri dato, & ſtricte pro Doctrina, quæ ſcriptis mandata non eſt; qua in ſtrictiori ſignificatione hic accipimus Traditionem, quæ denotat Doctrinam, qua quidem Chriſtus Apoſtolos imbuit, eaque Apoſtoli ipſi, præſertim Petrus, & Paulus, pleroſque ſuos diſcipulos, Eccleſiamque Romanam, ac plures alias Eccleſias ſine ſcripto inſtruxerunt; a quibus complures Catholici Veteres ſuccedentibus ſœculis & certas ſacras Scripturas, & Traditionem non ſcriptam, quæ plura dogmata continet, acceperunt.

Ad hoc principium ejuſdem Traditionis Character, ſive Notio revocatur; quæ ſane eſt plerarumque Orthodoxarum Eccleſiarum, Romanæ videlicet, & reliquarum Eccleſiarum ei adhærentium doctrina; quam iiſdem Eccleſiis Apoſtoli ſolo ſermone, qui ab eorum litteris, & ſcripturis ſacris ſecernitur, tradiderunt; quam traditionem non Apoſtoli quidem, ſed aliquot veteres fere coævi, vel fere ſuppares, & alii iſtis proximi ſcriptis mandarunt; e quibus ipſa traditio eruitur, atque cognoſcitur. Sic Nicænum I. Concilium e pluribus Apoſtolicis Patribus Dei Filium Patri conſubſtantialem eſſe oſtendit, & a majori Eccleſiarum numero Paſchatis Feſtum Die Dominico poſt Lunam decimam quartam Martii celebrandum accepit, atque definiit, teſtibus Conſtantino Magno, Euſebio Cæſarienſi Epiſcopo, & S. Athanaſio antea adlegatis. Hinc quoque S. Auguſtinus id credidit, ac prædicavit, quod multi Sancti Patres in *Chriſti Eccleſia* ſuorum rudimentorum tempore didicerunt, & Chriſti Eccleſiam ſuorum honorum tempore, ut ſæpe præmonuimus, docuerunt. Ac proinde ex veteribus Tra-

ditionis Character eſt Doctrina ſolo Apoſtolorum ſermone Eccleſiæ tradita, qua plures, aut plerique Patres conſentientes ſua opera, e quibus illa capienda eſt, multum ornarunt.

Traditio autem & in Divinam, & in Apoſtolicam primum dividitur; quarum prior eſt illa, quam Apoſtoli a Chriſto acceperunt, eaque imbuerunt Eccleſiam, uti eſt perpetua Mariæ Deiparæ Virginitas, cui Eccleſia Apoſtolica, ac plerique Patres firmiſſimam aſſenſionem adjunxerunt, & fidem. Quæ Traditio Divina, & Apoſtolica appellatur, & ad fidem Catholicam pertinet. Tum autem alia eſt morum Traditio, quæ etiam eſt aliquod Dogma, quo ad rectam morum regulam diriguntur Fideles: exinde alia eſt Traditio pure Apoſtolica, quam ipſi Apoſtoli tantummodo inſtituerunt, ut vel ſemper, vel ad tempus obſervaretur: prioris generis eſt unius quadrageſimæ jejunium ſemper in quoque Anno obſervandum: poſterioris generis ſunt quorumdam legalium obſervationes ad tempus ab Apoſtolis latæ.

Alia præterea eſt Traditio Eccleſiaſtica univerſalis in plerisque Eccleſiis ſemper ſervata, quæ ab Epiſcopis, qui ſtatim poſt Apoſtolos floruerunt, manavit; ut ſunt jejunia certis vel Hebdomadarum, vel anni diebus perpetuo obſervanda. Demum alia eſt alicujus particularis Eccleſiæ Traditio.

Denique Traditio dividitur in neceſſariam, & liberam: prior eſt, quam mutare non licet, ut Paſchatis feſtum poſt Lunam XIV. Martii Die Dominico celebrandum, immutabile traditur. Altera ab Eccleſia mutari potuit & auferri, ut orantis ad orientem converſio.

Ex hiſce porro illud poſtremo colligitur, ea, quæ ad Fidem Catholicam, aut ad aliquod Eccleſiæ præceptum immutabile pertinent, diſtinguenda eſſe ab Eccleſiaſtica Diſciplina: propterea quod Catholica fides, & a Sacris Scripturis, & a Traditione Divina, atque Apoſtolica non ſcripta, quæ immutabiles ſunt, permanavit: & præceptum de Paſchatis Feſto immutabile ab Apoſtolis, atque a Nicæno I. Concilio, latum eſt. Diſciplina autem ab Eccleſia antiquitus temperata fuit, atque mutata.

§. II.

Traditio Divina, & Apoſtolica ex inerranti Sacrarum litterarum, & Plerorumque Patrum conſenſu evincitur, atque firmatur.

PRimum Hæretici Valentiniani a quodam Valentino impoſtore miſerius oborti, atque in varias errantes fictiones, & impias lapſi; Divinę, & Apoſtolicæ Traditioni, quæ ipſorum Hæreſibus oppoſita erat, temere adverſati fuere; quos impoſtores non modo antiqui Hæretici, Ariani, Eunomiani, Neſtoriani, aliique peſtiferi Homines; verum etiam recentes Heterodoxi, Sociniani, Lutherani, & Calviniſtæ amplexi ſunt, atque ſecuti.

Ex his poſterioribus ortus Dallæus, ut Divinam, & Apoſtolicam Traditionem non ſcriptam, quam tamen plerique Veteres ſuis in ſcriptis uniter exhibent, Hæreſi inficiaretur: ipſis Patribus plures errores, quos poſtea auferemus, falsò appinxit; exiisque Traditionem illam colligi non poſ-

poſſe, audacter contendit: contra quem nunc de inerranti plerorumque Patrum ſimul ſumptorum doctrina qua eadem Traditio vincitur, pertractantes, aſſertionem hanc ponimus

Traditio Divina, & Apoſtolica quam quidem Apoſtoli a Chriſto acceperunt, ſed viva voce, non ſcripto Eccleſiam docuerunt, ex inerranti S Pauli Apoſtoli, ac plerorumque Patrum uniter acceptorum conſenſu certiſſima eſſe monſtratur, ac neceſſaria.

In primis itaque in medium proferam S. Paulum Apoſtolum; qui Theſſalonicenſes ad ſtandum in Fide ita adhortatur: „ itaque Fratres, (a) „ ſtate, & tenete Traditiones, quas „ didiciſtis ſive per Sermonem, ſive „ per Epiſtolam noſtram.

S. Ignatius Martyr eodem ſæculo primo, quo Apoſtolus Paulus floruerat, natus; referente Euſebio. „ Eccleſias (b) monebat, imprimis ut „ ſibi a pravis Hæreticorum opinio„ nibus caverent; quæ cum primum „ in lucem tunc emergere cæpiſſent; „ copioſius pullularunt: hortatuſque „ eſt, ut Apoſtolorum Traditioni„ bus tenaciter inhærerent: quas qui„ dem ad certiorem poſteritatis no„ titiam teſtimonio ſuo confirmatas „ ſcriptis mandare neceſſarium du„ xit.

S. Irenæus ſecundi ſeculi initiis ortus, ac S. Paulo Apoſtolo ſuppar, idem Dogma firmavit adverſus Valentinianos hæreticos: qui cum 32. Eones, ſive Divinitates confingerent; ac ſacris litteris victi, ad quandam Traditiones a Valentino fictas confugerent: tum Irenæus perſpectis omnibus Eccleſię Romanæ, & Catholicæ monumentis, nihil eorum, quæ illi fingebant, invenit, ac veram Traditionem, quę viva voce dumtaxat *ab Apoſtolis* prædicata eſt, quæque unum Deum, & plura alia Dogmata exhibet, eidem Eccleſiæ commendatam contra ipſos Heterodoxos ſic protulit: „ Cum enim (c) ex Scripturis argu„ untur, in accuſationem conver„ tuntur, ipſarum Scripturarum, „ quaſi non recte habeant; neque ſint „ ex Auctoritate, & quia variæ ſint „ dictæ, & quia non poſſit ex his „ inveniri veritas ab his, qui ne„ ſciant traditionem: non enim per „ litteras traditam illam, ſed per vi„ vam vocem: ob quam cauſam & „ Paulum dixiſſe, *ſapientiam autem* „ *loquimur inter perfectos: (d) Sapien*„ *tiam autem non mundi hujus*. Et „ hanc ſapientiam unuſquiſque eo„ rum eſſe dicit, quam a ſemetipſo „ & invenerit, Fictionem videlicet, „ ut digne ſecundum eos ſit veritas; „ aliquando quidem in Valentino; „ aliquando autem in Marcione, ali„ quando in Cerintho; poſtea dein„ de in Baſilide fuit.... Cum autem „ ad eam iterum Traditionem, quæ „ eſt ab Apoſtolis, quæ per ſucceſſio„ nes Epiſcoporum in Eccleſiis cu„ ſtoditur, provocamus eos: adver„ ſantur Traditioni, dicentes, ſe non „ ſolum Praſbyteris, ſed etiam A„ poſtolis exiſtentes ſapientiores, ſin„ ceram inveniſſe veritatem.... Ad„ verſus tales certamen nobis eſt, o „ Dilectiſſime, more ſerpentum lu-

A 2 bri-

(a) *S. Paul. Ap. in ep. 2. ad Theſſ. c. 2. v. 14.*
(b) *Euſeb. lib. 3. Hiſt. Eccl. Cap. 30.*
(c) *S. Iren. lib. 3. adv. Hæreſ. c. 2. & ſeq. pag. 174.* (d) *1. Corr. 2.*

„ bricos undiquè effugere conantes. Quapropter undique reſiſtendum eſt illis, ſi quos ex his retuſione confundentes ad converſionem Veritatis adducere poſſimus. Etenim ſi non facile eſt ab errore apprehenſam reſipiſcere animam, ſed non omni modo impoſſibile eſt, errorem aufugere appoſita veritate. Traditionem itaque Apoſtolorum in toto Mundo manifeſtatam, in omni Eccleſia adeſt reſpicere omnibus, qui vera velint videre: & habemus annumerare eos, qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi in Eccleſiis, & ſucceſſores eorum uſque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his deliratur. Etenim ſi recondita Myſteria ſciſſent Apoſtoli, quæ ſeorſim, & latenter ab reliquis perfectos docebant, his vel maxime traderent ea, quibus etiam ipſas Eccleſias committebant. Valde enim perfectos & irreprehenſibiles in omnibus eos volebant eſſe, quos & ſucceſſores relinquebant, ſuum ipſorum locum magiſterii tradentes: quibus emendate agentibus fieret magna utilitas, lapſis autem ſumma calamitas. Sed quoniam valde longum eſt, in hoc tali volumine omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſſiones, maxime, & Antiquiſſimæ & omnibus cognitæ a Glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & conſtitutæ Eccleſiæ, eam, quam habet ab Apoſtolis, Traditionem, & annuntiatam hominibus fidem, per ſucceſſiones Epiſcoporum pervenientem uſque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per ſibi placentia, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam ſententiam, præterquam oportet, colligunt.

Tertullianus ſecundo ſæculo clarus, impium Marcionem, qui quaſdam ſacras Scripturas nefarie mutilaverat, ſic Traditione refutavit: *(a)* „ His opinor conſiliis tot originalia inſtrumenta Chriſti, delere Marcion auſus eſt, ne caro ejus probaretur. Ex qua, oro te, auctoritate? Si Propheta es, prænuntia aliquid. Si Apoſtolus, prædica publice. Si Apoſtolicus, cum Apoſtolis ſenti: Si tandem Chriſtianus es, crede, quod traditum eſt. Si nihil iſtorum es; merito dixerim. Morere. Nam & mortuus es, qui non es Chriſtianus.... qui cum fuiſſes, excidiſti, reſcindendo, quod retro credidiſti: Non tamen quia credere deſiiſti, recte reſcidiſti: atque in reſcindendo, quod credidiſti, probas; antequam reſcinderes, aliter fuiſſe, quod credidiſti. Aliter illud ita erat traditum. Porrò quod traditum erat: id erat verum, ut ab eis traditum, quorum fuit tradere. Ergo quod erat traditum reſcindens; quod erat verum, reſcidiſti: nullo jure feciſti.

Idem Tertullianus de Hæreticis illis, qui quaſdam Scripturas errore non recipiebant ita diſſeruit: „ Hæreſis *(b)* non recipit quaſdam Scripturas: etſi quas recipit; non recipit „ in-

(a) *Tertul. in lib. de Carne Chriſti cap. 2.*

(b) *Tertul. lib. de Præſcript. Hæret. cap. 17. & ſeq.*

„ integras, additionibus, & detra-
„ ctionibus ad diſpoſitionem inſtitu-
„ ti ſui intervertit: & ſi aliquatenus
„ integras præſtat, nihilominus ad-
„ verſas expoſitiones commentata
„ convertit. Quid promovebis exer-
„ citatiſſime ſcripturarum, cum ſi
„ quid defenderis, negetur: ex di-
„ verſo, ſi quid negaveris, defenda-
„ tur? Et tu quidem nihil perdes,
„ niſi vocem in contentione: Nihil
„ conſequeris, niſi Bilem de Blaſphe-
„ matione.... Ergo (*a*) non ad Scri-
„ pturas provocandum eſt; nec in his
„ conſtituendum certamen, in quibus
„ aut nulla, aut incerta Victoria
„ eſt, aut par incertæ: Nam etſi non
„ ita evaderet collatio Scripturarum,
„ & utramque partem parem ſiſte-
„ ret; ordo rerum deſiderabat illud
„ prius proponi, quod nunc ſolum
„ diſputandum eſt: quibus competat
„ Fides ipſa. Cujus ſint Scripturæ,
„ a quo, & per quos, & quibus ſit
„ tradita Diſciplina, qua fiunt Chri-
„ ſtiani? Ubi enim apparuerit, eſſe
„ veritatem & diſciplinæ, & Fidei
„ Chriſtianæ, illic erit Veritas Scri-
„ pturarum, & expoſitionum, &
„ omnium Traditionum Chriſtiano-
„ rum.... Quid autem prædicave-
„ rint, (*b*) id eſt, quid illis Chriſtus
„ revelaverit, & hic præſcribam, non
„ aliter probari debere, niſi per eaſ-
„ dem Eccleſias, quas ipſi Apoſtoli
„ condiderunt, ipſi eis prædicando
„ tam viva, quod aiunt, voce, quam
„ per Epiſtolas poſtea. Si hæc ita
„ ſunt, conſtat proinde, omnem Do-
„ ctrinam, quæ cum illis Eccleſiis
„ Apoſtolicis Matricibus, & Origi-
„ nalibus Fidei conſpiret; veritati de-
„ putandam; Sine dubio tenentem,
„ quod Eccleſia ab Apoſtolis, Apo-
„ ſtoli a Chriſto, Chriſtus a Deo
„ accepit: omnem vero Doctrinam
„ de Mendacio præjudicandam, quæ
„ ſapiat contra Veritatem Eccleſia-
„ rum, & Apoſtolorum, & Chriſti,
„ & Dei. Supereſt ergo, uti demon-
„ ſtremus, an hæc noſtra Doctrina;
„ cujus regulam ſupra edidimus, de
„ Apoſtolorum Traditione cenſeatur,
„ & ex hoc ipſo, an ceteræ de men-
„ dacio veniant. Communicamus
„ cum Eccleſiis Apoſtolicis, quod
„ nulli Doctrina diverſa. Hoc eſt
„ teſtimonium Veritatis.

Tum idem Scriptor veritatem Catholicam ex multarum Eccleſiarum traditione innoteſcere ſic oſtendit:
„ Age nunc, (*c*) omnes erraverint;
„ deceptus ſit & Apoſtolus de teſti-
„ monio reddendo; nullam reſpexerit
„ Spiritus Sanctus, uti eam in veri-
„ tatem deduceret, ad hoc miſſus a
„ Chriſto, ad hoc poſtulatus a Pa-
„ tre, ut eſſet Doctor Veritatis; Ne-
„ glexerit Officium Dei Villiens Chri-
„ ſti Vicarius, ſinens Eccleſias aſiter
„ interim intelligere, aliter credere,
„ quod ipſe per Apoſtolos prædica-
„ bat: ecquid veriſimile eſt, ut tot,
„ ac tantæ in unam Fidem errave-
„ rint? Nullus inter multos eventus
„ unus eſt. Exitus variaſſe debuerat
„ error Doctrinæ Eccleſiarum: Ce-
„ terum, quod apud multos unum
„ invenitur, non eſt erratum, ſed
„ traditum. Audeat ergo aliquis di-
„ cere, illos erraſſe, qui tradide-
„ runt?

Cle-

(a) *Ibid. cap.* 19. (b) *Ibid. cap.* 21. (c) *Ibid. cap.* 28.

Digitized by Google

Clemens Alexandrinus ſecundo ſæculo illuſtris, de quorumdam ſacrorum Myſteriorum cognitione hæc ſcripſit: „ cognitio (a) autem ipſa eſt,
„ quæ per ſucceſſionem ad paucos ex
„ Apoſtolis abſque ſcriptis tradita
„ pervenit. Hinc ergo cognitio, ſive
„ ſapientia exerceatur oportet ad
„ contemplationis habitum æternum,
„ & in quem non cadat alteratio.

Idem Clemens ſubinde adverſus Hæreticos ait: Fidelis (b) eſſe perdi-
„ dit, qui adverſus Eccleſiaſticam
„ recalc travit traditionem, & in hu-
„ manarum Hæreſeon deſilivit opi-
„ niones... Gloriæ autem tenentur
„ deſiderio, qui ea, quæ ex ſua na-
„ tura conveniunt ſermonibus divini-
„ tus inſpiratis, tradita ab Apoſtolis,
„ & Magiſtris ſua ſponte fallaci ſi-
„ mulatione corrumpunt per alias
„ traditiones, humanis doctrinis re-
„ ſiſtentes Divinæ Traditioni, ut
„ hęreſim conſtituant. Nam inter
„ eos viros, qui tanti erant in Eccle-
„ ſiaſtica cognitione, quid reſtabat
„ dicendum a Marcione V. G., aut
„ Prodico, aut ſimilibus, qui non
„ ſunt ingreſſi recta Via? Neque
„ enim eos, qui præceſſerunt, ſupe-
„ rare potuerunt ſapientia: ut ali-
„ quid adinvenirent iis, quæ ab illis
„ vere dicta ſunt: ſed bene cum eis
„ actum eſſet, ſi ſcire potuiſſent ea,
„ quæ prius ſunt tradita.

Origenes ſub finem ſecundi ſæculi ortus, S. Matthæi Evangelium explicaturus, iſta teſtificatus eſt; „ Si-
„ cut (c) ex Traditione accepi de
„ quatuor Evangeliis, quę ſola in
„ univerſa Dei Eccleſia, quę ſub cæ-
„ lo eſt, extra controverſiam admit-
„ tuntur: Primum ſcilicet Evange-
„ lium ſcriptum eſt a Mattheo, prius
„ quidem Publicano, poſtea verò A-
„ poſtolo... Secundum fuiſſe acce-
„ pimus Evangelium Marci, qui,
„ prout Petrus ipſi expoſuerat, in
„ litteras retulit. Tertium Evange-
„ lium Lucæ, qui a Paulo commen-
„ datur... Poſtremum verò Evange-
„ lium Johannis.

S. Serapion tertio ſeculo clarus quoddam Evangelium Nomine Petri, falſe inſcriptum ſic repulit: „ Nos
„ (d) enim & Petrum, & reliquos
„ Apoſtolos perinde ac Chriſtum ip-
„ ſum ſuſcipimus: ſed quæ nomen
„ illorum falſe inſcriptum præferunt;
„ ea nos utpote gnari, & periti re-
„ pudiamus; quippe qui compertum
„ habeamus ea nos a Majoribus mi-
„ nime accepiſſe.

S. Cyprianus, medio tertio ſæculo inſignis, aquam meram in Calicis Dominici Sacramento non eſſe offerendam, ſed Vinum aqua mixtum ex Traditione ſic vincit: „ Admoni-
„ tos (e) autem nos ſcias, ut in ca-
„ lice offerendo Dominica Traditio
„ ſervetur, neque aliud fiat a nobis;
„ quam quod pro nobis Dominus
„ prior fecerit, ut Calix, qui in
„ commemorationem ejus offertur,
„ mixtus Vino offeratur.

Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus, labente tertio ſæculo natus, de perfectis Chriſti documentis, quæ ab ipſo Apo-

(a) *Clem. Alex. lib. VI. ſtrom.*
(b) *Clem. lib. 7. ſtrom.*
(c) *Orig. Tract. 1. in Mat. pag. 440. T. 3.*
(d) *S. Serap. apud Euſeb. Hiſtor. Eccleſ. lib. VI. Cap. 12.*
(e) *S. Cypr. Epiſt. 63.*

Apoſtoli cęperant, egit hoc modo:
„ Ejus (*a*) vero Diſcipuli ad Magiſtri
„ ſui nutum, auribus multorum do-
„ ctrinam ſuam accomodantes, quæ-
„ cumque quidem veluti ultra habi-
„ tum progreſſis a perfecto ipſorum
„ Magiſtro præcepta fuerant, ea iis,
„ qui capere poterant, tradiderunt,
„ quæcumque verò iis convenire ar-
„ bitrabantur, qui animas adhuc af-
„ fectibus obnoxias gererent, cura-
„ tioniſque indigerent: ea ipſi ad
„ imbecillitatem multorum ſe demit-
„ tentes, partim litteris, partim ſine
„ litteris, quaſi jure quodam non
„ ſcripto, ſervanda commendarunt.

S. Athanaſius eodem ferme tempore ortus, ac ſubinde Alexandrinus Epiſcopus conſtitutus, exagitavit Arianos, qui contra Dei filium quaſdam impias voces a Patribus minime adhibitas excogitarunt, ipſumque Dei Filium & verum Deum, & Patri Conſubſtantialem eſſe, impie inficiati ſunt: contra quos Athanaſius Dei Filium verum Deum, ac Patri Conſubſtantialem ex Veterum Traditione ita probavit: „ Satis (*b*) quidem ſunt,
„ quæ a dilecto, & Comminiſtro No-
„ ſtro Damaſo magnæ Romæ Epiſco-
„ po, & a tot Epiſcopis una cum il-
„ lo coactis ſcripta ſunt de ſana, &
„ Orthodoxa Fide, quam Chriſtus
„ largitus eſt, Apoſtoli prædicarunt,
„ & quam tradidere Patres, qui ex
„ univerſo Orbe noſtro Nicæam con-
„ venerunt.... Filiumque ex ſubſtan-
„ tia Dei eſſe ſcripſerunt... Denum
„ lucidius, & compendioſe ſcripſe-
„ runt, Conſubſtantialem eſſe Patri
„ Filium... Epiſcopi verò nequa-
„ quam Voces illas excogitarunt, ſed
„ Patrum teſtimoniis freti ita ſcri-
„ pſerunt. Siquidem priſci Epiſcopi
„ ante annos prope centum, & tri-
„ ginta tum magnę Romæ, tum
„ etiam noſtrę Urbis Scriptis ſuis
„ eos culparunt, qui Filium factum,
„ & Patri non Conſubſtantialem di-
„ cerent.

Rurſum ipſe Athanaſius Fidei Confeſſionem, quam de Filio Dei Nicæni Patres fecerunt, commendavit hoc pacto: „ Confeſſio (*c*) ipſa
„ credendi adjuncta eſt, ut oſtende-
„ rent, non novam eam eſſe, ſenten-
„ tiam, ſed Apoſtolicam. Et, quæ
„ ipſi ſcripſiſſent, non eſſe ſua inven-
„ ta, ſed Apoſtolorum documenta.

S. Epiphanius quarti ſeculi initiis in lucem editus, Purgatorium, & Orationes, quę pro Defunctis Fidelibus in Eccleſia Catholica fiunt, contra Aerium ſic probat: „ Neceſſa-
„ rio (*d*) facere illud Eccleſiam dico,
„ quę traditum ſibi ritum illum a
„ Majoribus acceperit, poteſt verò
„ quiſquam maternam Sanctionem,
„ aut legem Patris evertere? Que-
„ madmodum a Salomone ſcriptum
„ eſt, *audi Fili ſermones Patris tui,*
„ *& ne repellas leges Matris tuæ:*
„ quibus Patrem, hoc eſt, Unigeni-
„ tum Deum cum Spiritu Sancto de-
„ clarat partim ſcripto, partim ſine
„ ſcripto docuiſſe; Matrem verò no-
„ ſtram Eccleſiam decreta quędam ha-
„ bere penes ſe, quę diſſolvi, everti-
„ que nequeunt, quæ quidem cum in
„ Eccleſia conſtituta ſint, præclara
„ qui-

(a) *Euſeb. lib. 1. demoſtr. Evang. Cap.* 8.
(b) *S. Athan. in Epiſt. ad Afroſ. n. I. V. & VI.*

(c) *S. Athan. in Epiſt. de Syn. Arim. & Sele. &c.*
(d) *S. Epiph. hæreſ. 75. num.* 8.

„ quidem; ac penitus admiranda: ex
„ hoc ipſo Capite Veterator ille con-
„ vincitur.

S. Baſilius Cęſarenſis Epiſcopus,
quarto ſęculo celeberrimus, contra
impios Pneumatomachos, qui Spiri-
tum Sanctum in hymno glorificatio-
nis Patri, Filioque conjungi ęgre fe-
rebant, diſſeruit his verbis: „ Dog-
„ mata, (*a*) & inſtituta, quę in Ec-
„ cleſia prædicantur, quędam habe-
„ mus e doctrina ſcripto prodita,
„ quædam rurſus ex Apoſtolorum
„ traditione in Myſterio, id eſt, in
„ occulto tradita recipimus: quorum
„ utraque parem vim habent ad pie-
„ tatem, nec is quiſquam contradi-
„ cit, quiſquis ſane vel tenuiter ex-
„ pertus eſt, quæ ſint jura Eccleſia-
„ ſtica. Nam ſi conſuetudines, quæ
„ ſcripto proditæ non ſunt, tan-
„ quam haud multum habentes mo-
„ menti, conemur reiicere; impru-
„ dentes graviſſimum Evangelio de-
„ trimentum inferemus, immo po-
„ tius ipſam Fidei prædicationem ad
„ nudum nomen contrahimus ....
„ Sane (*b*) id, quod dicunt glorifi-
„ cationem cum ſpiritu carere teſti-
„ monio, nec in ſcripturis extare,
„ illud dicimus: ſi nihil aliud eſt re-
„ ceptum abſque Scripturis, ne hoc
„ quidem recipiatur: ſin plurima Ar
„ cana citra ſcriptum recepta ſunt
„ nobis, cum aliis pluribus & hoc
„ recipiemus. Arbitror autem, A
„ poſtolicum eſſe etiam non ſcriptis
„ traditionibus inhærere. *Laudo* (*c*)
„ *enim*, inquit, *vos*, *quod omnia mea*
„ *meminiſtis*, *&* *quemadmodum tradi-*
„ *di vobis*, *traditiones tenetis*: & il-
„ lud: *tenete* (*d*) *Traditiones*, *quas ac-*
„ *cepiſtis ſive per Sermonem*, *ſive per*
„ *Epiſtolam*, quarum una eſt & hæc,
„ de qua nunc egimus; quam qui ab
„ initio præſcripſerunt, tradiderunt-
„ que Poſteris, uſu ſemper ſimul
„ cum tempore progrediente, ipſam
„ longa conſuetudine in Eccleſiis ra-
„ dicarunt. Ergo ſi velut in Tribu-
„ nali probationibus e ſcripto deſti-
„ tuti, multos vobis teſtes produca-
„ mus: Nonne ſententiam abſolven-
„ tem a vobis conſequemur? Ego
„ quidem arbitror: *in ore ſiquidem*
„ (*e*) *duorum*, *ac trium Teſtium ſtabit*
„ *omne verbum*.

Præterea S. Baſilius contra Pneu-
matomachorum aliquem hæc dixit:
„ At (*f*) ne ſpiritum Sanctum a Patre,
„ ac Filio ſepares: abſterreat te Do-
„ minica Traditio: Dominus ita do-
„ cuit: Apoſtoli prædicarunt: Patres
„ obſervarunt: Martyres confirma-
„ runt.

S. Gregorius Nyſſenus ipſius Ba-
ſilii Frater ad Fidei Dogmata oſten-
denda ſic utitur Traditione: „ At (*g*)
„ ne mihi aliquis obſtrepat, quod e-
„ tiam, quod a nobis pro confeſſo
„ habetur, rationibus, & argumentis
„ roboretur: ſciat is ſufficere nobis
„ ad noſtri Dogmatis probationem,
„ quod venientem ad nos a Majori-
„ bus Traditionem habemus veluti
„ hæreditatem quamdam per ſucceſ-
„ ſionem ab Apoſtolis, continuatam
„ per ſequentes Sanctos ſeriem tranſ-
„ miſ-

(a) *S. Baſil. in lib. de Spirit. S. cap. 27. & ſeq.*
(b) *Ibid. cap. 29.* (c) *1. Corr. 2.*
(d) *2. Theſs. 2.* (e) *Deut. 17.*
(f) *S. Baſil. Homil. 27. contra Sabellianos, Arium, & Aromæos.* (g) *S. Greg. Nyſſ. lib. 3. contr. Eunom. pag. 170.*

Digitized by Google

„ miſſam. At illi, qui ad Novitatem
„ Fidei dogmata convertunt, multis
„ opus haberent rationum præſidiis, ſi
„ vellent non pulveris inſtar leves, &
„ agitabiles, ſed graves, & animo
„ conſtantes homines ad ſuam ſenten-
„ tiam adducere. Quandiu verò ru
„ dis, nec ratione ulla perpolita, aut
„ argumento probata prodibit ipſo-
„ rum opinio, & quis ita fatuus, ac
„ pecudi ſimilis eſt, ut Evangeliſta-
„ rum, & Apoſtolorum, ac cætero
„ rum, qui in Eccleſiis poſtea florue
„ runt, imbecilliorem putet eſſe au-
„ ctoritatem, quam nugacem iſtam
„ loquacitatem omnis funditus de
„ monſtrationis expertem?

S. Cyrillus Hieroſolymitanus E-
piſcopus & ad Scripturas Sacras le-
gendas, & ad tenendas traditiones ad
hortans; haſce ab illis ita ſecrevit:
„ Cum (*a*) enim non omnes poſſint
„ Scripturas legere, ſed alios quidem
„ imperitia, alios verò occupatio quæ-
„ dam a cognitione impediat; Ne ani-
„ ma per ignorationem intereat, pau-
„ cis Verſiculis univerſum Fidei dog-
„ ma comprehendimus, quod quidem
„ ipſis verbis meminiſſe vos volo, &
„ apud vos ipſos cum omni ſtudio re
„ citare, non chartis mandantes, ſed
„ in corde inſculpentes memoriæ....
„ videte itaque Fratres, & tenete tra-
„ ditiones, quas nunc accipitis, &
„ inſcribite eas in latitudine cordis
„ veſtri.

Rurſus Cyrillus de incruenti Sa-
crificii ritibus tractans, ait: „ eas (*b*)
„ traditiones inviolatas retinete, &
„ inoffenſos voſmet ſervare.

S. Joannes Chryſoſtomus ex al-
latis S. Pauli Apoſtoli verbis id colli-
git: „ Hinc (*c*) eſt perſpicuum, quod
„ non omnia tradiderunt per Epiſto-
„ lam, ſed multa etiam ſine ſcriptis,
„ & ea quoque ſunt fide digna. Qua-
„ mobrem Eccleſiæ quoque Traditio-
„ nem cenſeamus eſſe fide dignam eſt
„ Traditio: Nihil quæras amplius.

S. Hieronymus ab Epiſcopis per
impoſitionem manuum Spiritum San-
ctum Fidelibus tradi ſic vicit: „ E-
„ tiamſi (*d*) Scripturæ auctoritas non
„ ſubeſſet; totius Orbis in hanc par-
„ tem conſenſus inſtar præcepti obti-
„ neret. Nam & alia multa, quæ per
„ Traditionem in Eccleſiis obſervan-
„ tur, auctoritatem ſibi ſcriptæ legis
„ uſurpaverunt.

S. Auguſtinus de conſuetudine
Eccleſiæ redeuntes in gremium ſuum
Hæreticos non rebaptizantis fecit hæc
verba: „ Quam (*e*) conſuetudinem
„ credo ex Apoſtolica traditione ve-
„ nientem; ſicut multa, quæ non in-
„ veniuntur in litteris eorum, neque
„ in conciliis poſteriorum: & tamen
„ quia per univerſam cuſtodiuntur
„ Eccleſiam, nonniſi ab ipſis tradita,
„ & commendata creduntur. Hanc er-
„ go ſaluberrimam Conſuetudinem
„ per Agrippinum prædeceſſorem ſuum
„ dicit Sanctus Cyprianus quaſi cæ-
„ piſſe corrigi: ſed ſicut diligentius
„ inquiſita veritas docuit, quæ poſt
„ magnos dubitationis fluctus ad ple-

B na-

(a) *S. Cyril. Hieroſ. Cath. V. pag. 78. Edit. Tunis.* (b) *S. Cyril. Cath. 23. pag. 332.*

(c) *S. Joan. Chryſ. Homil. IV. in Epiſt. ad Theſſ. Tom. XI.*

(d) *S. Hier. in Dial. cont. Lucif. Cap. IV. T. 2.*

(e) *S. Auguſ. lib. 2. de Bapt. cont. Donatiſt. Cap. 7. Tom. IX.*

Digitized by Google

„ narii concilii confirmationem perducta eſt, verius creditur per Agrippinum corrumpi cœpiſſe, non corrigi.

Deinde parvulis ad ſalutem prodeſſe Sacramentum baptiſmi Auguſtinus ita oſtendit. „ Quod (*a*) traditum tenet univerſitas Eccleſiæ, cum „ Parvuli infantes baptizantur, qui „ certe nondum poſſunt corde credere ad juſtitiam, & ore confiteri ad „ ſalutem, quod latro potuit: quin „ etiam flendo, & vagiendo, cum in „ eis myſterium celebratur, ipſis Myſticis vocibus obſtrepunt; & tamen „ nullus Chriſtianorum dixerit, eos „ inaniter baptizari ... Et ſi quiſquam „ in hac re auctoritatem Divinam „ quærat, quamquam quod univerſa „ tenet Eccleſia, nec conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non„ niſi auctoritate Apoſtolica traditum „ rectiſſime creditur: tamen veraciter „ colligere poſſumus, quid valeat in „ parvulis Baptiſmi Sacramentum ex „ circumciſione carnis, quam prior „ populus accepit.

S. Auguſtinus etiam peccatum originale contra Julianum Pelagianum, ut antea retulimus, plurium Patrum teſtimoniis ſic comprobavit: „ (*b*) Propter quam Catholicam veritatem Sancti, ac Beati, & in Divinorum eloquiorum pertractatione „ clariſſimi Sacerdotes, Irenæus, Cyprianus, Rheticius, Hilarius, Olympius, Gregorius, Ambroſius, Innocentius, Joannes, Baſilius, quibus addo Præsbyterum, velis nolis, „ Hieronymum, (ut omittam eos, „ qui nondum dormierunt) adverſus „ vos proferunt de omnium hominum peccato originali obnoxia ſucceſſione ſententiam: unde nemo eruit, niſi quem ſine lege peccati „ repugnante legi mentis virgo concepit .... quod invenerunt in Eccleſia tenuerunt. Quod didicerunt, „ docuerunt. Quod a Patribus acceperunt, hoc Filiis tradiderunt.... „ iſti Epiſcopi ſunt docti, graves, „ ſancti, veritatis acerrimi deſenſores adverſus garrulas vanitates; in „ quorum ratione, eruditione, libertate, quæ tria bona judici tribuiſti, non potes invenire, quod ſpernas. Si Epiſcopalis ſynodus ex toto orbe congregaretur, mirum ſi „ tales poſſent illic facile tot ſedere, „ quia nec iſti uno tempore fuerunt. „ Sed Fideles, & multis excellentiores paucos diſpenſatores ſuos Deus „ per diverſas ætates temporum, locorumque diſtantias, ſicut ei placuit, atque expedire judicavit, ipſe „ diſpenſat. Hos itaque de aliis temporibus, atque regionibus, ab Oriente, & Occidente congregatos vides, non in locum, quo navigare „ cogantur homines, ſed in librum, „ qui navigare poſſit ad homines. „ Quanto tibi eſſent iſti Judices optabiliores, ſi teneres Catholicam Fidem; tanto tibi ſunt terribiliores, „ quia oppugnas Catholicam Fidem, „ quam in lacte ſuxerunt, quam in „ Cibo ſumpſerunt, cujus Lac, & „ Cibum parvulis, magniſque miniſtraverunt, quam contra inimicos, „ etiam vos, tunc nondum natos, „ un-

(a) *S. Auguſ. lib. V. de Baptiſmo cont. Donat. Cap.* 23. & 24.

(b) *S. Auguſ. lib.* 2. *cit. cont. Julian.*

,, unde nunc revelamini, apertiſſime,
,, ac fortiſſime defenderunt. Talibus
,, poſt Apoſtolos Sancta Eccleſia Plan-
,, tatoribus, Rigatoribus, Ædificato-
,, ribus, Paſtoribus, Nutritoribus cre-
,, vit: ideo Profanas voces veſtræ no-
,, vitatis expavit.

Idem S. Doctor de compluribus ritibus, feſtivitatibus, atque Dogmatibus, quæ ab Apoſtolorum Traditione certiſſime profecta fuerant, pertractavit, eamque ab ipſis Apoſtolis non ſcripta, ſed Eccleſiæ tradita aſſeruit, atque hæc ad Januarium Epiſcopum ſcripſit: ,, Illa (*a*) autem, quæ non
,, ſunt ſcripta, ſed Tradita cuſtodi-
,, mus, quæ quidem toto terrarum
,, Orbe obſervantur, datur intelligi,
,, vel ab ipſis Apoſtolis, vel a plena-
,, riis Conciliis, quorum eſt in Ec-
,, cleſia ſaluberrima auctoritas, com-
,, mendata, atque ſtatuta.

Capreolus Carthaginenſis Epiſcopus, S. Auguſtino coævus, in Epiſtola ante relata, quam ad Epheſinum primum Concilium Oecumenicum miſit, quamque hujuſce Synodi Patres adprobarunt, hæc protulit: ,, ve
,, ſtram (*b*) ſanctitatem . . . rogatam
,, cupio . . . ., ut Spiritu Sancto coo-
,, perante, quem cordibus veſtris in
,, omnibus, quæ acturi eſtis, præſto
,, futurum non dubito, Novas Do-
,, ctrinas, & ante hac Eccleſiaſticis au
,, ribus inuſitatas, priſcæ Auctorita-
,, tis robore inſtructi è medio profli-
,, getis . . . Deinde ad poſteritatis e-
,, xemplum, ut ea, quæ nunc pro
,, Catholica Fide definita ſunt, per-
,, petuam firmitatem obtinere valeant,
,, oportet ea omnia inconcuſſa, im-
,, motaque conſervare, quæ ſuperio-
,, ribus temporibus a Sanctis Patribus
,, conſtituta ſunt. Nam qui illam
,, perpetuam ſtabilitatem retinere vo-
,, luerit, quæ de Catholicæ Fidei ra-
,, tione ſtatuerit; is non propria au-
,, ctoritate, ſed antiquorum Patrum
,, judicio ſententiam ſuam corrobo-
,, rare debet: ita ut ea ratione partim
,, veterum, partim recentiorum de-
,, cretis, & ſententiis placita ſua cor-
,, roborans, unicam Eccleſiæ verita-
,, tem jam inde ab initio ad præſens
,, uſque tempus ſimplici puritate,
,, invictaque conſtantia, & auctori-
,, tate decurrentem ſe aſſerere, doce-
,, re, & tenere oſtendat.

S. Cyrillus Alexandrinus eodem tempore florens, anathematiſmum octavum contra Neſtorii Blaſphemias editum ita defendit: ,, Mens humana
,, (*c*) licet nonnunquam propter amo-
,, rem ſui a recta via egrediatur, &
,, a veris Dogmatibus diſcedat; fer-
,, me ſemper gravatur, & formidat
,, ſuas cogitationes abſurditatis dam-
,, nare: Sed tamen ſeipſam facile
,, corriget, ſi labores ſcrutata fuerit
,, Sanctorum Patrum, qui ab omni-
,, bus de rectitudine, & certitudine
,, Dogmatum celebrantur: tum ſuam
,, recte fidem explorabit. Omnes
,, enim, quibus integrum cor eſt, il-
,, lorum ſententias ſequi contendunt:
,, quia & ipſi Evangelica, & Apoſto-
,, lica Traditione ſuam mentem cum
,, impleviſſent, & ex Sacris Scriptu-

B 2 ,, ris

(a) *S. Auguſt. Epiſt. 51. Ad Jann. Tom. 2.*
(b) *Capr. in Epiſt. ad Syn. Eph. Tom. 3. concil. pag. 1075.* (c) *S. Cyrill. Alex. in defen. Anath. VIII. Tom. 3. Concil. & Tom. VI. Operum ipſius S. Cyrilli in Apologetico adverſus Orientales C. VIII. quod Vide.*

„ ris ſermonem Fidei recte, & citra reprehenſionem tractaſſent: Mundi fuere luminaria, ſermonem Vitæ continentes prout ſcriptum eſt.

Vincentius Lirinenſis poſt S. Cyrillum Alexandrinum clarus, id ſui commonitorii poſuit principium dicendo: „ perquirens (a) a quampluribus Sanctitate, & Doctrina præſtantibus viris, quonam modo poſſim certa quadam, & quaſi generali, ac regulari via Catholicæ Fidei veritatem ab Hæreticæ pravitatis falſitate diſcernere, hujuſmodi ſemper reſponſum ab omnibus fere retuli, quod ſive ego, ſive quis alius vellet exurgentium Hæreticorum fraudes deprehendere, laqueoſque vitare, & in fide ſana ſanus, atque integer permanere: duplici modo munire fidem ſuam, Domino adjuvante, deberet; primo ſcilicet Divinæ legis auctoritate; tum deinde Eccleſiæ Catholicæ traditione.... In ipſa (b) item Catholica Eccleſia magnopere curandum eſt, ut id teneamus, quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt. Hoc eſt enim vere, proprieque Catholicum, quod ipſa vis nominis, ratioque declarat; Sed, hoc demum fit, ſi ſequamur univerſitatem, antiquitatem, conſenſionem: ſequimur autem univerſitatem hoc modo, ſi hanc unam Fidem veram eſſe fatemur, quam tota per Orbem terrarum confitetur Eccleſia: antiquitatem vero ita, ſi ab iis ſenſibus nullatenus recedamus, quos Sanctos majores, ac Patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt: conſenſionem quoque itidem, ſi in ipſa vetuſtate omnem, vel certe pene omnem Sacerdotum, & Magiſtrorum definitiones, ſententiaſque ſectemur.

Tum autem Vincentius Stephanum R. Pontificem hoc nomine laudat, quod in controverſia de Hæreticorum Baptiſmo uſus ſit Traditione. Unde ille de Stephano hoc dixit: (c) „ In Epiſtola, quæ tunc in Africam miſſa eſt, his verbis ſanxit, *nihil innovetur, niſi quod traditum eſt*. intelligebat etenim vir Sanctus, & prudens, nihil aliud rationem pietatis admittere, niſi ut omnia, quæ Fide a Patribus ſuſcepta forent, eadem Fide Filiis conſignarentur, noſque religionem, non qua vellemus, ducere, ſed potius, qua illa duceret, ſequi oportere, idque eſſe proprium Chriſtianæ modeſtiæ, & parvitatis, non ſua poſteris tradere, ſed a majoribus accepta ſervare.

S. Leo I. ante medium ſæculum quintum ad ſummum Pontificatum evectus, in epiſtola ad Leonem Auguſtum, cui Patrum teſtimonia Eutychetis hæreſim refellentia ſubiecit, ita locutus eſt. „ Ut autem (d) Pietas tua cum venerabilium Patrum prædicationibus nos concordare cognoſcat; aliquantas eorum ſententias huic credidi ſubiiciendas eſſe ſermoni, quibus ſi dignaveris recenſitis non aliud nos prædicare reperies, quam quod Sancti Patres noſtri toto Orbe docuerunt: nec

„ quem

(a) *Vincent. Lirin. in Comm. 1. Cap. 1.*
(b) *Ibid. cap. 3.*
(c) *Ibid. Cap. IX.*
(d) *S. Leo. I. epiſt. 134. ad Leonem Aug. Cap. X.*

„ quemquam ab illis, niſi ſolos impios Hæreticos diſcrepare. His igitur, quanta potui brevitate, perſtrictis, cum inſpirata tibi divinirus Fide, etiam noſtram prędicationem unitam eſſe cognoſces. Nec in aliquo nos ab Evangelica, Apoſtolicaque Doctrina, vel a Catholicę profeſſionis ſymbolo diſcrepare.

Synodus quinta Oecumenica circa medium ſæculum ſextum coacta, Anathemate percellit eum, qui: „ Non (a) una Adoratione Deum Verbum Incarnatum cum propria ipſius carne adorat, ſicut ab initio Dei Eccleſiæ traditum eſt.

S. Agatho Romanus Pontifex ferme labente ſæculo ſeptimo ad Conſtantium Pogonatum Auguſtum de duplici in Chriſto voluntate, duplicique operatione, Divina, & Humana, Epiſtolam ſcripſit, in qua hæc habuit: „ Ut autem (b) veſtræ divinitus inſtructæ pietati, quid Apoſtolicæ noſtræ Fidei vigor contineat, breviter intimemus, quam percepimus per Apoſtolicam, Apoſtolicorumque Pontificum Traditionem, & Sanctorum quinque generalium Synodorum, per quas fundamenta Catholicæ Chriſti Eccleſiæ firmata, atque ſtabilita ſunt: hic igitur ſtatus eſt Evangelicæ, atque Apoſtolicæ Fidei, regularisque Traditio, ut confitentes Sanctam, & Inſeparabilem Trinitatem, ideſt, Patrem, & Filium, & Sanctum Spiritum unius eſſe Deitatis, unius Naturæ, & ſubſtantiæ, ſive eſſentiæ, unius eam prædicemus, & naturalis voluntatis, virtutis, Operationis, Dominationis, Majeſtatis, Poteſtatis, & Gloriæ.

Synodus VII. ſæculo VIII. celebrata in Fidei definitione iſthæc poſuit: „ fatemur (c) autem unanimiter nos Eccleſiaſticas Traditiones, ſive ſcripto, ſive conſuetudine valentes & decretas retinere velle.

Denique Synodus octava generalis nono ſæculo acta, canone primo ſtatuit, „ Ut rectam (d) regiamque Divinæ Juſtitiæ Viam ſine erroris offenſa teneamus: Sanctorum Patrum decreta, velut inextinctæ quædam ſemperque lucentes faces, ſequenda ſunt. Quapropter Sanctiones Eccleſiæ Catholicæ, & Apoſtolicæ per Traditionem tum a Sanctis, omnique laudis præconio celebrandis Apoſtolis, tum ab Orthodoxis, Oecumenicisque, & Provincialibus Conciliis, aut a quovis Deiloquo Patre, & Eccleſiæ Doctore acceptas, ſervandas, cuſtodiendaſque profitemur. *Traditiones* enim *ſive per Sermonem*, *ſive per Epiſtolam* majorum noſtrorum, qui vitæ ſanctitate nobis præluxerunt, acceptas diſerte magnus Apoſtolus tenendas monet.

Denique Concilium Tridentinum ſæculo XV. celebratum primitus docuit „ omnem (e) veritatem Fidei, & morum Diſciplinæ contineri in libris ſcriptis, & ſine ſcripto Traditionibus: quæ ex ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab „ ipſis

(a) *Syn. V. Collat. IX. Tom. V. concil.*
(b) *Agatho in Epiſt. ad Conſt. act. IV. Synod. VI. Tom. VII. concil.*
(c) *Synod. VII. Tom. 8. Concil.*
(d) *Synod. VIII. Can. 1. Tom. X. concil. Lab.* (e) *Trid. Seſſ. IV.*

Digitized by Google

„ ipſis Apoſtolis, Spiritu Sancto di-
„ ctante, quaſi per manus traditæ,
„ ad nos uſque pervenerunt.

Dehinc iſtum Canonem edidit:
„ Si quis Traditiones prædictas ſciens,
„ & prudens contempſerit, Anathe-
„ ma ſit.

§. III.

Ex Hiſce argumenta ducuntur, & Hæreticorum reſponſa eliminantur.

PRimum itaque hortati ſunt, ut ad hæc me conferrem, Paulus Apoſtolus, ac plerique illi Patres eidem Paulo obſequentes, & conſentientes; quorum ſimul ſumptorum teſtificatio, conſenſio, ac ſeries ita admirabiles ſunt, ut aliæ ex aliis nexæ colligatæ, atque innerrantes cernantur.

Equidem video, ab Apoſtolo Divinas Traditiones, & Apoſtolicas, earumque extantiam, ac neceſſitatem adeo declarari, ut *Traditiones per Sermonem vel Epiſtola* ſcripta diſerte ſecernat, illaſque *tenendas*, ac ſic neceſſarias edicat: in quo affirmando uti & in aliis, indeficiens creditur ejus teſtimonium: Cum quo conſentiens multorum veterum Doctrina innerrans certiſſime eſt.

Porrò Irenæus de *Traditione*, quam *viva voce* Apoſtoli conſtituerunt, locutus, confirmat, *in Eccleſia Romana, & in toto Mundo manifeſtatam perſpici Apoſtolorum Traditionem*, qua neceſſaria eſt ad *Hæreticos omnes*, qui, *præterquam oportet, colligunt, refundendos*. Tertullianus etiam aſſerit, *in Scripturis*, quas Hæretici in iis, quæ ad Fidem pertinent, depravarant, conſiſtendum certamen, ſed & Scripturas ſacras a Catholica Eccleſia receptas cernendas eſſe, & *omnem Chriſtianorum Traditionem* credendam, quippe qua ſcripturæ non integræ, quas habebant, ab integris, quas Eccleſia Catholica agnoſcit, plane diſcernantur. Hinc *Eccleſiis Apoſtolicis, & Originalibus Fidei veritas deputanda eſt*, quia ſcilicet *Eccleſia Apoſtolica ſine dubio ea tenet*, quæ ipſam *Apoſtoli* & ſcriptis, & *viva voce* docuerunt. Quare Clemens Alexandrinus dixit, quod & *abſque ſcriptis myſteriorum cognitio ab Apoſtolis tradita eſt, & Fidelis eſſe perdidit, qui adverſus Eccleſiaſticam recalcitravit traditionem, & in humanarum hæreſeon deſiluit opiniones*; & Hæretici a vero aberrarunt, utpote *Divinæ* reſiſtentes Traditioni: quæ proinde neceſſario admittenda eſt, ut & *prava hæreſeon opiniones* evellantur, & dogmata a Chriſto, ab Apoſtolis, & ab Eccleſiæ magiſtris tradita affirmentur: quorum unum, ac præcipuum eſt, *quatuor* eſſe Sacra SS. *Mathæi, Marci, Lucæ, & Joannis Evangelia, quæ ſola quidem in univerſa Eccleſia ex Traditione admittuntur*: alia vero, quæ *Apoſtolorum nomen falſe inſcriptum præferunt, repudiantur*, utpote a *majoribus minime accepta*, ſicuti Origenes, ac Serapion atteſtantur: quæ teſtificationes *Traditione* non ſcripta, & majorum auctoritate nituntur; utpote a quibus ſola *quatuor Evangelia admiſſa* fuerint, & falſa alia repudiata: ad quod probandum proinde neceſſaria eſt Traditio non ſcripta: qua etiam oſtenditur, & in *Calice offerendo Dominicam traditionem, quæ vinum mixtum aqua offerri debere jubet, ſervari*, & Hæreticos rite baptizatos rebaptizandos non eſſe. Traditiones igitur Divinæ, & Apoſtolicæ, ab Apoſto-

poſtolis non ſcriptæ, quas & Paulus Apoſtolus, & reliqui Patres allegati, a ſacris Scripturis diſtinxerunt, exiſtunt, & credendæ ſunt ut neceſſariæ ad enarguendos errores, atque ad Orthodoxa dogmata evincenda, ac celebranda.

Tam vero plerorumque Patrum ſimul acceptorum, ſive conſentientium Doctrinam in iis rebus tradendis, inerrantem eſſe, Tertullianus demonſtrat, qui de viris Apoſtolicis loquens teſtatur, *quod apud multos unum invenitur, non eſt erratum, ſed Traditum:* tum Clemens Allexandrinus docet, ab *Hæreticis* eos, qui *præceſſerunt*, & a quibus dogmata, & *Traditio Divina vere dicta ſunt, ſuperari non potuiſſe*. Tum Serapion commonet, *majores noſtros ea, quæ Apoſtolorum nomen falſe præferunt*, minime accepiſſe, ac ſic falſis erroribus captos non eſſe. Tum Athanaſius celebrat *Sanam, & Orthodoxam Fidem, quam & Apoſtoli prædicarunt, & tradidere Patres*, qui proinde inerranti *Sanæ*, & *Orthodoxæ Fidei doctrina* ornati fuere. Tum etiam Baſilius adverſus Pneumatomachos *producit multos teſtes, ut abſolventem ſententiam conſequatur:* quæ certe *multos eos teſtes* inerrantes denuntiat, quippe qui contra errores a Baſilio advocentur; quem ſecutus Nyſſenus adverſus Eunomium affert *majorum traditionem velut Hæreditatem quamdam ab Apoſtolis continuatam per ſequentes Sanctos ſerie tranſmiſſam. Majorum* igitur, *Apoſtolorum* ſcilicet, & *cæterorum*, qui *poſtea* in *Eccleſiis floruerunt*, *Traditio* inerrans credenda eſt, ut pote ab *Apoſtolis tranſmiſſa per continuatam ſequentium Sanctorum ſucceſſionem, ac ſeriem*. Id Auguſtinus maxime firmat, dum aperte ſcribit; SS. Irenæum, Cyprianum, Hilarium, Baſilium, Hieronymum, ac plures alios veteres, *quod in Eccleſia invenerunt, non diſſonanti conteſtatione docuiſſe;* Quodque *a Patribus acceperunt, tradidiſſe, ac fuiſſe veritatis acerrimos Defenſores*. Erraruntne iſti in Traditione docenda? Quis ſibi ea, quæ Dallæus in toto ſuo opere comminiſcitur, fingat? *Patres* enim multi non falſitatis, non erroris, non hæreſis, ſed *veritatis*, & *Fidei* fuerunt *acerrimi defenſores:* quam Eccleſiæ *Fidem*, ac Traditionem iidem ſancti plures in *diverſis ætatibus, temporibus, locorumque diſtantiis excellentes; ac non in locum*, ſed in *librum iſtum*, in quo eorum multorum conſentiens doctrina de Traditione non ſcripta legitur, *congregati*, atque adeo ſimul accepti aſpiciuntur, docentes *Catholicam Fidem, quam in lacte ſuxerunt, in cibo ſumpſerunt*, ac poſtea *parvulis, magniſque miniſtrarunt, & contra inimicos hæreticos fortiſſime defenderunt:* quorum conſona teſtimonia ideo innerrantia ſunt, quia *talibus poſt Apoſtolos ædificatoribus, ac Fidei Defenſoribus ſancta Eccleſia crevit*, & Hæreticorum *novitates* expavit, atque rejecit. Unde jam *priſcæ auctoritatis robore*, ſive *veterum ſententiis Novæ Doctrinæ profligantur:* quo *Eccleſiæ veritas*, hoc eſt, *Catholica Fides, ab initio ad præſens uſque tempus* ſimplici *puritate, invictaque* conſtantia decurrit. Adhuc *Sancti Patres*, qui ex *Scripturis*, exque *Apoſtolica Traditione Sermonem Fidei habuerunt*, atque *tractarunt*, ab *omnibus de rectitudine, ac certitudine dogmatum celebrantur*, ob idque *Fidei veritatem ab Hæreticæ pravitatis falſitate* diſ-

diſcernimus duplici modo, & *Divinæ Legis auctoritate*, & *Catholicæ Eccleſiæ Traditione*; ita ut *ſequamur* & *unam veram univerſæ Eccleſiæ Fidem*: & *antiquitatem*, ac *conſenſionem* aut *omnium*, aut *pene omnium Patrum noſtrorum*: & *rectam Divinæ juſtitiæ Viam*, quam *ſine erroris offenſa tenemus*, dum ſectamur *Patrum decreta*, atque *ſervamus Eccleſiæ Catholicæ*, & *Apoſtolicæ ſanctiones* per *Traditionem acceptam* tum a *Sanctis Apoſtolis*, tum ab *Oecumenicis* Conciliis, tum denique a *quovis Deiloquo Patre*, & *Eccleſiæ* Doctore. *Traditiones* enim *ſive per ſermonem*, *ſive per Epiſtolam Majorum noſtrorum acceptas Magnus Apoſtolus tenendas diſerte monet*, multis conſentientibus, vel etiam explicantibus Patribus: quorum proinde Doctrina inerrans eſt ac certa Traditio: & quia *ſimplici puritate*, *invicta conſtantia*, ac *rectitudine*, & *certitudine dogmatum unam veram* Eccleſiæ Apoſtolicæ Fidem, quæ ſcripturæ ſacræ *auctoritate*, & Traditione non ſcripta innititur, firmiter docuerunt: & quoniam ſine erroris offenſa rectas Divinæ Juſtitiæ vias, atque Apoſtolorum, majorum, & cujuſvis Eccleſiæ Doctoris Traditiones tenendas præſcripſerunt.

Atenim Sacra Pauli Apoſtoli verba prius, & poſterius a nobis prolata (a) Calvinus fruſtra explicare conatur de rebus, quæ non ad fidem, ſed ad externam Eccleſiæ politiam attineant. Hinc Calviniſtæ pertendunt, non de Fidei Dogmatibus, ſed de aliis quibuſdam Conſuetudinibus Apoſtolum loqui. Demum alii Hæretici ajunt, Paulum de Traditionibus non ſcriptis ea quidem affirmaſſe, ſed tamen ea dogmata, quæ tunc minime ſcripſerat, in reliquis Epiſtolis, quæ poſtea conſcripſit, poſuiſſe.

Verum hi omnes Heterodoxi primum concedunt, a Paulo Apoſtolo Traditiones, quas ſcripto neutiquam conſignavit, aſſertas fuiſſe: in quibus tamen plura Fidei dogmata contineri, illi Heterodoxi errore inficiantur.

Nam Paulus Apoſtolus Theſſalonicenſes, ut Fidem ſervarent, monuit hoc modo: „ Nos *(b)* autem debemus gratias agere Deo ſemper pro „ vobis, Fratres dilecti a Deo; quod „ elegit vos Deus primitias in ſalutem „ in Sanctificatione Spiritus, & de Fide „ veritatis: in qua & vocavit vos per „ Evangelium noſtrum in acquiſitionem gloriæ Domini noſtri Jeſu Chriſti. Itaque Fratres ſtate, & tenete „ Traditiones, quas didiciſtis ſive per „ Sermonem, ſive per Epiſtolam noſtram.

Cum igitur has *Traditiones* non ſcriptas, de quibus Apoſtolus primitus loquitur, ad Fidem, atque ad Fidei Dogmata non pertinere, contendant Heterodoxus Calvinus, ejuſque Sectatores Hæretici: Iſti & a vero, & ab Apoſtoli antecedente maxime aberrant: in quo Paulus ſtatuit, ac dicit, quod *Deus* Theſſalonicenſes *elegit*, & *vocavit in fide: in qua* proinde ut *ſtarent*, & *tenerent* ejus Traditiones, Apoſtolus ſtatim adiunxit; quoniam illud conſequens cum illo antecedente connectitur. Ergo Traditiones iſthæc ad *Fidem*, quam proxime Paulus præmiſit, quæque plura orthodoxa dogmata comprehendit, certiſſime ſpectant. Atque

(a) *Calv. comm. in ep. ad Theſ.*

(b) 2. *ad Teſſ.* 2. *V.* 12. & *ſeq.*

Digitized by Google

que etiam eaſdem duplicis generis *traditiones* Apoſtolus diſerte diſtinxit: alteras ſtricte ſumptas, quas *per ſermonem* detulit: Alteras minus ſtrictas, quas *per Epiſtolam* denuntiavit. Atqui *Traditiones* iu ipſius *Epiſtola* ſcripta contentæ ad Fidem pertinent: Ergo & *Traditiones per Sermonem* delatæ ad ejuſdem Fidei Dogmata ſpectare credendæ ſunt: quia eas & una *Traditionum* voce Paulus conjunxit, & ipſas *ſive per ſermonem*, *ſive per Epiſtolam* ſignificatas apte ſecrevit. Hinc ultima illa Hæreticorum reſponſio exagitatur. Nam ſi eaſdem traditiones non ſcriptas Apoſtolus iu aliis litteris, quas poſt Epiſtolas duas ad Theſſalonicenſes miſſas exaravit: tum ſicuti hic *Epiſtolam* protulit; ita etiam *traditiones*, quas per ſermonem detulit, in aliis Epiſtolis poſtea ſcribendis ab ſe ſcriptum iri dixiſſet: quod cum nec pronuntiarit, nec indicarit: evidens eſt, Traditiones illas minime ſcriptas in aliis Epiſtolis poſterioribus nunquam ab Apoſtolo exaratas fuiſſe. Eas itaque Traditiones nullis ſcriptis mandatas, & ad *Fidem* pertinentes Paulus Eccleſiam, ſuoſque diſcipulos docuit, qui aliis ſuccedentibus plura Apoſtolica Dogmata haud ſcripta tradiderunt; quæ ab Apoſtolis, & a majoribus accepta fuiſſe, Patres plerique laudati & recte ſcripſerunt & certe.

Sed adverſarii reponunt, primum in Deuteronomio hæc legi; „ Non (*a*) „ addetis ad verbum, quod vobis lo- „ quor: Deinde Galatis Apoſtolum Paulum dixiſſe: „ Sed (*b*) nos licet, „ aut Angelus, de Cœlo evangeliza- „ verit vobis, præter quam quod evan- „ gelizavimus vobis, anathema ſit: ac poſtea eundem Paulum Timotheo iſta ſcripſiſſe: „ Sacras (*c*) litteras no- „ ſti, quæ te poſſunt inſtruere ad Sa- „ lutem per Fidem, quæ eſt in Chri- „ ſto Jeſu. Omnis Scriptura Divini- „ tus inſpirata utilis eſt ad docen- „ dum, ad arguendum, ad corripien- „ dum, ad erudiendum in Juſtitia, „ ut perfectus ſit homo Dei ad om- „ ne opus bonum inſtructus: deinceps „ Colloſſenſes ab ipſo Apoſtolo ſic monitos eſſe: „ Videte, (d) ne quis vos „ decipiat per philoſophiam & ina- „ nem fallaciam ſecundum traditio- nem hominum: „ Denique Chriſtum „ Phariſeis dixiſſe: „ irritum (e) feciſtis „ mandatum Dei propter traditionem „ veſtram.

Verum priora Deuteronomii verba nihil quidem *mandatis Dei*, de quibus inibi Deus loquitur, addendum præcipiunt: ſed tamen ſicuti novum Teſtamentum veteri additum, ita Divinas, & Apoſtolicas Traditiones, quas Apoſtolus in novo eodem Teſtamento commendavit, minime excludunt.

Dehinc Apoſtolus Paulus Theſſalonicenſes *in Fide veritatis vocatos per Evangelium noſtrum*, ab illiſque *Traditiones* ſuas *tenendas* edixit: qui proinde anathema ei minatus eſt, a quo aliter evangelizatur, *quam quod* Paulus ipſe aut omni ſua *Epiſtola* ſcripta, aut *Traditionibus*, quas idem *per ſermonem* nuntiarat, *evangelizaverit*, quò Paulus Traditiones ſuas Divinas, & Apoſtolicas non modo non

(a) *Deuteron. IV. V. 2* (b) *Ad Gall. 1.* (c) *Ad Tim. 3.* (d) *Coloſs. 2.* (e) *Matth. 15.*

Digitized by Google

repulit, verum etiam adprobavit: quia de ſuo *Evangelio* locutus eſt, quo Fidei *veritatem* & in *Epiſtola*, & in *Traditionibus*, quæ ab Epiſtola ſcripta ſecernuntur, contentam prædicavit: atque ita *Anathema* ei dixit, qui cum ſacris litteris, tum Divinis, atque Apoſtolicis *Traditionibus*, (a) quas ipſe commendaverat aliquid contrarium aſſerere audet, quemadmodum eundem Apoſtoli locum Patres aliquot explicant.

Quapropter *omnis Scriptura* Sacra utilis eſt *ad docendum*, *ad erudiendum in juſtitia*, atque ad *tenendas Traditiones*, ut pote quas ipſa Pauli Apoſtoli Epiſtola *divinitus* inſpirata aperte protulerit. His ergo imbutus *bono Dei* & perfectus, & ad omne opus bonum inſtructus cognoſcitur: quando quidem plura dogmata in Sacris litteris, & alia in Traditionibus non ſcriptis contineri credit, ac noſcit ex ipſa divina Pauli ſcriptura; quæ quidem inanes ethnicæ philoſophiæ fallacias, & *Traditionem* hominum trudit: Verumtamen *Divinas Traditiones tenendas* docet. Quocirca Dominus falſas Phariſæorum Traditiones, quibus irritum mandatum Dei fiebat, repulit: at ab illis falſis Traditionibus, ſuas veras Traditiones diſtinxit, & commendavit: quippe quas per ſuum Apoſtolum Paulum detulerit, & annuntiarit.

Tum autem Joannes Apoſtolus in fine Evangelii ſui iſta conſcripſit: „ Multa (b) quidem, & alia ſigna fe-„ cit Jeſus, & in conſpectu Diſcipu-„ lorum ſuorum quæ non ſunt ſcri-„ pta in libro hoc. Hæc autem ſcripta „ ſunt ut credatis, quia Jeſus eſt „ Chriſtus Filius Dei: & ut creden-„ tes vitam habeatis in nomine ejus. præterea in Apocalypſi dixit: Si quis „ (c) appoſuerit ad hæc: apponet „ Deus ſuper illum plagas ſcriptas in „ libro iſto.

At vero priores Joannis teſtificationes quidem evincunt, miracula, quæ Chriſtus patravit, & ipſe Joannes in ſuo Evangelio deſcripſit, ſufficientia eſſe ad Chriſti Divinitatem probandam, atque credendam: ſed tamen non probant, alias ſacras & ipſius Joannis, & Pauli Apoſtoli litteras ſupervacaneas eſſe quoniam *omnis Scriptura divinitus inſpirata ad docendum, arguendum, & erudiendum utilis eſt*, ac neceſſaria, uti Paulus Apoſtolus, & omnes veteres docent. Hanc ergo *omnis Scripturæ* utilitatem, ac neceſſitatem illis verbis Joannes Apoſtolus minime inficiari credendus eſt eam ob cauſam. Atqui in *omni ſcriptura divinitus* inſpirata etiam laudatæ Pauli Apoſtoli ad Theſſalonicenſes litteræ continentur, & includuntur, quarum in altera Traditiones ab Epiſtola ſcripta diſtinctas tenendas eſſe Paulus edocuit, atque adeo ad eas ut ad alteram Fidei regulam Fideles ita direxit, ut iſti & ſacris litteris, & Traditioni non ſcriptæ credentes, atque ad *omne opus bonum inſtructi*, vitam æternam conſequi poſſint. Sicut er-

(a) *S. Auguſtinus lib. 17. contra Fauſtum Cap. 3., & lib. 3. contra litteras Petiliani Cap. 6. explicat illum Apoſtoli locum de eo, qui aliquid addit* contra *Divinam Scripturam, eique Anathema dicit, ac ſic Traditiones non excludit.*

(b) *Joh. XX.* (c) *Apoc. 22.*

ergo reliquarum Sacrarum Scripturarum, ita Traditionum, quæ ab ipſis divinis litteris exhibentur, neceſſitatem non negavit Joannes Apoſtolus: cujus locum illum S. Auguſtinus (a) enucleans, ſolum vult, Chriſti miracula ad ejus Divinitatem oſtendendam valere, atque ſufficere: quibus tamen & alias Divinas Scripturas, & Traditiones Apoſtolicas minime ſcriptas adiiciendas eſſe, Auguſtinus in locis, quæ ſupra adduximus, ſignificavit. Hinc aliud Joannis Apoſtoli teſtimonium de eo explicatur, quod quidem ejus Apocalypſi nihil novæ revelationis ab hominibus inventæ addere liceat: quo additamento negato Joannes cęteras Divinarum Scripturarum revelationes, quę etiam *Traditiones* Apoſtolicas doceat, minime excluſit.

Exinde Heterodoxi opponunt S. Irenæum aientem: „ Non (b) enim per „ alios diſpoſitionem ſalutis noſtræ „ cognovimus, quam per eos, per „ quos Evangelium pervenit ad nos „ quod quidem tunc præconaverunt, „ poſtea vero per Dei voluntatem in „ Scripturis nobis tradiderunt fundamentum, & Columnam Fidei noſtrę „ futurum.

Sed Irenæus in libro tertio, qui immeritò objicitur, adverſus Valentinianos, a quibus plures Divinitates confingebantur, unum Deum ex Sacris Scripturis & ex Traditione demonſtravit: quare in ejuſdem libri prefatione ait: „ Memento (c) igitur eo„ rum, quæ diximus in prioribus „ duobus libris. Et hæc illis adjun„ gens, pleniſſimam habebis a nobis „ adverſus omnes Hæreticos contra„ dictionem, & fiducialiter, ac in„ ſtantiſſime reſiſtes eis pro ſola vera, „ ac vivifica fide, quam ab Apoſto„ lis Eccleſia percipit, & diſtribuit Fi„ liis ſuis ... Non (d) enim per alios „ diſpoſitionem ſalutis noſtræ cogno„ vimus, quam per eos, per quos „ Evangelium pervenit ad nos, quod „ quidem tunc præconaverunt, po„ ſtea vero per Dei voluntatem in „ Scripturis nobis tradiderunt funda„ mentum, & Columnam Fidei no„ ſtræ futurum. Nec enim fas eſt dice„ re quoniam ante prædicaverunt, „ quam perfectam haberent agnitio„ nem, ſicut quidam audent dicere, „ glorïantes, emendatores ſe eſſe Apo„ ſtolorum. Poſtea enim quam ſurre„ xit Dominus noſter a mortuis, & „ induti ſunt ſupervenientis Spiritus „ Sancti virtutem ex alto, de omni„ bus adimpleti ſunt, & habuerunt „ perfectam agnitionem, exierunt in „ fines terræ ea, quæ a Deo nobis bo„ na ſunt, evangelizantes, & celeſtem „ pacem hominibus annuntiantes.... „ Iſti unum Deum factorem Cœli, „ & Terræ a lege, & Prophetis an„ nuntiatum, & unum Chriſtum Fi„ lium Dei tradiderunt nobis: qui„ bus ſi quis non aſſentiet, ſpernit „ quidem participes Domini: ſpernit „ autem & ipſum Chriſtum Domi„ num: ſpernit verò & Patrem; & eſt „ a ſemetipſo damnatus, reſiſtens, & „ repugnans ſaluti ſuæ; quod faciunt „ omnes Hæretici; cum enim ex Scri„ pturis arguuntur, in accuſationem

(a) *S. Auguſ. tractat. in Joh.* 49.
(b) *S. Iren. lib. 3. adv. Hæreſ. Cap.* 1.

(c) *S. Iren. in Præfat. lib. 3. adver. Hæreſ. pag.* 173. (d) *Ibid. Cap.* 1.

„ convertuntur ipſarum ſcripturarum
„ quaſi non recte habeant ... Cum
„ autem ad eam iterum Traditionem,
„ quæ eſt ab Apoſtolis, quæ per ſuc-
„ ceſſiones Præſbyterorum in Eccleſiis
„ cuſtoditur, provocamus eos, ad-
„ verſantur Traditioni ... Fundantes
„ igitur & *inſtituentes Beati Apoſtoli*
„ *Eccleſiam*, *Lino Epiſcopatum admini-*
„ *ſtrandæ Eccleſiæ tradiderunt* ... Suc-
„ cedit autem ei Anacletus. Poſt eum
„ tertio loco ab Apoſtolis Epiſcopa-
„ tum ſortitur Clemens, qui & vidit
„ ipſos Apoſtolos, & contulit cum
„ eis: & cum adhuc inſonantem præ-
„ dicationem Apoſtolorum, & Tra-
„ ditionem ante occulos haberet....
„ ſcripſit, quæ eſt Romæ Eccleſia,
„ potentiſſimas litteras Corinthiis,
„ ad pacem eos congregans, & repa-
„ rans Fidem eorum, & annuncians,
„ quam in recenti acceperat ab Apo-
„ ſtolis, Traditionem annunciantem
„ unum Deum Omnipotentem, &
„ Factorem Cæli, & Terræ ... Hunc
„ Patrem Domini Noſtri Jeſu Chriſti
„ ab Eccleſiis annuntiari, ex ipſa ſcri-
„ ptura, qui volunt, diſcere poſſunt,
„ & Apoſtolicam Eccleſiæ Traditio-
„ nem intelligere.

Hanc itaque *Apoſtolicam Traditionem* a Scripturis Divinis Irenæus clare ſecernens apertiſſime declaravit, *eam Fidem*, de qua in præfatione illa locutus erat, quamque *Eccleſia ab Apoſtolis perceperat* duplici fundamento, nimirum *Scripturis* ipſis, & *Traditione* niti; quam eſſe alteram Fidei regulam, ac fundamentum Irenæus ea ratione monſtravit, quod eadem *Apoſtolica Traditione Fides hominibus annuntiata, & in Eccleſiis cuſtodita intelligitur*, illaque etiam *omnes Hæretici*, qui *malam ſententiam ſequuntur*, prorſus *confundantur*. Illud ergo duplex *Fidei*, quam *ab Apoſtolis Eccleſia perceperat*, Fundamentum, quo adverſus omnes Hæreſes pleniſſime contradicitur, Irenæus in præfatione indicavit. Cum igitur poſt præfationem in *Scripturis fundamentum Fidei noſtræ* poſitum dixit: id ſane de veteris, ac novi Teſtamenti Scripturis, quas *Eccleſia Fide ab Apoſtolis percepta*, atque adeo Apoſtolica Traditione crediderat, ac Filiis ſuis tradiderat intellexit: non ergo, uti Rivetus *per malam ſententiam* colligit, Irenæus *Scripturarum fundamento Apoſtolicam Traditionem* excluſit, ſed hanc confirmavit: quia & *Scripturarum Fundamentum* cum *Fide*, quam *Eccleſia ab Apoſtolis* viva voce *perceperat*, ſtatim conjunxit: & eandem Fidem ex *Scripturis*, atque *Apoſtolica Traditione intelligi*, deinceps explicuit; ac ſic Scripturas Sacras, & Apoſtolicam Traditionem duas eſſe Fidei regulas, diſerte adſignificavit.

Ac prius Irenæus ait, *nec fas eſt dicere*, quod *Apoſtoli ante prædicaverunt, quam perfectam haberent agnitionem, ſicut quidam audent dicere, gloriantes, emendatores ſe eſſe Apoſtolorum*. quę verba iis quæ antea retulimus, correſpondent, quibus Valentiniani *Marcionis*, & *Valentini fictiones* velut *Traditiones* obtrudebant, iactantes ſe *Apoſtolis Sapientiores*, & quedam *dicta mala per vanam gloriam colligentes*. atqui Irenæus *vanæ illi gloriæ, Fictioni, ac falſæ Traditioni* oppoſuit *Apoſtolorum Traditiones ab Eccleſia cuſtoditas*, per quas iidem Hæretici *confunduntur*, qui *per vanam gloriam, & malam ſententiam, præter quam oportet, colligunt*. Ergo dum Irenæus

con-

contra ipſos Hæreticos ait, quod Apoſtoli *Spiritus Sancti virtutem induti, de omnibus perfectam cognitionem habuerunt, bona evangelizantes:* jam voluit, iſthæc omnia Apoſtolos partim ſcriptis mandaſſe, partim viva voce Eccleſiæ tradidiſſe, ac ſic plura Apoſtolica dogmata ex eorum ſcripturis ediſci, ac plura alia ex *Traditione Apoſtolica intelligi:* quia hæc, quæ Irenæus protulit, inter ſe ſe apta ſunt, & colligata.

Sed Tertullianus obiicitur, qui adverſus Hermogenem dixit: „ Adoro
„ (a) Scripturæ plenitudinem quæ mi-
„ hi & factorem manifeſtat, ac facta
„ ... an autem de aliqua ſubiacenti
„ materia facta ſint omnia, nuſquam
„ adhuc legi. Scriptum eſſe doceat
„ Hermogenis Officina: Si non eſt
„ ſcriptum: timeat væ illud adiicien-
„ tibus, aut detrahentibus deſtinatum.

Verum eo loci Tertullianus diſſerit adverſus Hermogenem, qui hæreſi dicebat, quod Deus omnia creaverit non ex nihilo, ſed ex ſubiacenti materia, quam & *inconditam, infectam*, Deoque cœternam fingebat, & terram eſſe materiam illam Heterodoxus ille adiungebat: quos errores Tertullianus primum eo validiſſimo argumento refellit, quod, ut Geneſis initio legitur *in principio creavit Deus Cælum, & Terram:* ex quo aperte colligitur, Terram, quam materiam ſuam eſſe Hæreticus ille volebat, non æternam fuiſſe, ſed in *principio*, hoc eſt, in tempore, in quo partes priores, & poſteriores noſcuntur, a Deo creatam eſſe; ac proinde terram, cui materiæ nomen ille Nebulo apponebat, Deo cœternam minime extitiſſe; ſed a Deo in tempore *terram* ipſam, & omnia creata e nihilo ita eſſe, ut eadem cuncta creata & *factorem manifeſtent, & facta*. Dehinc Tertullianus (b) oſtendit, *materiæ* nomen ſacræ ſcripturæ ab errante Hermogene nefarie adiungi, *cum materiæ nominatio*, inquit, Tertullianus, *non extet in Scriptura*. Cum ergo idem Scriptor prius ait, *adoro* Scripturæ plenitudinem: tum *plenitudinis nomine* ſacræ ſcripturæ integritatem intelligit, *in qua materiæ nominatio non extabat;* quæque adeo & Deum *factorem* omnium Creaturarum *manifeſtat & facta*, ut hæc non ex *Materia* æterna, quam Hermogenes errore & finxit, & ſacræ Scripturę addidit, ſed è nihilo Deus creaverit. Unde Tertullianus de illo materiæ additamento liquido loquens, de *ſcripturæ plenitudine*, ſive integritate, quam proxime ante poſuerat, adſtituit: *an de aliqua ſubiacenti Materia facta ſint omnia, ſcriptum eſſe doceat Hermogenis officina: ſi non eſt ſcriptum: timeat væ illud adiicientibus, aut detrahentibus deſtinatum*, quæ additamenta, aut detractiones cum Scripturæ Divinæ integritati oppoſitæ ſint: certe colligitur, *plenitudinis* voce *ſacræ Scripturæ* integritatem intelligi a Tertulliano; qui proinde voluit, non omnium Fidei dogmatum plenitudinem, ſed pleraque dogmata inveniri in Sacra Scriptura; quippe cujus integritatem, quam plenitudinis vocabulo intellexit, antea ex Divina, & Apoſtolica Traditione, exque Eccleſiæ auctoritate probaverat. Quocirca Hermogeni, qui ſuum illud commentum quaſi & ſcriptum,

(a) *Tertul. in lib. adver. Herm. Cap. 22.*

(b) *Tertul. in lib. adver. Herm. Cap. 22. cit.*

Digitized by Google

tum, & terræ nomini additum continebat, *timendum ne adiicientibus deſignatum* Tertullianus minatur: quia ſcilicet illud ipſum fictitium materiæ Æternæ enuntiatum ſcriptum non eſt in Divinis litteris integris ab Eccleſia traditis, quæ rerum omnium, quas è nihilo Deus creavit, deſcriptionem credendam, & alia quædam dogmata, non omnia, deſignant: quorum aliqua proinde petenda ſunt ab ea Traditione, quæ etiam coarguit hæreſes; quarum unam, qua ipſe Hermogenes Deum in tempore appropinquaſſe illi Materiæ æternæ commentitiæ, ex eaque omnia extraxiſſe effutiebat, Tertullianus (*a*) ita repellit: *Prophetæ, & Apoſtoli non ita tradunt, Mundum a Deo factum adparente ſollummodo, & appropinquante materiæ:* quibus is ſcriptor *tradendi* verbum a *ſcripto*, quo prius uſus erat, diſtinguens, diſerte ſignificavit, Hermogenis commentum a *Prophetis*, atque ab *Apoſtolis nec Scriptum eſſe, nec traditum;* ideoque ejus hæreſim tum Divinis ſcripturis, tum Divina Prophetarum, & Apoſtolorum voce, qui *non ita tradunt*, retundi. Quapropter Tertullianus adverſus Hermogenem argumenta ex Sacris Scripturis, exque Divina, & Apoſtolica Traditione, qua vel errores coarguuntur, meritò attulit.

Hæretici vero iterum obiiciunt (*b*) Tertullianum, qui ita Marcionem alloquitur: „ Non recipio, quod extra „ ſcripturas de tuo infers.

At Heterodoxi nullo modo ea videntur, quæ proxime ante illud enuntiatum Tertullianus ſic poſuit; (*c*) ac ſcripſit de Marcionitis Chriſtum Deum, & hominem natum errore negantibus: de quibus ſic loquitur: „ Ipſum Deum volunt negare natum, „ quod dixerit, *quæ mihi mater, &* „ *qui mihi Fratres?* Audiat igitur „ Apelles, quid jam reſponſum ſit a „ nobis Marcioni, eo Libello, quo „ ad Evangelium ipſius provocamus. „ Conſiderandam ſcilicet Materiam „ pronuntiationis iſtius, primo quidem nunquam quiſquam adnuntiaſ„ ſet illi Matrem, & Fratres ejus foris ſtare, qui non certus eſſet & „ habere illum Matrem, & Fratres, „ & ipſos eſſe, quos tunc nuntiabat; „ vel retro cognitos, vel tunc ibidem „ compertos, licet propterea abſtulerint hæreſes iſta de Evangelio, „ quod creditum Patrem ejus Joſeph „ Fabrum, & Matrem Mariam, & „ Fratres, & Sorores ejus optime notos ſibi eſſe dicebant, qui mirabantur Doctrinam ejus. Sed tentandi „ gratia nuntiaverant ei Matrem, & „ Fratres, quos non habebat. Hoc „ quidem Scriptura non dicit, alias „ non tacens, cum quid tentationis „ gratia factum eſt circa eum: *Ecce*, „ inquit, *ſurrexit legis Doctor, tentans eum*, & alibi, *& acceſſerunt* „ *ad eum Phariſæi tentantes*, quod nemo prohibebat hic quoque ſignificari, tentandi gratia factum. Non „ recipio, quod extra Scripturam de „ Tuo infers.

Hic itaque Tertullianus primum propoſuit legendum ejus Libellum, quo Marcioni reſpondit: Nec vero id ſolum animadvertit, ſed etiam prædocuit, quod *abſtulerint hæreſes iſta* de

(*a*) *Tertul. ibi. Cap. 45.* (*b*) *Tertul. in lib. de Carne Christi.* (*c*) *Tertul. ibid. Cap. 7*

de Evangelio: nimirum, ecce mater tua; atqui hoece in libro de Carne Chriſti, quem librum modo adverſarii perperam obtrudunt, quemque in probatione laudavimus, Tertullianus Marcioni, qui plura de *Evangelio abſtulerat* antea dixit: „ *quod traditum erat, id erat verum, ut ab* „ *eis traditum, quorum fuit tradere.* „ *Ergo quod erat traditum, reſcindens,* „ *quod erat verum reſcidiſti.* „ Evangelium igitur integrum verum eſſe creditum eſt, quia ab Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus, quorum *fuit tradere*, acceptum eſt, ac *traditum:* qua traditione ipſum integrum Evangelium ab eo, quod Marcion *reſciderat*, diſcernebatur, id ergo verum eſt, quod ab *Apoſtolis, & Apoſtolicis viris traditum fuit.* Hoc igitur libro non ſcriptas Traditiones Apoſtolicas eſſe veras prius Tertullianus evicit; qui cum poſtea dixit, *non recipio, quod extra Scripturas de tuo infers:* id de *Scripturis*, quas Apoſtoli, & Apoſtolici viri veras, & integras eſſe tradiderant, ſumpſit, ac ſic in iſto poſteriori enuntiato Traditiones incluſit; quod ex priori evincitur enuntiatione, qua affirmavit, *Hæreſes de Evangelio* aliquid abſtuliſſe. Porro autem in Evangelio non traditur, quædam ejus loca a Marcione ablata fuiſſe: Ergo id ex Apoſtolica traditione, quæ ſcripturas veras, & integras docet, agnoſcitur. Cum igitur illi Tertullianus dixit, *non recipio, quod extra Scripturas infers*: jam Scripturas integras, quas traditio Apoſtolica, & Eccleſia a Marcionis Scripturis non integris ſejungebat, plane intellexit, ideoque in poſteriori *Scripturarum*, quas Eccleſia ex Traditione probabat, enuntiato, eandem traditionem voluit incluſam, quippe quam ut ſuæ argumentationis fundamentum antea poſuerat. Illud vero, *de tuo infers*, depellit errantem Marcionis conſecutionem, qua iſte ex illis ſcripturis, quas nequiter interpretatus depravavit, inferebat Chriſtum Deum, & Hominem è Virgine Maria Deipara *Natum* non eſſe; quam Marcionis hæreſim in hoc libro, & alio in *Libello* Tertullianus ex Scripturis, & Eccleſiæ traditione refellit.

Alii opponunt Origenem, qui Homilia prima in Hieremiam hæc protulit: „ neceſſe eſt nobis Scripturas Sanctas in teſtimonium vocare. Senſus quippe noſtri, & „ enarrationes ſine his teſtibus non „ habent fidem.

At neceſſe eſt nobis, in teſtimonium vocare integrum textum Origenis; qui inibi quædam Hieremiæ verba de Salvatore explicaturus, ait: „ In iſtis (a) quod intellectum difficilem facit; hoc eſt, quomodo „ poſſit Salvator dicere: *Neſcio loqui,* „ *quod Juvenis ego ſum;* & cætera? „ in hoc ſermone interpretantes coanguſtantur. Jeſum Chriſtum ſcimus Deum, quærimus verba, quæ „ dicta ſunt, juxta perſonæ explanare dignitatem. Quapropter neceſſe eſt nobis Scripturas Sanctas „ in teſtimonium vocare. Senſus „ quippe noſtri & enarrationes ſine „ his teſtibus non habent Fidem, & „ hoc, quod dictum eſt, (b) *in ore* „ *duorum, vel trium Teſtium ſtabit*

ori-

(a) *Orig. Hom. I. in Hier. pag.* 128. *Tom.* 3.

(b) *Matt.* 18.

„ *omne verbum*. Magis convenit ad interpretantis probationem, quam „ quorumque hominum numerus ut „ firmem verbum intellectus mei, „ accipiens Teſtes de Novo, & Ve- „ teri Teſtamento; accipiens tres Te- „ ſtes de Evangelio, de Propheta, de „ Apoſtolo.

His igitur Origenes *difficilem*, atque adeo obſcurum Sacræ Scripturæ *intellectum* proponens, in teſtimonium vocat non modo *vetus*, verum etiam *Novum Teſtamentum* præſertim complectens quatuor Evangelia, quæ hic ille Scriptor Evangelii nomine appellat. Atqui ipſe Origenes ſupra adlegatus ait, *ex Traditione accepi de quatuor Evangeliis, quæ ſola in univerſa Eccleſia admittuntur*. Quoniam igitur in ea homilia aſſerit Sacram Scripturam *intellectu difficilem eſſe*: ideo denotat, recurrendum eſſe ad *Eccleſiæ Traditionem*, qua ſicut *Evangelia* probantur, ita *difficiles veteris*, & Novi Teſtamenti ſenſus explicantur. Cum autem affirmat, *neceſſe eſſe, Scripturas Sanctas in Teſtimonium vocare, ſine quibus ſenſus, & enarrationes non habent Fidem*: hæc Fides referenda eſt ad illa proxime antecedentia, quibus adſtruit, quod *Jeſum Chriſtum ſcimus Deum, & quærimus, quæ dicta ſunt ab Jeremia, juxta Perſonæ explicare dignitatem*. Si ergo Jeremiæ *Dicta juxta* Jeſu Chriſti *perſonam*, quæ *Deus* eſt, ac *dignitatem* non enucleantur: tum *enarrationes Fidem non habent*: quia ſecundum *Evangelium, & Eccleſiæ Traditionem* minime adhiberentur, *Eccleſiæ* enim *Traditio Evangelia*, a quibus *Chriſtus Deus* adſtruitur, probat, Origene teſte; qui proinde voluit, eas Scripturę Sacræ enarrationes firmas eſſe, quæ tum Sacrarum Litterarum, tum Chriſti dignitati reſpondent: atque ita Traditionem minime excludunt; quippe qua Sacrę litteræ, ac præſertim Evangelia, evincantur, atque adeo etiam recte explicentur; quippe quia recta Evangeliorum probatio, quæ a *Traditione* proficiſcitur, id quoque præfefert, in rebus Fidei eas Scripturarum interpretationes legitimas eſſe, quas communiori conſenſu Patres fecerunt & ſecundum Scripturas, & ſecundum *Eccleſiæ* eas *admittentis* doctrinam, cui adhærens Origenes, illud Hieremiæ, neſcio loqui, enucleat de Chriſto, non quod ignoraverit loqui, quia *Deus*, & Homo eſt, ſed quod ut Homo infans noluerit loqui: quam expoſitionem, oſtendit ex *Evangeliis*, quæ a *Traditione accepit Eccleſia & admiſit*. Sacras igitur Scripturas, ac Traditionem, quam Apoſtoli ſolo ſermone prædicarunt, quaque ſola quatuor Evangelia admittuntur, atque enodantur, Origenes & ſignificavit, & docuit.

Hinc Tractatum XXV. in Matthęum, quem Heterodoxi obtrudunt, prætereo, quod ille non græce, ſed latine deſcriptus extet, quæ verſio Ruffini eſſe videtur, qui quidem de ſuo plura quibuſdam Origenis homiliis, ac Tractatibus addidit; ſed tamen in his fatetur, ſe verba proferre in(a) *Doctrinæ Scripturæ* conſpiranti, quę proinde *Doctrinæ Scripturæ Evangeliorum*, quæ Origenes ex *Traditione accepit*, conſona erat.

Tum autem Hæretici reponunt,

Cons

(a) *Tract. 25. in Mat. T. 3.*

Digitized by Google

Conſtantinum Magnum, uti Theodo-
retus refert, Nicęnis Patribus de Chri-
ſti Divinitate tractantibus iſta dixiſ-
ſe: „ Evangelici, (*a*) atque Apoſtoli-
„ ci libri, & veterum Prophetarum
„ oracula quid ſentiendum ſit de Deo,
„ nos aperte docent: Quamobrem
„ hoſtili contentione depoſita, ex
„ ſcripturis Divinitus inſpiratis ſo-
„ lutionem eorum, quæ in controver-
„ ſiam veniunt, requiramus.

Atenim Hæretici ex iis, quæ
Theodoretus ſtatim adiicit, refellun-
tur, is enim ſcriptor illis verbis iſta
continuo addit: „ Hæc, (*b*) & alia
„ his ſimilia, tanquam Patris aman-
„ tiſſimus Filius, Epiſcopis velut Pa-
„ tribus ſuis propoſuit, Apoſtolico-
„ rum Dogmatum conſenſum firmare
„ cupiens. Poſtque Theodoretus
ex S. Athanaſio hæc profert in
medium: „ Epiſcopi (*c*) vero non ex
„ ſeipſis voces commenti, ſed Patrum
„ habentes teſtimonia, ita ſcripſerunt.

Quare ex Conſtantino Theodo-
retus ſacras *Prophetarum*, & *Apoſtolo-
rum Scripturas* ab *Apoſtolicorum dog-
matum*, conſenſu, quo Dei Filius &
Deus verus, & Patri Conſubſtantialis
ab ea ſynodo monſtratus eſt, plane ſe-
crevit; iſtamque vocem Scripturis Di-
vinis, ac Patrum, quos ſæpe laudavi-
mus, *teſtimoniis firmari* narravit: quæ
cum *Apoſtolicorum dogmatum*, & præ-
cipue illius vocis, *Conſubſtantialis*
Traditionem enuntient: Hæc a Con-
ſtantino, & ab illis Patribus docetur,
atque *firmatur*.

Afferunt inde S. Athanaſium,
qui in oratione contra gentes de Sa-
cris Scripturis ita ſermocinatur: „ Suf-
„ ficiunt per ſe Sacrę, & Divinitus
„ inſpiratæ Scripturæ ad omnem ve-
„ ritatis indicationem: & in Epi-
ſtola ad Serapionem ait: „ Ne igitur
„ interroges, ſed ſolum ex Sacris lit-
„ teris condiſcas, ſufficiunt enim quæ
„ in illis reperias documenta: & in
„ Libro de Incarnatione Chriſti con-
tra Apollinarium ſic diſſerit. „ Hęc
ſcripſi, dilecti, tametſi nihil omnino
„ opus fuit, ut ſcriberem: Sufficit
„ enim per ſe Evangelica traditio.
Et in Epiſtola de Synodis Arimini,
& Seleuciæ contra Arianos ſic loqui-
tur. „ Fruſtra igitur circumcurſitan-
„ tes prætexunt ob Fidem ſynodos
„ ſeſe poſtulare, cum ſit Divina Scrip-
„ tura omnibus potentior: tandem
in Epiſtola feſtali ubi libros Canoni-
cos utriuſque Teſtamenti recenſuit,
iſta ſubiunxit: „ Hi ſunt fontes ſalu-
„ tares, ex quibus ſitiens haurire poſ-
„ ſit eloquia, in his ſolis pietatis
„ ſchola beatæ annuntiatur.

Quid tum? primum enim locum
ipſi Hæretici depravarunt, addentes
ei particulam *omnem*, quæ a Græcis S.
Athanaſii codicibus, & a libris latine
ditis abeſt, qui illum integrum tex-
tum ſic referunt: „ Sufficiunt quidem
„ per ſe rum ſacræ, & divinitus in-
„ ſpiratæ Scripturæ ad veritatis indi-
„ cationem: (*d*) tum plurimi de ea-
„ dem re Libri a Sanctiſſimis Magi-
„ ſtris conſcripti, quos ſi quis evol-
„ vat, intelliget aliquo modo ſcri-
„ pturarum mentem & fortaſſe eam,
„ quam cupit cognitionem adipiſce-
„ tur. Cæterum quia eas lucubratio-

(a) *Theod. lib. 1. Hiſt. Eccl. Cap. 7.*
(b) *Theod. ibi. Cap. 8.*
(c) *Ibi. Cap. 8.* (d) *S. Athan. in Orat. cont. Gentes pag. 1. & ſeq. Tom. 1.*

„ nes ad manum non habemus, ne-
„ ceſſum eſt, quæ ab illis didiceri-
„ mus, tibi ſcripto proferamus. Lo-
„ quar autem de noſtra in Salvato-
„ rem Fide.

In altero loco novas dictiones, quæ Ariani, & Pneumatomachi Filio, & Spiritui Sancto impie affingebant, S. Athanaſius ſic reiicit: „ Non enim
„ (a) Spiritus in ſacris litteris no-
„ minatus eſt filius, ne Frater Verbi
„ haberetur; neque Filius Filii, ne
„ avus illi eſſe exiſtimaretur: ſed Fi-
„ lius ibi Filius Patris eſt dictus, &
„ Spiritus Patris Spiritus Filii nomi-
„ natus eſt. Et ſic Trinitatis una eſt
„ Deitas, & una Fides. Hæc ſuffice-
„ re fidelibus: Fide tradita, non hu-
„ mana Sapientia, ſed auditione Fi
„ dei debere comprehendi.

Tertio autem in loco Apollinariſtarum errores, quibus Chriſti Humanitati mentem denegabant, ejuſque Corpus Deo eſſe Conſubſtantiale effutiebant, Athanaſius coarguit, & ait: „ Cur igitur (b) iſta ad fabulan-
„ dum excogitaris, verbis fictitiis
„ cauponantes, diluenteſque verbum
„ Dei. Atqui Dei Eccleſia ea non ita
„ accepit, neque tradidit.

Idem S. Doctor in Epiſtola de Synodis Arimini, & Seleuciæ Arianos, qui a Nicæno Concilio damnati, (c) Conſubſtantialis Vocabulum uti in Scripturis non extans inique abiiciebant, aliaſque Synodos requirebant, exagitavit, ac dixit, Scripturas quidem omnibus Synodis, non tamen *Traditione Apoſtolica potentiorem*: quippe qua iidem vocabulum ad refutandos Arianos valere, & neceſſarium eſſe defenderit: quare poſtquam Nicænos Epiſcopos docuit *Patribus incitatos eorum vocabulis uti voluiſſe*: tum Epiſtolam illam ita concludit: „ Vos
„ autem permanentes ſuper funda-
„ mentum Apoſtolorum, & Tradi-
„ tiones Apoſtolorum retinentes, op-
„ tate, quæſo, ut conquieſcat in po-
„ ſterum omnis Contentio, & Zelus,
„ & Hæreticorum ſtolidę quæſtiones
„ condemnentur.

Denique S. Athanaſius in Epiſtolæ feſtalis fragmento, quod ſupereſt, Canonicas Scripturas Apocryphis oppoſuit, ac dixit: „ Quando quidem
„ aggreſſi ſunt aliqui deſcribere ſibi
„ Apocrypha, quæ dicuntur, & ea
„ cum divinitus inſpirata Scriptura
„ confundere; de qua certiſſime per-
„ ſuaſi ſumus; quemadmodum tradi-
„ derunt Patribus, qui ab initio ſpe-
„ ctatores, & Miniſtri ſermonis fue-
„ runt: viſum eſt & mihi, inſtructo
„ a veſtris Fratribus Diſcipulo ab
„ initio ordine exponere Canonica,
„ & tradita, nec non credita Divina
„ Biblia, ut, quicumque deceptus
„ eſt, norit eos, qui in errorem in-
„ duxerant: ipſe autem purus per-
„ manens gaudeat in viam reductus.

Itaque Athanaſius *loquens de noſtra in Salvatorem Fide*, hæc duo ſui ſermonis fundamenta jecit, ſacram Scripturam videlicet, ac Traditionem: quæ duo principia diſtincta ad Catholicæ Fidei veritatem noſcendam & ſufficientia ſunt, & neceſſaria. Ea namque Athanaſius illis verbis conjunxit: *Sufficiunt quidem per ſe tum* Sa-

(a) *S. Athan. in Epiſt. ad Serapionem pag. 359. ibi.*

(b) *S. Athan. in lib. de Incarnatione.*

(c) *Pag. 673.*

Sacræ Scripturæ ad veritatis indicationem: tum plurimi de eadem libri a Sanctiſſimis Magiſtris conſcripti, quos ſi quis evolvat, intelliget Scripturarum mentem: Sed quia eorum Magiſtrorum lucubrationes Athanaſius ad manus non habebat: ideo ei *neceſſarium fuit, ut quæ ab illis didicerat*, quęque *de noſtra in Salvatorem Fide* dogmata erant, *ſcripto proferret*. Ergo non ſolæ Scripturæ Sacræ, ut Hæretici fingunt, ſed *tum ipſæ Scripturæ, tum* ab hiſce *diſtincti libri Sanctiſſimorum Magiſtrorum*, qui etiam *Scripturarum Mentem*, & Catholicam de *Salvatore Fidem* expoſuerunt, *ad veritatis indicationem ſufficiunt*. In his autem Magiſtrorum libris & Divina Scriptura, & Traditio non ſcripta proponitur: hæc igitur Traditio alterum principium *neceſſarium* eſt, ut *Scripturarum mens intelligatur, & Fides in Salvatorem diſcatur*. Hinc novas dictiones Sacris litteris contrarias prohibens, aſſeruit, Dogmata *ſufficere Fidelibus Fide tradita, non Humana Sapientia*, ſed *auditione Fidei:* quare & *ſufficiunt, quæ in Sacris litteris reperiuntur documenta*, & ea etiam, quæ *auditione Fidei*, atque adeo ſolo ſermone tradita ſunt; quorum utrumque eo loci, qui oppoſitus eſt, Athanaſius comprehendit. Prærerea non ſolum dixit, quod contra Appollinarem *ſufficit per ſe ſe Evangelica Traditio*, verum etiam quod ejus commenta *Eccleſia non accepit, neque tradidit*. Utraque igitur *Evangelii, & Eccleſiæ traditio ſufficiens eſt* ad Apollinaris, aliorumque hæreſes refutandas. Inde etiam monuit, ut in *Apoſtolorum traditione permaneamus*, ac tandem de *Canonicis Bibliis*, quę ut *tradita nobis* ſunt, cum Apocryphis non confunduntur, affirmat, *in his ſolis pietatis ſcholam annuntiari, quemadmodum tradiderunt Patribus, qui ab initio Miniſtri ſermonis fuerunt*. Ergo in Bibliis *Canonicis* prout *traditis*, atque adeo in ipſa Traditione pietatis ſchola annuntiatur; quia Patres hanc pietatis ſcholam *tradiderunt*. Quare particula *ſolius* excludit quidem Apocryphos libros, non autem Traditionem: quæ quoniam probat, in *ſolis Bibliis Canonicis*, ut ab Apocryphis ſecernuntur, *pietatem ineſſe:* ideo ipſa Traditio ſacrarum Scripturarum pietatem demonſtrans, Pia etiam eſt, atque Certa.

Mitto Auctorem Synopſeos Scripturarum S. Athanaſio falſo attributæ: in qua tamen auctor ille tum Scripturas Divinas *velut primitias Fidei*, tum *Sapientiam Magiſtrorum*, qui poſtea Apoſtolis ſucceſſerunt, & Fidei normam ſecuti ſunt, agnoſcit, atque commendat.

Exinde dicunt, quod S. Baſilius in aſceticis vetet, ea quæ ſcriptis mandata non ſunt introducere.

Verum Baſilius confeſſionem Fidei ibi expoſiturus, iſta præmiſit:
„ Dum igitur *(a)* adverſus hæreſes
„ vario tempore exortas pugnandum
„ eſſet, majorum exempla ſecutus,
„ conſequens eſſe exiſtimavi ut ejus,
„ quæ a Diabolo ſeritur impietatis
„ habita ratione, eas, quæ inducun-
„ tur blaſphemias vocabulis contra-
„ riis cohiberem, aut etiam everte-
„ rem: aliis, atque aliis verbis, pro-
„ ut ægrotantium utilitas cogebat,

(a) *Baſil. in Aſc. ſerm. Fid. pag.* 224.

„ uterer, quæ etiamſi ſæpe ſcripta
„ non invenirentur, tamen a pio
„ Scripturæ ſenſu non. abhorrebant,
„ quod Apoſtolus quoque non rarò
„ fecit.... quæ verò præter Dictio-
„ nis novitatem novum etiam, &
„ peregrinum ſenſum nobis exhibent,
„ quæque non inveniuntur uſurpata
„ a Sanctis, ea uti peregrina, & a
„ pia Fide aliena averſarer.... ma-
„ nifeſtus a Fide lapſus eſt, ac ſu-
„ perbiæ crimen, ſi quis aut quic-
„ quam eorum, quæ ſcripta ſunt,
„ reprobet, aut aliquid ex iis, quæ
„ ſcriptis mandata non ſunt, intro-
„ ducat... omnem itaque vocem, ac
„ ſententiam a Domini Doctrina
„ alienam ſic nos ſemper, & nunc
„ fugere ſtatuimus.

Baſilius igitur *uſus* eſt *vocabulis iis*, quæ quidem *ſcripta non erant*, ſed tamen a *pio Scripturæ ſenſu* adeo *non abhorrebant*, ut *contraria* eſſent *hæreſibus*: a quibus ea verba adhibebantur, quæ *novum*, ac *peregrinum ſenſum*, atque a *Domini Doctrina*, *alienum exhibent*, *ac non inveniuntur a Sanctis uſurpata*. *Scripta* ergo, quæ his Baſilius adiungit, & Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum opera ſunt: ii enim *Maiores* ab eo vocantur, qui averſati Hæreticorum *blaſphemias*, iſtorum voces utpote *alienas a Fide non uſurparant*. Qui igitur aliquid ex iis, quæ Prophetarum, Apoſtolorum, & *Sanctorum Patrum ſcriptis mandata non ſunt*, *introducit*: is in *Fide lapſus* eſt, quoniam ea verba *aliena a Domini* doctrina adhibet, quæ neque a Sacris Scriptoribus, neque a *Sanctis Patribus uſurpata* fuere: quare Baſilius indicat *Fidem a Sanctis* Patribus traditam, & adverſus hæreſes propugnatam: nam ex eo, quod Hæreticorum *verba peregrinum ſenſum exhibentia a Sanctis uſurpata non inveniuntur*, illico colligit, ea vocabula *aliena eſſe a pia Fide*.

Adverſarii addunt, quod Baſilius doceat, Dogmata Divinis Oraculis conſona eſſe debere.

Verum S. Doctor de tribus Divinis Hypoſtaſibus Patris & Filii, & Spiritus Sancti, qui tres Perſonæ diſtinctæ, & unus Deus ſunt, ita ratiocinatur: „ Qui nos (a) ſic incu-
„ ſant, quod tres hypoſtaſes confitea-
„ mur: criminantur, quod unam
„ bonitatem, & unam potentiam, &
„ unam Divinitatem dicamus, neque
„ id extra veritatem: dicimus enim.
„ Sed criminando obiiciunt, non ſic
„ ſuam habere conſuetudinem, nec
„ Scripturam aſſentiri, quid igitur
„ ad hoc quoque nos? Non putamus
„ æquum eſſe, ut vigentem apud ip-
„ ſos conſuetudinem, rectæ doctrinæ
„ legem, & normam ducamus, ete-
„ nim ſi valet ad rectæ doctrinæ de-
„ monſtrationem conſuetudo, licet &
„ nobis profecto uſitatum apud nos
„ morem opponere, quod ſi hunc illi
„ reiiciunt, neque nobis prorſus il-
„ los ſequi neceſſe. Itaque ſcriptura
„ divinitus inſpirata nobis ſit arbi-
„ tra; & apud quos inventa fuerint
„ Dogmata Divinis verbis conſona,
„ ad eos accedet omnino veritatis
„ ſuffragium. Quodnam igitur cri-
„ men eſt? Duo enim ſimul in ac-
„ cuſatione nobis illata obiecerunt;
„ Unum, quod dividamus hypoſta-
ſes;

(a) S. *Baſil. Epiſt.* 189. *pag.* 277. *num.* 3. *Tom.* 3.

„ ſes; alterum quod nullum ex nominibus, quæ Deo conveniunt, pluraliter, numeremus, ſed unam: ut dictum eſt, bonitatem, & potentiam, & divinitatem, & quæcumque talia ſunt, ſingulariter enuntiemus.

Cum igitur Baſilii ævo aliqui tres quidem Divinas Perſonas, quæ unus Deus ſunt, faterentur, ſed unam hypoſtaſim dicendam eſſe contenderent: his plerarumque Eccleſiarum *Morem*, quo tres Hypoſtaſes Patris, & Filii & Spiritus Sancti, & *una* earum *Divinitas* affirmabantur, Baſilius oppoſuit, & Scripturam *arbitram*, ſive regulam, cui ea Dogmata *conſona* ſunt appellavit, & addidit, quod illi criminabantur, ab ipſo Hypoſtaſes *dividi*: atqui antea ei *Traditione* probaverat, tres Divinas Hypoſtaſes diſtinctas quidem eſſe, ſed indiviſas. Ergo etiam Traditionem ut arbitram habuit & regulam, quę ex Sacris Apoſtoli litteris oſtenditur, eiſque adeo conſona eſt.

Rivetus obtendit, S. Cyrillum Hieroſolymitanum Epiſcopum Cathecheſi XVI. ita loqui: „ Dicemus de Spiritu Sancto ea tantum, quæ ſcripta ſunt; quod autem ſcriptum non eſt, non ſcrutemur curioſe: Tum Cathecheſi ſequenti iſthęc alia pertexit. „ Humanis rationibus, & inventis non utemur etiam hodierno die, minime enim expedit: Sed divinarum dumtaxat Scripturarum ſententias memoriæ ſuggeremus.

At verò idem S. Cyrillus utraque in Cathecheſi diſſerit adverſus eos Hæreticos, qui vel ſeipſos Spiritum Sanctum eſſe impie fingebant; vel Spiritum Sanctum, qui vetus teſtamentum Prophetis dictavit ab eo, qui in novo Teſtamento locutus eſt, alium eſſe comminiſcebantur: contra quos errores Cyrillus utroque in loco demonſtrat Spiritus Sancti Divinitatem, ipſumque eundem credi, qui in veteri, & novo locutus eſt Teſtamento. Quare in priori Cathetheſi poſtquam & illa verba fecit, quæ à Riveto immeritò opponuntur, & ea Hæreticorum deliria deſcripſit: tum ait: „ Hæc igitur (a) a nobis de ejectis illis dicta ſunto. Deinceps verò ad Scripturas Divinas revertamur. Et bibamus aquas de vaſis noſtris Sanctis Patribus. Atque etiam in altera Cathecheſi prolatis illis, quæ Rivetus affert iſta ſubjunxit: „ Ne autem (b) ob diverſas Sancti Spiritus appellationes nonnulli, ex ignorantia diverſos hos, eſſe Spiritus & non unum, ac eundem, qui quidem ſolus eſt, arbitrarentur: idcirco Eccleſia Catholica ſecuritatis tuæ provida, tradidit in Fidei confeſſione, ut crederemus in unum Sanctum Spiritum Paraclitum, qui loquutus eſt in Prophetis.

Non igitur Sanctas Scripturas ſolum, ſed etiam *Patres*, & Eccleſiæ traditionem Cyrillus ſic docet, ut, quod *ſcriptum non eſt*, quodque *Eccleſia de Spiritu Sancto tradidit*, equidem *credamus, ſed non curioſè ſcrutemur;* eam quippe *Fidem* ab Eccleſia *traditam* poſtea adiungit. Quare iſta ejus locutio, *dicemus, ea tantum quæ ſcripta ſunt*, excludit *tantum humanas* ra-

(a) *S. Cyril. Hieroſ. Cath.* 16. *num.* XI.

(b) *S. Cyril. Hieroſ. Cath.* ,

rationes curioſas: ad has enim repellendas deinceps eaudem illam adhibet vocem, qua ait, *Divinarum* dumtaxat *Scripturarum ſententias etiam hodierno die memoriæ ſuggeremur*: quo proinde enuntiato humana invenra, ac rationes, quas proxime præmiſerat, non Divinam Eccleſiæ traditionem excluſit; quippe quia ad confurandos Hæreticos & Divinis Scriprnris, & iis, quæ *Eccleſia tradidit*, apertiſſime utitur.

Deinceps opponitur, a S. Joanne Chyſoſtomo, dum Epiſtolam II. ad Corinthios enucleat, Scripturam Divinam *rerum omnium lancem*, ac normam vocari.

Videamus autem integrum Chryſoſtomi textum: qui adverſus Divites, qui opibus abutuntur, ita diſceptat: „ Annon (a) abſurdum fuerit, nos, „ cum de pecuniis agitur, aliis Fidem non habere, ſed numero, & „ calculo id committere. Cum autem de rebus judicandum eſt; in „ aliorum Opiniones temere trahi: „ idque cum exactam rerum omnium „ Lancem, ac Normam & adamuſſim „ habeamus, nempe Divinarum Legum ſententiam? Quocirca vos „ omnes rogo, atque obſeero, ut „ quod Hic, aut ille de his rebus „ ſentiat, nihil morantes, Scripturas „ Sacras de his conſulatis, & quæ „ verę ſint opes, cognoſcearis.

In his Chyſoſtomus (b) non ait Scripturam Sacram eſſe rerum omnium *lancem*; ſed dixit, *exactam rerum omnium Lancem, ac Normam eſſe Divinarum legum Sententiam*; quæ videlicet *res omnes*, quæ ad Fidem, & Mores ſpectant complectitur: Sic enim *exacta eſt rerum omnium Norma*. Atqui Chryſoſtomus ubi eam Epiſtolam Pauli ad Corinthios explicuit: exinde alteram ejuſdem Apoſtoli ad Theſſalonicenſes epiſtolam explicans, liquido, uti vidimus, animadvertit, quod Apoſtoli *non omnia tradiderunt per Epiſtolam, ſed multa etiam ſine ſcriptis, & ea quoque ſunt Fide digna. Quamobrem Eccleſiæ traditio Fide digna eſt*. Ergo ſecundum utramque Chryſoſtomi ſententiam *Lex Divina* utpote exacta rerum *omnium norma* comprehendit & *multa*, quæ *Apoſtoli* per Epiſtolam docuerunt, & *multa*, quæ *ſine ſcriptis tradiderunt*, quæ omnia Fide *digna ſunt*, & *Fide dignam Eccleſiæ traditionem* exhibent: quæ proinde *omnia* ad Fidem, & mores pertinentia, quæ Divina lex continet, *traduntur*, explicantur, creduntur. *Multa* igitur docenria, quæ vere ſint opes, ex Divinis Scripturis cognoſcuntur: ac *multa* Fide digna, quę Apoſtoli ſine *Scriptis Eccleſiæ tradiderunt*, *traditio* complectitur.

Poſtea opponitur, Theophilum Alexandrinum Epiſcopum, Epiſtola II. Paſchali dixiſſe. „ Quod Diabo„ lici Spiritus eſt, aliquid extra Scripturarum auctoritatem putare Divinum. Illud

(a) *S. Joan. Chryſ. homil.* 13. *in* 2. *Epiſt. ad Corinth. num. IV. Tom. X.*

(b) *Nota. Affertur homilia Chriſoſtomi in Pſal.* 95., *& homilia* 45. *operis imperfecti in Matthæum, quarum utraq. homilia ſpuria eſt, & Chryſoſtomo ſuppoſita, uti etiam opus iſtud in Matthæum eidem Chryſoſtomo falsò attribuitur; in quo tamen ſcripturæ adducentæ dicuntur contra Hæbreos tempore Antichriſti.*

Illud autem mihi in mentem venit, a Theophilo ibi hæreſes Origenis exagitari, ad quas temere invehendas is & philoſophorum ſophiſmatibus, & libris Apocryhis abutebatur. Contra quos errores Theophilus primum Eccleſiæ auctoritatem adhibuit, eamque ex certis Divinis Scripturis, exque Traditione ita oſtendit: „ Dominus (*a*) qui locutus eſt ad „ Prophetam, ecce conſtitui te hodie „ ſuper gentes, & regna eradicare, „ & ſuffodere, & diſperdere, & rur- „ ſum ædificare, ac plantare, ſingu- „ lis temporibus eandem Eccleſiæ ſuæ „ largitur gratiam: ut integrum cor- „ pus conſervetur, & in nullo Hæ- „ reticorum dogmatum venena præ- „ valeant: Quod quidem nunc vide- „ mus expletum. Nam Eccleſia Chriſti, quæ *non habet maculam, neque rugam*, (*b*) aut aliquid iſtiuſmodi „ egredientes de Cavernis ſuis Ori- „ genis Colubros Evangelico enſe „ truncavit. Deinde Origenem (*c*) ait ignoraſſe. „ quod Demoniaci Spi- „ ritus eſſet inſtinctus ſophiſmata hu- „ manarum mentium ſequi, & aliud „ extra Scripturarum Auctoritatem „ putare Divinum... abiectis itaque „ Origenis malis, & Scripturarum, „ quæ vocantur Apocrypha, id eſt, „ abſcondita, Diſcipulis prætermiſſis „ iterum, atque iterum Dominicæ „ paſſionis feſta celebremus.

Ergo hoc *aliud extra Scripturam putatum Divinum* eſt quodcumque *Apocryphum* opus, quod & Origenes admiſit, & Theophilus addidit: atqui Apocrypha ſolum *extra Scripturarum* auctoritatem ſunt, ſive Divinarum Scripturarum auctoritate carent. Hæc igitur Apocrypha Origenes *inſtinctu Diabolico putabat Divina*, cum Divinæ Scripturæ *auctoritate* prorſus carerent, hoc eſt, extra Divinam auctoritatem eſſent. Non ergo, Traditionem, ſed *Apocrypha* abiecit Theophilus; is enim diſerte indicavit, Origenem in eo erraſſe, quod *Diabolico inſtinctu Apocrypha putaret Divina*. Porro autem iſtos *Origenis colubros Eccleſia Evangelico enſe truncavit*. Hanc igitur *Auctoritatem* Eccleſiæ, quæ nonniſi ex Traditione Evangelia Divina affirmarat adverſus Origenem, & hujus Apocrypha *abiecerat*, Theophilus attulit; ac ſic non Eccleſiam, non ejus auctoritatem, non denique ipſius Traditionem, ſed ſola Apocrypha *extra Scripturarum auctoritatem eſſe* monſtravit.

Tum vero obiicitur, quod Hieronymus in Epiſtola ad Cteſiphontem ait, „ omnes oblatrationes eo- „ rum Chriſti auxilio deſtruendæ, „ quod nobis Sanctarum Scriptura- „ rum teſtimoniis aſſerendum eſt. „ Atque illud Micheæ 1, *quæ habitat in Civitatibus, non eſt egreſſa*, ita interpretatur, „ quæ habitat bene, & „ in toto orbe Eccleſias poſſidens, „ Spiritus unitate conjuncta eſt, & „ habet urbes legis, Prophetarum, „ Evangelii, & Apoſtolorum; non „ eſt egreſſa de finibus ſuis, id eſt, „ de ſcripturis Sanctis, ſed cæptam „ retinet poſſeſſionem, „ ac prius Aggæi caput ediſſerens, hæc habet: „ Alia, quæ abſque auctoritate, & „ te-

(a) *Ter. 1. Theoph. Alex. Epiſt. ad Epiph. Tom. 1. Epiſt. Hieronimi.* (b) *Epheſ. V.*

(c) *Theoph. Epiſt. 2. Paſch.*

,, teſtimoniis Scripturarum quaſi Tra-
,, ditione Apoſtolica ſponte reperiunt,
,, atque confingunt, percutit gladius
,, Dei. Præterea dum Caput 24.
S. Matthæi enucleat: id profert, quod
,, de Scripturis non habet auctorita-
,, tem eadem facilitate contemni-
,, tur, qua probatur. Denique Ca-
put 1. Epiſtolæ ad Titum expli-
cans: dicit; ,, Sine Scripturarum
,, auctoritate garulitas non habet
,, Fidem.

Verum priore loco S. Hieronimus refellit Pelagium, qui Pythagoram, & Zenonem Stoicum ſequens, perturbationum animi immunitatem in juſtis viventibus eſſe, errore aſſerebat; quem Hieronimus ita coarguit: ,, Si contraria (a) noſtro dogmati
,, dixeritis, in eo vincemus quod
,, omnes cognoſcent Eccleſiæ, quid
,, ſentiatis... Diverſa ſcripſi Opuſ
,, cula, ſemperque habui ſtudio.
,, audientibus loqui, quod publice
,, in Eccleſia didiceram, nec Philo-
,, ſophorum argumenta ſectari, ſed
,, Apoſtolorum ſimplicitati acquie-
,, ſcere... Omnes oblatrationes eo
,, rum Chriſti auxilio deſtruendæ,
,, quod nobis Sanctarum Scriptura-
,, rum teſtimoniis aſſerendum eſt.

Hieronimus igitur & in ſuis opuſculis, *ſcripſit*, & *audientibus locutus eſt*, quod publice in *Eccleſia didicerat*. Sicut ergo Hieronimus dumtaxat *loquens* plura dogmata audientibus tradidit; ita, ipſe tantummodo *audiens* iſta dogmata in Eccleſia tradente didicerat, quippe qui diſcendi verbum addiderit voci loquendi: qua proinde *Eccleſiæ* traditionem, quam ipſe loquebatur, adſignificavit contra Philoſophorum, & Pelagianorum *argumenta*, qui *juſtis* hominibus illam perturbationum immunitatem adſcribebant: quas *omnes* errantes *oblatrationes* Chriſti auxilio ſcripturarum teſtimoniis, & Eccleſiæ Doctrina deſtruendas haud obſcure voluit; quoniam aperte prius advertit, quod omnes Eccleſiæ cognoſcent contraria illi Dogmati, quodque in hoc ipſe vinceret, qui audientibus *locutus eſt*, atque adeo tradidit, quod in Eccleſia didicerat: quæ omnia commonſtrant, *Scripturæ teſtimoniis*, & Eccleſiæ traditione Pelagii *oblatrationes deſtrui*, atque *convinci*.

Ad alterum textum Micheæ verba explicantem S. Doctor hæc ſtatim adjungit: ,, Vos verò, (c) qui ha-
,, bitatis juxta Sennam, id eſt, ju-
,, xta abundantem Eccleſiam, ò Hæ-
,, retici, ò contraria Dogmata!
,, plangite vos: quia edificaſtis vo-
,, bis Domum in deriſum.

Eccleſiæ itaque *abundanti contraria eſſe Hæreticorum Dogmata Hieronimus* voluit, quia Eccleſiam laudavit, & continuo adſtitnit, iſta errantia Dogmata *contraria* eſſe, utique eidem *Eccleſiæ*: quoniam erroribus iis ducuntur, qui contrarii ſunt *Eccleſiæ* Doctrinæ: ob quam *Eccleſia* de finibus ſuis, hoc eſt, de Sacris Scripturis ideo non egreditur: quod *abundans* eius doctrina *Hæreticis dogmatibus contraria*, qua ſcilicet contra Hæreticos certas divinas Scripturas ex Traditione recenſet, & explicat,

non

(a) *S. Hieron. Epiſt. 133. ad Cteſiphon. num. 11. & ſequ. Tom. 1.*

(c) *S. Hieron. lib. 1. com. in Mich. Cap. I. Tom. VI.*

non egrediatur de ipſis litteris ſacris, quibus *Traditiones* per Sermonem docentur. Nam ex Hieronymo *Hæreticorum dogmata contraria* ſunt Eccleſiæ doctrinæ, quæ in Scripturis Sanctis, & Traditione non ſcripta, quam idem Hieronymus in probatione adlegatus commendavit, certe fundatur; qui proinde hoc loco Traditionem haudquaquam excludit, ſed ipſam ex eo, quod Hæreticorum dogmata ſint *Eccleſiæ* contraria, haud obſcurè ſignificat.

In alio loco Hieronymus contra Montaniſtas, qui in anno tres quadrageſimas faciebant, diſceptat: cujus diſſertatio, ut clarius percipiatur, prius proferam ejus verba, quæ de una Catholicorum quadrageſima, & de tribus illorum Hæreticorum quadrageſimis fecit. „ Nos (inquit) unam (*a*) quadrageſimam ſecundum traditionem Apoſtolorum, toto nobis orbe congruo, Jejunamus: illi tres in anno faciunt quadrageſimas quaſi tres paſſi ſint Salvatores. „ Contra haſce tres quadrageſimas a Montaniſtis invectas Hieronymus diſſerit, dum Aggæum de Jumentis loquentem ſic explicat. „ Alia quæ abſque (*b*) auctoritate, & teſtimoniis ſcripturarum, quaſi traditione Apoſtolica ſponte reperiunt, atque confingunt, percutit gladius Dei. Homines autem, & jumenta, vel cognitiones, & ſenſus eorum accipiamus, vel certe rationabiles in eis, & irrationabiles, id eſt, doctos, & indoctos pariter, & omnem laborem manuum, & jejunia eorum, & obſervationes varias, id eſt, humi dormitiones, qui tribus quadrageſimis per annum jejunantes, & Xerophagiis humiliantes animam ſuam, & vel maxime de Tatiani radice creſcentes ſuper hujuſmodi laboribus audiunt: tanta paſſi eſtis ſine cauſa.

Quocirca Hieronymus tribus illis quadrageſimis, quas Montaniſtæ de Tatiani radice creſcentes vani obſervabant, primitus oppoſuit *unam* quadrageſimam *ſecundum traditionem Apoſtolorum*. Cum autem illi Hæretici eas tres quadrageſimas quaſi ex *Apoſtolica* traditione ita *fingebant*, quaſi tres paſſi ſint Salvatores: tum S. Doctor, ut hoc figmentum everteret, ad ſacras Scripturas recurrit; quæ unum Salvatorem, non tres paſſos eſſe ſignificant; ſine quarum proinde *auctoritate*, & *teſtimonio* Montaniſtæ commenta ſua conſtruxere: contra quæ Hieronymus, & Scripturarum *teſtimonia*, quibus unus tantum Salvator paſſus eſſe monſtratur, & *Apoſtolorum veram traditionem*, qua non tres in anno, ſed una quadrageſima obſervanda docetur, adhibuit; & utriuſque ratione falſam Montaniſtarum traditionem, quam è fictitiis tribus Salvatoribus paſſis eruebant, abjecit, ac refutavit.

Atque ut altera de S. Matthæi Evangelio explicatio, qua Hierony-

E mus

(a) *S. Hieron. epiſt.* 42. *alibi cit. Tom. I.*

(b) *Hier. Comment. in Agg. Cap. I. num.* 11. *Tom. VI.*

(c) *Prætermittendus eſt commentarius in Pſalmos S. Hieronymo ſuppoſitus; in quo tamen Auctor ſolum reprobat quædam dicta aliena ab Apoſtolorum doctrina.*

mus uſus eſt, declaretur: hujus præfatio in ipſum Evangelium afferenda eſt: in qua de ſuſcipiendis quatuor tantum Evangeliis, deque rejiciendis multis apocryphis, quæ Hæretici finxerant S. Doctor ſic egit: „ Eccleſia „ autem *(a)* quæ ſupra petram Do„ mini voce fundata eſt... quatuor „ flumina Paradiſi inſtar eructans: „ quatuor & angulos, & annulos „ habet .... Quibus cunctis perſpi„ cue oſtenditur, quatuor tantum „ Evangelia debere ſuſcipi, & om„ nes apocryphorum nænias mor„ tuis magis Hæreticis, quam Eccle„ ſiaſticis viris canendas, „ Exinde de Zacharia Barachiæ filio occiſo inter Templum, & Altare, uti in Matthæi Evangelio ſcriptum eſt, Hieronymus plures aliquorum opiniones referens ait. „ Alii Zachariam *(b)* patrem „ Joannis intelligi volunt, ex qui„ buſdam apocryphorum ſomniis „ approbantes, quod propterea occiſus „ ſit, quia Salvatoris prædicaverit „ adventum. Hoc, quia de Scriptu„ ris non habet auctoritatem, eadem „ facilitate contemnitur, qua proba„ tur.

Unde ſecundum *Eccleſiam*, & *Eccleſiaſticos*, qui ex Traditione *quatuor tantum Evangelia ſuſceperunt*, *apocryphorum ſomnia* Hieronymus repulit, è quibus aliqui *approbabant illum Zachariam*, de quo diſputabat, patrem *Joannis* fuiſſe: quod *quia de Scripturis non habet auctoritatem, contemnitur*. Porro autem Scripturæ iſtæ Evangelia ſunt, quæ Zachariam Barachiæ filium occiſum inter Templum, & Altare narrant. Atqui quatuor Evangelia tantum debere ſuſcipi, ex *Eccleſiæ* auctoritate, quæ *ſupra petram Domini voce fundata eſt*, Hieronymus prius evicit: ergo iſtud poſterius de *Scripturis*, quas *Eccleſia ſuſceperat*, atque tradiderat, intellexit: ob quod Hieronymus *Eccleſiam* veras Scripturas tradentem, atque adeo ejus traditionem amplexus, ſolos apocryphos libros, eorumque *ſomnia*, quæ de Scripturis ab *Eccleſia* traditis, & in ea quæſtione propoſitis, auctoritatem non habent, *facilius contempſit*.

Ultimo in loco Hieronymus adverſus Hebræos hæc dixit: „ Et qui„ dem *(c)* ſine Scripturarum auctori„ tate garrulitas non haberet fidem: „ niſi viderentur perverſam doctri„ nam Divinis teſtimoniis roborare. „ Hi ſunt de circumciſione Judæi, „ qui tunc temporis naſcentem Chri„ ſti Eccleſiam ſubvertere nitebantur, „ & introducere præcepta legalia.... „ Tales homines Doctor Eccleſiæ, cui „ animæ populorum creditæ ſunt, „ Scripturarum debet ratione ſupera„ re, & ſilentium illis teſtimoniorum „ pondere imponere.

Non igitur Apoſtolorum traditio, ſed Hebræorum *garrulitas ſine Scripturarum auctoritate fidem non habet*; quorum *perverſa doctrina* adverſus *Chriſti Eccleſiam* pronuntiata, *Scripturarum*, quas ipſi admittunt, *teſtimoniis ſuperatur*. Non ergo iis Hieronymus Traditiones, quas Apoſtolus docet, excluſit, ſed *perverſam doctrinam Judæorum*, contra quos Sacris litteris decertandum eſt, tantummodo reprobavit. De-

(a) *S. Hier. Præfat. in Evang. S. Matth. T.* 1.
(b) *S. Hier. lib.* 4. *comm. in Matth. Cap.* 24. *Tom. VII.*
(c) *S. Hier. lib. comm. Epiſt. ad Titum Cap.* 1. *Tom.* 7.

Denique Hæretici obtendunt Auguſtinum ita loquentem: ,, In iis quæ ,, (*a*) aperte in Scriptura poſita ſunt, ,, inveniuntur illa omnia, quæ con- ,, tinent fidem, moreſque vivendi. Pręterea ait: ,, Ubi de re obſcuriſ- ,, ſima (*b*) diſputatur, non adjuvan- ,, tibus Divinarum Scripturarum ,, certis, clariſque documentis, cohi- ,, bere ſe debet humana pręſumptio. & iterum dicit: ,, Quid amplius te do ,, ceam, quam (*c*) id, quod apud ,, Apoſtolum legimus? Sancta enim ,, Scriptura noſtræ doctrinæ regulam ,, figit. ,, Tum etiam contra Maximinum ſic diſputat: ,, Nunc (*d*) nec ego Ni- ,, cænum, nec tu debes Ariminenſe, ,, tanquam præjudicaturus, proferre ,, Concilium. Nec ego hujus auctori- ,, tate, nec tu illius detineris. Scri- ,, pturarum auctoritatibus, non quo- ,, rumque propriis, ſed utriuſque com- ,, munibus teſtibus, res cum re, cau- ,, ſa cum cauſa, ratio cum ratione ,, concertet.

Quid amplius dicam? ipſe Auguſtinus (*e*) priori in loco de legendis Canonicis Scripturis pertractat, aitque: ,, Illa, quæ in eis aperte poſita ,, ſunt vel præcepta vivendi, vel regulæ ,, credendi, ſolertius, diligentiuſque ,, inveſtiganda ſunt... in iis, quæ ,, aperte in Scriptura poſita ſunt, in- ,, veniuntur illa omnia quæ continent ,, fidem, moreſque vivendi... Erit ,, igitur Divinarum Scripturarum ſo- ,, lertiſſimus (*f*) indagator, qui pri- ,, mò totas legerit, notaſque habue- ,, rit, etſi nondum intellectu, jam ,, tamen lectione, dumtaxat eas, quæ ,, appellantur canonicę... in Cano- ,, nicis autem Scripturis Eccleſiarum ,, catholicarum quamplurium aucto- ,, ritatem ſequatur.

Primum igitur illæ *canonicæ Scripturæ* credendæ ſunt, quas Sacrarum litterarum numero accenſuit, *Eccleſiarum catholicarum* quamplurium auctoritas; quæ Eccleſia ex *traditione* Apoſtolorum, uti idem Auguſtinus poſtea adducendus declarat, illas divinas Scripturas accepit. Hic ergo S. Doctor in *Eccleſiarum catholicarum quamplurium auctoritate* Apoſtolicam etiam traditionem intelligit, ſecundum quam Divinorum credendorum librorum numerum Eccleſia catholica ſtatuit. Quamvis autem ea *omnia quæ continent fidem moreſque vivendi*, in ſcripturis aperta, & quædam obſcura earum loca ex aliis *evidentioribus* ipſarum documentis explicanda, edoceat Auguſtinus: is tamen addit, quod eadem omnia *primo intellectu nota non ſint:* quæ proinde aliquantum, non prorſus aperta, ideoque ex Eccleſiæ *auctoritate* aperienda ſignificat: quæ Eccleſiæ auctoritas cum & Scripturas Divinas, & *Apoſtolicam traditionem* proponat, ſicut Auguſtinus in ſuperioribus adlegatus adverſus Donatiſtas pronuntiavit: jam ſequitur, ut hic quidem ea omnia dogmata, quæ explicite, uti aiunt, creduntur, & ab Eccleſia explicantur, intellexerit: non tamen alia, quæ Traditio continet in

(a) *S. Auguſ. lib. 2. de Doctr. Chriſti C. IX.*
(b) *S. Auguſt. lib. 2. de pecc. merit. & remiſs. Cap. 3* (c) *S. Auguſt. lib. de bono viduitatis Cap. I.* (d) *S. Auguſt. lib. 3. contr. Maxim. Cap. 14.*
(e) *S. Auguſt. lib. 2. de Doctr. Chriſti Cap. IX. pag. 21. Tom. 3.*
(f) *Ibid. Cap. 12. pag. 23.*

Scripturis Sacris exarata eſſe voluerit: quia E. C. non rebaptizandorum Hæreticorum rite baptizatorum dogma in *Apoſtolorum litteris* non inveniri, ſed ab eorum traditione manaſſe, Auguſtinus aſſeruit: qui proinde certas divinas Scripturas, certam earum ut pote *intellectu* difficilium obſcuritatem, certamque traditionem denuntiavit.

In alio autem libro contra Pelagium Auguſtinus protulit, quæſtionem de traduce originalis peccati in ſacris litteris obſcuriſſimam eſſe, quo non obſtante inibi, & aliis in libris peccatum originale ex Scripturis, exque *Eccleſia*, & *majorum* traditione idem S. Doctor oſtendit, & intelligentes hominum animas a Deo creari, alibi, ut ſæpe diximus, adſignificavit.

At verò alterum teſtimonium S. Auguſtini producamus, qui de profeſſione viduitatis agens ad Julianam viduam id ſcripſit: „ Cum igitur (a) „ in omni quæſtione, quæ ad vitam, „ moreſque pertinet, non ſola do- „ ctrina, verum etiam exhortatio ſit „ neceſſaria, ut doctrina quid agen- „ dum ſit noverimus, exhortatione „ autem excitemur, ne pigeat agere, „ quod agendum eſſe jam novimus: „ quid ego amplius te doceam, quam „ id, quod apud Apoſtolum legimus? „ Sancta enim Scriptura noſtræ do- „ ctrinæ regulam figit... Non ſit „ ergo mihi aliud te docere, niſi „ verba tibi Doctoris exponere.

Hic duo Auguſtinus affirmat, & his Apoſtoli verbis non univerſalem omnium dogmatum, ſed particularem de viduitatis bono *regulam figi*, & hanc neceſſario explicandam eſſe *doctrina* ſua, de qua dicit, quod in his quæ ad *vitam*, *moreſque pertinent*, *non ſola doctrina*, *verum etiam exhortatio ſit neceſſaria*. *Non ſit ergo mihi aliud te docere*, *niſi verba tibi Doctoris exponere*. Itaque Scripturæ quidem *regulam figit*, ſed *expoſita* ſecundum Patrum *doctrinam* in ipſa non ſcriptam, quippe quæ etiam *ſit neceſſaria*, ſicut & exhortatio.

Ultimo in loco S. Doctor adverſus Maximinum Arianum, qui Nicænum I. Concilium pertinaci errore non recipiebat, Chriſtum *verum Deum* eſſe probavit hoc modo: „ Pater „ (b) ergo, & Filius unius ſunt, „ ejuſdemque ſubſtantiæ, hoc eſt Ho- „ mouſion, quod in Concilio Nicæno „ adverſus Arianos hæreticos a ca- „ tholicis Patribus veritatis auctori- „ tate, & auctoritatis veritate fir- „ matum eſt. Quod poſtea in Con- „ cilio Ariminenſi propter novita- „ tem verbi minus, quam oportuit, „ intellectum, quod tamen fides an- „ tiqua pepererat, multis paucorum „ fraude deceptis, hæretica impietas „ ſub hæretico Imperatore Conſtan- „ tio labefactare tentavit. Sed poſt „ non longum tempus libertate fidei „ catholicæ prævalente, poſteaquam „ vis verbi, ſicut debuit, intellecta „ eſt Homouſion illud catholicæ fi- „ dei ſanitate longe, lateque defen- „ ſum eſt. Quid eſt enim Homou- „ ſion, niſi unius, ejuſdemque ſub- „ ſtantiæ? Quid eſt inquam, Homou- „ ſion,

(a) *S. Auguſt. lib. de bono Viduitatis Cap. 1. pag. 369. Tom. VI.*

(b) *S. Auguſt. lib. 2. contra Maximin. Cap. 14. num. 3. pag. 704. Tom. 8.*

„ ſion, niſi, *Ego, & Pater unum ſu-*
„ *mus?* (a) Sed nunc nec ego Nicæ-
„ num, nec tu debes Ariminenſe
„ tanquam præjudicaturus, proferre
„ Concilium .... utrique legimus,
„ *ut ſimus* (b) *in vero Filio ejus Jeſu*
„ *Chriſto, ipſe eſt verus Deus, & vita*
„ *æterna* utrique tanti ponderis mo-
„ libus cedamus.

Cum itaque Maximinus Arianus perfidiæ furore abreptus, Nicænam Synodum minime amplecteretur, & Ariminenſe Conciliabulum, quod Catholici rejiciebant, immeritò opponeret: tunc Auguſtinus quidem judicavit, propter illius Heretici protervíam non proferre Nicænum Concilium, ſed eum ſacris litteris vincere: quo tamen arguendi modo Auguſtinus Patrum traditioni, qui Dei Filium ejuſdem eſſe ſubſtantiæ cum Patre prius docuerant, neutiquam obfuit; quoniam expreſſe aſfirmavit, quod vocabulum Homouſion *antiqua fides pepererat*, quam cum Auguſtinus a ſcripturis, quas Maximinus ſuſcipiebat, diſtinxerit: id circo *ea fides antiqua* eſt Eccleſiæ, & Patrum, qui ante Nicænum Concilium conſubſtantialis vocabulum adhibuerunt, Traditio, atque Religio.

Quapropter oſtenſa Apoſtolorum traditione, *antiqua* etiam Patrum *fide* defenſa, ac demonſtrata eorum inerranti doctrina, ad Dallæi objectiones fuſius diluendas, ac refutandas, pergamus oportet.

§. IV.

Dallæi objectio, qua aliquas traditiones, & conſuetudines petit, diſſolvitur.

PRimum Cenſor adlegat S. Epiphanium, qui (c) docet, Eccleſiam „ ab Apoſtolica traditione habere, „ quod ter in hebdomada conveniret „ ad ſacram Synaxim. Ita Auguſtinus (d) non ſemel teſtatur, hanc „ univerſæ Eccleſiæ ante Cypriani „ tempora fuiſſe conſuetudinem, ut „ venientes ab hæreticis, a quibus „ eſſent baptizati, ab Eccleſia abſque „ novo baptiſmate reciperentur. Firmilianus in Ciliciæ, & Cappadociæ Eccleſiis alium ab omni memoria morem fuiſſe docet. Idem Auguſtinus Hieronymianam Scripturarum interpretationem cum LXX. „ Seniorum verſione comparans, (e) „ *Eccleſia*, inquit, *Chriſti tot hominum auctoritati ab Eleazaro tunc* „ *Pontifice ad hoc tantum opus electorum neminem prætulerunt*. Suum „ nobis, & ſibi conſentientium judicium Eccleſiarum illius temporis obtrudit. Nullum Eccleſiarum „ iſtius temporis fuiſſe hujus generis „ judicium ſatis oſtendit, vel ſequentium Eccleſiarum fides, quæ Hieronymi verſionem, ſeptuaginta abdicatis, tandem prætulit. Fulgentius ſuum & Auguſtini de puerorum ſine baptiſmo extinctorum æternis cruciatibus dogma velut „ certum fidei caput proponit, & „ interea cenſet, qui contradixerit, „ hæreticum haberi: *firmiſſime*, (f) in-

(a) *Joan. X.* (b) *1. Joan. 5.*
(c) *Dall. lib. 2. de uſu Patr. cap. 1. pag. 207. Epiph.* (d) *Aug. lib. 3. contra Donat. cap. 18.* (e) *Aug. lib. 18. de Civ. Dei: cap. 43.* (f) *Fulg.*

„ inquit, *tene, & nullatenus dubites*
„ *etiam parvulos... qui ſine ſacra-*
„ *mento ſancti baptiſmatis de hoc ſæcu-*
„ *lo tranſeunt, ignis æterni ſempiterno*
„ (*a*) *ſupplicio puniendos*. Venerabilis
„ Beda, *habet*, inquiebat, *Eccleſiæ fi-*
„ *des Dominum in carne paulo pluſquam*
„ *triginta tribus annis uſque ad ſuæ*
„ *tempora paſſionis vixiſſe. Sanctæ ſi-*
„ *quidem Romanæ & Apoſtolicæ Eccle-*
„ *ſiæ hanc ſe fidem tenere & ipſis te-*
„ *ſtatur indiculis, quæ ſuis in cereis an-*
„ *nuatim inſcribere ſolet, ubi tempus*
„ *Dominicæ paſſionis in memoriam po-*
„ *pulis revocans numerum annorum*
„ *ſemper triginta, & tribus annis*
„ *minorem, quam ab ejus Incarnatione*.
„ *Dionyſius ponat*, adnotat. Idem eo
„ dem loco docet, quod *Dominus XV.*
„ *luna*, feria VI. *Crucem aſcenderit*
„ *nulli licere dubitare Catholico*. Hæc
„ ſatis probant, me non ſine ratione
„ ambigere, num tamquam certo ve-
„ ra admittenda ea omnia ſint teſti-
„ monia, quæ Patres de Eccleſiæ ſui
„ temporis fide perhibent. Recur-
„ rendum eſt ergo vel ad Scripturam
„ ſacram, vel ad ratiocinationem,
„ vel ad Traditionem.

Ergo ad eas errantes Dallæi dubitationes expellendas Traditione, & ratiocinatione, quas ipſe admittit, utamur; quarum prior, nimirum Traditio, conſonis plurium, vel plerorumque veterum teſtimoniis comprobatur; ad quam *catholicam regulam* S. Auguſtinus antea laudatus ratiocinationes, quibus peccatum originale probat, direxit: a qua tamen *meliora*, aut *veriora*, ſive veriſimiliora aliquorum veterum documenta ſecrevit.

Hiſce perpenſis, ut ad ſacram ſynaxim, quam Dallæus ſiniſtre obtendit, accedam: etiam adnoto, primum Apoſtolorum conventum a S. Luca Evangeliſta ſic enarrari: *cum* (*b*) *introiſſent in cænaculum, aſcenderunt ubi manebant Petrus, & Joannes, Jacobus, & Andreas, Philippus, & Thomas, Bartholomæus, & Matthæus, Jacobus Alphæi, & Simon Zelotes, & Judas Jacobi. Hi omnes erant perſeverantes unanimiter in oratione cum Mulieribus, & Maria Matre Jeſu*. Synaxim vero, in qua communicatio corporis Chriſti fiebat, S. Paulus Apoſtolus ita exhibet: *convenientibus* (*c*) *ergo vobis in unum, jam non eſt Dominicam cænam manducare. Unuſquiſque enim ſuam cænam præſumit ad manducandum; & alius quidem eſurit: alius autem ebrius eſt.... Itaque* (*d*) *quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne; reus erit corporis, & ſanguinis Domini*.

Oratio igitur tantum apparet in priori Apoſtolorum conventu, qui proinde veluti genus a ſynaxi uti ejus ſpecie, quæ videlicet fideles *convenientes in unum, ac dominicam cænam manducantes* comprehendit, plane ſecernitur.

Et verò ea diſtincta S. Juſtinus Martyr Apoſtolorum temporibus proximus exhibuit, cum adverſus Paganos, qui Catholicorum conventus nequiter calumniabantur, hæc ſcripſit: „ Nos autem (*e*) poſtquam eum, „ qui fidem ſuam, & aſſenſum do-

„ ſtri-

(a) *Bed. lib. de temp. rat. cap. 45.*
(b) *Act. 1. ver. 13. & ſeq.* (c) *Ad Cor. XI. verſ. 20. 21.* (d) *Ver. 27.*
(e) *S. Juſt. apol. 2. num. 64.*

„ ſtrinæ noſtræ teſtatus eſt, ſic ablui-
„ mus: ad eos, qui dicuntur fratres,
„ deducimus, ubi illi congregati ſunt;
„ communes preces, & pro nobis
„ metipſis & pro eo, qui illuminatus
„ eſt, & pro aliis ubique omnibus
„ intento animo facturi.... Ac ſo-
„ lis, ut dicitur, die omnium ſive
„ urbes, ſive agros incolentium in
„ eundem locum fit conventus; &
„ commentaria Apoſtolorum, aut
„ ſcripta Prophetarum leguntur, quo-
„ ad licet per tempus. Deinde ubi
„ lector deſiit is, qui præeſt, admo-
„ nitionem verbis, & adhortationem
„ ad res tam præclaras imitandas ſu-
„ ſcipit: poſtea omnes ſimul conſur-
„ gentes; & preces emittimus, atque,
„ ut jam diximus, ubi deſiimus pre-
„ cari, panis adfertur, & aqua; &
„ qui prçeſt, preces, & gratiarum
„ actiones totis viribus emittit, &
„ populus acclamat, amen, & eorum,
„ in quibus gratiæ actæ ſunt, diſtri-
„ butio fit, & communicatio.

S. Epiphanius eo loci, quem Dallæus non affert, ſed immerito objectat, conventus, & ſynaxes hac diſtinctione laudavit: „Sacri porro con-
„ ventus, (a) & ſynaxes ab Apoſto-
„ lis inſtituti ſunt his potiſſimum
„ diebus, quarta, ſextaque feria, &
„ Dominica.

Socrates poſtquam Quadrageſimæ jejunia expoſuiſſet: ſtatim de aliquot Eccleſiis, quæ collectas varias habebant, dixit, quod „ per (b) ſin-
„ gulas hebdomadas die Sabbati ſa-
„ cra myſteria celebrent. Alexandri-
„ ni tamen, & Romani vetuſtam
„ quandam Traditionem ſecuti, id
„ facere detrectant. Sed Ægyptii, qui
„ Alexandrinis vicini ſunt, & ii,
„ qui Thebaidem incolunt, Sabbato
„ quidem collectas celebrant: non
„ tamen, ſicut mos eſt Chriſtiano-
„ rum, ſacra myſteria percipiunt.
„ Poſtquam enim epulati ſunt, & om-
„ ni ciborum genere ſaturati, poſt
„ veſperum oblatione facta commu-
„ nicant. Præterea Alexandriæ quar-
„ ta Feria, & ea quæ dicitur Para-
„ ſceve, leguntur ſacrę Scripturæ,
„ eaſque Doctores interpretantur, &
„ cuncta fiunt, quæ ad collectam
„ pertinent, prçter myſteriorum ce-
„ lebrationem. Atque hic mos Ale-
„ xandrinæ Eccleſiæ vetuſtiſſimus eſt.

Denique Sozomenus de Imperatore Conſtantino magno ſic loquitur:
„ quoties (c) ad bellum proficiſcere-
„ tur, Tabernaculum ad Eccleſiæ ſi-
„ militudinem fabricatum circumfer-
„ re conſueverat, ita ut ne quidem
„ in ſolitudine conſtitutus tam ipſe,
„ quam

(a) *Nota: In græco S. Epiphanii textu legitur* ἐπιτελουμένας *Quod verbum* preces ratas *facere etiam ſignificat juxta Valderum in lexico, ubi græcos veteres teſtes producit, cumque Sacros conventus ad orandum, in quibus* preces ratæ *fiunt, Apoſtoli inſtituerint, indicante Epiphanio: tum Petavius periphraſi uſus illam græcam vocem vertit ſacros conventus. At ſive ſacros conventus, ſive* preces ratas *vertas: certe Epiphanius vel illos vel haſce eo græco verbo a ſynaxi diſtinxit, ac denotavit, in paraſceve non Sacrificium peragi, ſed* preces ratas *fieri.*

(b) *Socr. Lib.* 11. *Hiſt. Eccl. cap.* 22. *pag.* 250. (c) *Sozom. Lib.* 1. *Hiſt. Eccl. cap.* 8. *pag.* 18.

„ quam exercitus ejus, ſacra æde careret, in qua Deum laudare, ac „ preces fundere, & ſacra myſteria „ percipere poſſent. Sequebantur enim „ Sacerdotes, & Diaconi tabernaculo „ aſſidentes, qui juxta Eccleſiæ ritum „ ejuſmodi officia obirent. Atque ex „ eo tempore Romanorum legiones, „ quæ nunc numeri vocantur, ſingulæ „ proprium ſibi tabernaculum facere „ cæperunt, & Sacerdotes, ac „ Diaconos proprios, ac peculiares „ habere. Præterea die Dominico, „ quem Hebræi quidem primum Sabbati „ appellant, Gentiles verò Soli „ conſecraverunt, & eo, qui Sabbatum „ antecedit, cunctos a judiciis, „ aliiſque negotiis feriari præcepit, „ precibuſque, ac ſupplicationibus „ Deum colere. Ac Dominicum quidem „ diem ideo honoravit, quod „ Chriſtus eo die a mortuis ſurrexiſſet.

Vetus igitur, ac ſpecialis traditio eſt jam uſque ab Apoſtolicis ducta temporibus, eaque communiori, & conſtanti Chriſtianorum firmata conſenſu, in die *Dominico* feſtivitatem, in qua ſacrificium, & communicatio corporis Chriſti fiebant ex Apoſtolorum quidem inſtitutione habendam eſſe; ſed in *Paraſceve ſacros conventus, & collectas, præter myſteriorum celebrationem*, ſane faciendas; qui mos, utpote in Eccleſia *vetuſtiſſimus*, ab Apoſtolis inductus fuit, quem & *Alexandrina* Eccleſia, & S. Epiphanius Cypri Epiſcopus utique Alexandriæ vicinus, ſervarunt: qui Sanctus, & Socrates quamvis feriam quartam adjecerint: nihilominus illum quidem hujuſce feriæ quartæ uſum (*a*) mutabilem putarunt, at relatum paraſceves morem dumtaxat retinendum voluerunt, innuente Sozomeno; qui illis ex parte coævus, de quarta feria ſiluit, & eam, quæ *eſt ante Sabbatum*, & in qua *ſupplicationes & preces* tantum agebantur, commendavit.

Solas ergo ſynaxes ter in hebdomada inſtitutas fuiſſe, Dallæus fallaciter attulit ex Epiphanio; quippe qui *conventus*, & *ſynaxes* diſtinxit ſecundum inſtitutionem Apoſtolicam, ac traditionem: e qua & *ſacros conventus* quartę feriæ, ac præcipue paraſceve, & ſynaxes diei Dominico *potiſſimum* tribuit, non excluſis aliis quibuſdam diebus.

Deinde quod ad conſuetudinem, & traditionem non rebaptizandi Hæreticos recte baptizatos attinet: prius afferendæ ſunt ex teſtificationes, quibus & S. Auguſtini argumentum ferme hujuſce operis initio allatum comprobetur, & Dallæi argutatio refellatur.

Primum S. Cyprianus de ea re notiſſima agit in epiſtola ad Quintum, ubi de Stephano R. Pontifice, ac reliquis, qui ejus opinationi adverſabantur, ſic loquitur: „ Dicunt, (*b*) „ ſe in hoc veterem conſuetudinem „ ſequi, quando apud veteres hære„ ſeos & ſchiſmatum prima adhuc „ fue-

(a) *Obſervatio. Socrates ſilet de uſu communicandi feria quarta. Qui uſus proinde ad diſciplinam ſpectabat, & mutari poterat, excepto, quod ex Apoſtolica inſtitutione in dis paraſceves nunquam ſacrificia facta fuerint, & hic ritus nunquam mutatus ſit.*

(b) *S. Cypr. ep. 71. pag. 771.*

,, fuerint initia . . . . non eſt autem
,, de conſuetudine præſcribendum, ſed
,, ratione vincendum . . . . quod qui-
,, dem Agrippinus bonæ memoriæ vir,
,, cum cæteris Coepiſcopis ſuis, qui
,, illo in tempore in Provincia Affri-
,, cana & Numidia Eccleſiam Domi-
,, ni gubernabant, ſtatuit.

Firmilianus Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus in epiſtola ad Cyprianum ſuam rebaptizandorum hæreticorum conſuetudinem a quibuſdam in dubium fuiſſe vocatam, ita ſignificavit: *(a)*
,, Nec meminimus hoc apud nos ali-
,, quando cæpiſſe, cum ſemper iſtic
,, obſervatum ſit, ut unam Dei Ec-
,, cleſiam noſſemus, & ſanctum ba-
,, ptiſma nonniſi ſanctæ Eccleſiæ com-
,, putaremus. Plane quoniam de eo-
,, rum baptiſmo dubitabant; qui etſi
,, non ut nos Prophetas recipiunt:
,, eoſdem tamen Patrem, & Filium
,, noſſe nobis cum videtur; plurimi
,, ſimul convenientes in Iconio, dili-
,, gentiſſime tractavimus; & confir-
,, mavimus, repudiandum eſſe omne
,, omnino baptiſma, quod ſit extra
,, Eccleſiam conſtitutum.

Euſebius Cæſareenſis de ipſa cauſa, ac de eodem Stephano hæc narrat: ,, Ad hunc Stephanum Dionyſius
,, primum earum, quæ de baptiſmo
,, conſcriptæ ſunt, epiſtolam exara-
,, vit, cum per id tempus non me-
,, diocris controverſia exorta eſſet,
,, utrum eos, qui ex qualibet hęreſi
,, convertuntur, baptiſmo purgari
,, oporteret. Quippe antiqua conſue-
,, tudo invaluerat, ut in ejuſmodi
,, hominibus ſola manuum impoſitio
,, cum precationibus adhiberetur.

Hinc S. Auguſtinus Donatiſtas hæreticos, qui recte baptizatos etiam rebaptizabant, ita retudit: ,, Quid *(b)*
,, denique poſt Agrippinum, quando
,, niſi ad priſtinam conſuetudinem
,, reditum eſſet, alterum moliri Con-
,, cilium non eſſet neceſſe Cypriano;
,, numquid non erat Eccleſia, quia
,, talis per omnia conſuetudo tene-
,, batur, ut baptiſmus Chriſti nonni-
,, ſi Chriſti baptiſmus haberetur, e-
,, tiamſi apud hæreticos, vel ſchiſ-
,, maticos datus fuiſſe probaretur?
,, quod ſi erat etiam tunc Eccleſia,
,, & hæreditas Chriſti non interru-
,, pta perierat, ſed per omnes gentes
,, incrementa capiens permanebat:
,, tutiſſima ratio eſt, in eadem con-
,, ſuetudine permanere.

Ecce S. Auguſtini argumentum, quo & Donatiſtas Cypriani exemplo abutentes, & Dallæum ipſius S. Doctoris dictis minime audientem refutavit. Nam multo ante Cypriani tempora, qui medio ſæculo tertio floruit, illa catholicæ *Eccleſiæ conſuetudo* prævaluerat; ob quam ab hæreſibus venientes, iſtaſque execrantes, dummodo recte baptizati eſſent, abſque novo baptiſmo in Eccleſia Apoſtolica antiquiſſime recipiebantur, cum ſcilicet primo, & altero ſæculo *Chriſti hæreditas incrementa capiebat*; quo tempore ea ipſa conſuetudo intermiſſa non eſt; quippe quæ tum *invaluerat* Euſebio teſte, qui ex parte coævus fuit Firmiliano qui neque ex omni

(a) *Firmil. in ep. ad Cypr. inter Cyp. epiſt. pag.* 308. (b) *S. Aug. lib. 3. de Bapt. contr. Donat. cap. 2. pag.* 107. *Tom. IX.*

memoria ſuum errantem rebaptizandi morem retulit, ſive repetiit; ſed tantum ultimam ſui temporis memoriam recordatus eſt iis verbis: *nec meminimus hoc apud nos aliquando cæpiſſe*; quod tamen ipſi Firmiliano dubium erat; quia is teſtatur, quod de *hoc*, *cujus ne ipſe quidem meminerat*, *quadam*, utique Cappadoces, & Iconienſes *dubitabant*: qui proinde certo non putabant, & Hæreticos recte baptizatos a ſuis majoribus iterum baptiſmate donatos fuiſſe, & baptiſmum extra Eccleſiam datum repudiandum eſſe: qua dubitatione illi propterea ęſtuabant; quod apud ipſos majorem vim, ac certiorem Eccleſiæ ſuæ particularis, atque etiam univerſæ antiqua traditio, quam infirma, recens, ac dubia Firmiliani memoria habuit, cujus proinde Concilium, atque etiam ipſe erravere, dum oppoſitum ſequuti ſunt, vetuſta univerſalis Eccleſiæ, & ſuæ traditione minus bene perſpecta; quam olim *invaluiſſe*, & Hæreticos ad Catholicam Fidem venientes rurſus baptizatos non fuiſſe, ſine ulla dubitatione Euſebius narravit. Cum igitur ante Agrippinum, Firmilianum, ac Cyprianum Chriſti *Fidei per omnes gentes incrementa cæperit*: tum illam Hæreticorum iterum non baptizandorum conſuetudinem in Eccleſia catholica interruptam non eſſe, atque adeo eſſe ſervandam, S. Auguſtinus contra Donatiſtas merito oſtendit.

Sed idem Auguſtinus de ſacræ Scripturæ interpretationibus agens; præſertim de gręca ſeptuaginta Interpretum verſione hæc protulit: „ & hac „ (a) ſeptuaginta interpretatione „ etiam in latinam linguam interpretatum eſt, quod Eccleſię latinæ tenent, quamvis non defuerit temporibus noſtris Presbyter Hieronymus, homo doctiſſimus, & omnium trium linguarum, peritus, „ qui non ex gręco, ſed ex hebræo „ in latinum eloquium eaſdem Scripturas converterit. Sed ejus tam „ litteratum laborem quamvis Judæi „ fateantur eſſe veracem; ſeptuaginta verò Interpretes in multis erraſſe contendant: tamen Eccleſiæ Chriſti tot hominum auctoritati, ab „ Eleazaro tunc Pontifice ad hoc tantum opus electorum, neminem judicant præferendum: quia etſi unus „ apparuiſſet Spiritus, ſine dubitatione divinus; ſed inter ſe verba „ interpretationis ſuæ Septuaginta „ more hominum contuliſſent, ut „ quod placuiſſet omnibus, hoc maneret: nullus eis unus interpres „ debuit anteponi. Cum verò tantum in eis ſignum Divinitatis apparet: profecto quis quis alius illarum Scripturarum ex hebræa in „ quamlibet aliam linguam interpres „ eſt verax; aut congruit ſeptuaginta „ Interpretibus, aut ſi congruere non „ videtur; altitudo ibi prophetica „ eſſe credenda eſt: Spiritus enim, „ qui in Prophetis erat, quando illa „ dixerunt, idem ipſe erat etiam in „ ſeptuaginta viris, quando illa interpretati ſunt, qui profecto auctoritate Divina & aliud dicere potuit, „ tanquam Propheta ille utrumque „ dixiſſet; quia utrumque idem Spiritus diceret: & hoc ipſum aliter, „ ut ſi non eadem verba, idem ta-

„ men

(a) *S. Aug. lib. 18. de Civit. Dei cap. 43. pag. 525. Tom. VII.*

„ men ſenſus bene intelligentibus di-
„ luceſceret; & aliquid prætermitte
„ ret, & aliquid adderet; ut etiam
„ hinc oſtenderetur, non humanam
„ fuiſſe in illo opere ſervitutem,
„ quam verbis debebat interpres, ſed
„ Divinam poteſtatem, quæ mentem,
„ replebat, & regebat interpretis. Non
„ nulli autem codices græcos inter-
„ pretationis ſeptuaginta ex hebræis
„ codicibus emendandos putarunt,
„ nec tamen auſi ſunt detrahere, quod
„ hebræi non habent, & ſeptuagin-
„ ta poſuerunt: ſed tantummodo addi-
„ derunt, quæ in hebræis inventa,
„ apud ſeptuaginta non erant.

Quamobrem S: Hieronymus Deſiderio hęc ſcripſit: „ Non (*a*) reprehendo Septuaginta, ſed confidenter cunctis illis Apoſtolos præfero .... interroga Hebręos, diverſarum urbium magiſtros conſule. Quod illi habent de Chriſto; tui codices non habent. Aliud eſt ſi contra ſe poſtea ab Apoſtolis uſurpata teſtimonia probaverunt: & emendatiora ſunt exemplaria latina, quam græca, græca, quam hebræa.

Hanc criticam cauſam, ob quam Hieronymus hebræas ſcripturas in latinum tranſtulerat, Auguſtinus probavit, hoc primum admittens, quod Hieronymi verſionem *eſſe veracem fatentur* Judæi: quos tamen, cum Septuaginta in multis erraſſe contenderent, eo reprehendit; quia ſi alicubi in Scriptura aut hebræa, aut Græca, quam ſeptuaginta Interpretes ediderant, *non eadem verba ſunt: idem tamen ſenſus oſtenditur:* quam ob cauſam ſeptuaginta illorum hominum, quos Eleazarus tunc Pontifex ad illud *opus elegit, auctoritati neminem præferendum, Chriſti Eccleſiæ judicaveris*, ſimul probarunt *nonnullos* eccleſiaſticos Criticos, qui *græcos codices interpretationis ſeptuaginta ex hebræis codicibus emendandos putarunt, illiſque græcis exemplaribus addiderunt, quæ in hebræis inventa, apud ſeptuaginta non erant:* cui criſi apte reſpondet verſio Hieronymi, qui eam præcipuam vertendæ hebrææ Scripturæ rationem habuit, ut *teſtimonia dę Chriſto*, quæ in hebræis ſacris *codicibus inventa*, atque ab *Apoſtolis* allata, *apud Septuaginta non erant*, latine transferret, ſuiſque in locis adduceret: quod verum Dallæus non inveſtigavit, neque adhibuit criticam Auguſtini doctrinam, qui ſuo, & Eccleſiarum ſui temporis judicio ſeptuaginta Interpretum auctoritati *neminem* eatenus prætulit, quatenus & græcis illorum *codicibus* ea, quæ in *hebræo codice inveniebantur*, atque *apud* illos ipſos *non erant*, *addita* eſſent; & aliis verbis ſeptuaginta interpretatio Scripturæ hebręæ *ſenſa oſtenderet:* quibus omnibus cum S. Hieronymi verſio conſona ſit: idcirco S. Auguſtinus ab illa ſua & *Eccleſiarum*, & *nonnullorum* approbatione S. Hieronymi translationem minime excluſit; immo hanc utpote *veracem* iterum commendavit: quam ob commendationem ſequentium temporum Eccleſiæ Hieronymi verſionem ſecutæ, ſeptuaginta Interpretes non abdicarunt, uti Dallæus comminiſcitur: ſed ex *Apoſtolorum* traditione Scripturam hebræam *teſtimonia* de Chriſto continentem, & ſeptuaginta in-

F 2 ter-

(a) *S. Hier. in epiſt. ad Deſ. ſive Prol. in Gen. pag. 6. Tom. 10.*

terpretationem magni facientes; Hieronymi translatione propterea uſæ ſunt, quod & ſti ordine non interrupto illa eadem *teſtimonia* afferat, & verbum de hebræo verbo exprimat, & ſeptuaginta Interpretum *ſenſum*, qui ab Auguſtino oſtenditur, non *reprehendat*, ſed quadamtenus teneat: quos Interpretes proinde non repudiavit Eccleſia; ſed aliquot eorum *codicibus*, *qui additamentis* conſtabant, *veracem* Hieronymi verſionem, quæ additionibus caret, commodius antepoſuit.

Dehinc S. Auguſtinus adverſus Pelagianos docuit, Parvulos abſque baptiſmate mortuos non in medium quemdam locum a cœleſti regno ſecluſum, ubi iſtos beatam vitam acturos illi hæretici errore putabant, adduci; ſed eos ob originale peccatum vita æterna privari, in inferoſque detrudi: quod contra Julianum S. Doctor ita enunciavit: „ quis dubitave„ rit, (a) parvulos non baptizatos, „ qui ſolum habent originale pecca„ tum, nec ullis propriis aggravan„ tur, in damnatione omnium leviſ„ ſimá futuros? quæ qualis, & quan„ ta erit, quamvis definire non poſ„ ſum: non tamen audeo dicere, „ quod eis, ut nulli eſſent, quam ut „ ibi eſſent, potius expediret.

S. Fulgentius Ruſpenſis Epiſcopus in parvulis non baptizatis originale peccatum ineſſe declaravit his verbis „ Firmiſſime tene, & nullatenus „ dubites, non ſolum homines jam „ ratione utentes, verum etiam par„ vulos, qui ſive in uteris matrum „ vivere incipiunt, & ibi moriun„ tur, ſive jam de matribus nati, „ ſine Sacramento ſancti baptiſmatis, „ quod datur in nomine Patris, & „ Filii, & Spiritus Sancti, de hoc „ ſæculo tranſeunt, ignis æterni ſem„ piterno ſupplicio puniendos. Quia „ etſi peccatum propriæ actionis nul„ lum habuerunt: originalis tamen „ peccati damnationem carnali con„ ceptione & nativitate traxerunt.

En integrum S. Fulgentii caput a Dallæo allegatum, in quo nulla S. Auguſtini fit mentio. Ergo Dallæus falſe dicit, quod Fulgentius ex Auguſtino ut dogma attulit, parvulos qui *ſine baptiſmo de hoc ſæculo tranſeunt*, *ignis æterni* cruciatibus puniendos: quod S. Auguſtinus non protulit, ſed hoc ut fidei dogma propoſuit, *parvulos non baptizatos in damnatione omnium leviſſima*, atque in Inferis perpetuo *futuros*: de quo dogmate *dubitandum* non eſſe, ex traditione Auguſtinus eduxit; qui tamen *definire non potuit*, *qualis*, *& quanta erit illa damnatio*: quæ proinde *qualitatem* pœnæ, & *quantitatem*, atque adeo ignis cruciatum, quo parvuli non baptizati puniantur, nec *definit*, nec exprimit. Hoc alterum igitur, quod a priori certo dogmate diſtinguitur, ab Auguſtino definitum fuiſſe, Dallæus falſe contendit.

Quare Fulgentius ſicut homines *ratione utentes*, *& peccatum propriæ actionis habentes a parvulis*; *qui originale peccatum traxerunt*, implicite ſuo contextu diſtinxit; ita antecedentibus implicite, & diſtincte ſignificavit, illos adultos, qui in *peccato proprio* & gravi moriuntur, ignis *æterni* pœnas

(a) S. Aug. lib. V. cont. Jul. cap. XI. pag. 651. tom. X.

pœnas ſemper daturos: parvulos autem, qui ſine baptiſmo mortui ſunt, *ſempiterna damnatione puniendos*: quippe quam Fulgentius in ſuo conſequente tantum adſtituit, & parvulis non baptizatis ob originalem culpam attribuit; ac non ita ignis æterni cruciatu, ſed ea perpetua *damnatione leviſſima puniendos*, traditum voluit.

Denique inſpiciamus, quid Beda fidei nomine intellexerit, dum Chriſtum Jeſum paulo plus, quam triginta tribus annis, in carne vixiſſe affirmavit, quem annorum numerum eo, quem Dionyſius exiguus expoſuerat, minorem eſſe, idem Beda comparate adnotavit, Dallæo referente. Atqui Eccleſia Romana, & Catholicæ Dionyſii exigui Epocham nunquam reprobavit. Beda igitur eo loci *fidem* comparate accepit pro certiori ſententia; quatenus ſcilicet illa Domini *annorum*, quibus hic vixit, aſſertio certior ſit, quam Dionyſii ſupputatio.

Verumenimvero Beda ſine ulla comparatione addidit, quod *nulli liceat dubitare catholico*, Chriſtum *feria ſexta & in crucem aſcendiſſe*, & mortuum eſſe; quam diem S. Marci Evangelium, ac vetuſti Eccleſiæ Patres, atque Scriptores certo commoſtrant. Nam & Marcus ait „ Jeſus autem „ (a) emiſſa voce magna expiravit... „ & cum jam ſero eſſet factum, quia „ erat paraſceve, quod eſt ante Sab„ batum, venit Joſeph ab Arimafhea.

Et S. Juſtinus Martyr teſtatur, quod„ Pridie Saturni (b) eum cruci„ fixerunt.„ Et S. Irenæus id pronuntiavit: „ Dominus (c) venit ad „ paſſionem pridie ante Sabbatum. Et S. Epiphanius ſcripſit, quod „ Dominus ſit feria ſexta (d) in „ crucem ſublatus.„ Denique Sozomenus refert, ab Imperatore Conſtantino Magno honoratum eſſe eum diem, qui„ Sabbatum (e) antecedit, „ eo quod Chriſtus crucifixus tunc „ fuiſſet.

Quare de hoc ipſo, quod etiam Beda ſine ulla dubitatione firmavit, Dallæus errans dubitat: cujus errorem auferunt allata ſacræ Scripturæ, ac veterum enuntiata, quæ Chriſtum Dominum *ſexta feria crucifixum* fuiſſe tradunt, atque declarant.

Cum itaque ad ſacras veteris, ac novi teſtamenti litteras, atque ad traditionem, quam aliquot ſuperiora ſatis probant, quamque Dallæus ipſe ſupra relatus admittit, recurrimus: profecto de iis quæ de Apoſtolicæ, & catholicæ Eccleſiæ fide antiqui Patres communius edocent, nullo modo ambigendum eſt. Eorum igitur teſtimonia, quæ de Eccleſiæ dogmatibus perhibent, ut abſolute vera, ac certa admitti debent & credi.

§. V.

Quæ Dallæus ex quibuſdam Veterum aſſertionibus eruit: ea confutantur.

Ex inde Cenſor ſic loquitur: (f) „ Quæ ſit veterum auctoritas ex„ hibeamus. Cum inter Auguſtinum, „ & Hieronymum propter capitis II. „ Epi-

(a) *Marci XV. V. 37. ibid. v. 42.*
(b) *S. Juſt. apol. 1. pag. 83.*
(c) *S. Iren. lib. V. adv. Hær. cap. 23.*
(d) *S. Epiph. hær. cit.*
(e) *Sozom. loc. ſup. cit.*
(f) *Dall. lib. 2. de Par. uſu. cap. 2.*

Digitized by Google

„ Epiſtolæ ad Galatas expoſitionem „ ortum eſſet nonnihil controverſiæ: „ ille, ut ab ea ſe, qua urgebatur „ ſex Scriptorum græcorum ab Hieronymo objectorum auctoritate liberaret; quanti id genus ſcripta „ faceret, his verbis exponit: *Ego* (a) *fateor charitati tuæ, ſolis eis Scripturarum libris, qui jam canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremque deferre, ut nullum eorum Auctorum ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſime credam: ac ſi aliquid in eis offendero litteris, quod videatur contrarium veritati: nihil aliud, quam vel mendoſum eſſe codicem, vel interpretem non aſſecutum eſſe, quod dictum eſt, vel me minime intellexiſſe, non ambigam. Alios autem ita lego, ut quantalibet ſanctitate, doctrinaque præpolleant; non ideo verum putem, quod ipſi ita cenſuerunt, ſed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, perſuadere potuerunt.... quanquam ſicut paulo ante dixi, tantummodo Scripturis canonicis hanc ingenuam debeam ſervitutem, qua eas ſolas ita ſequar, ut conſcriptores earum nihil in eis omnino erraſſe, nihil fallaciter poſuiſſe non dubitem.*„ Alibi *quod genus litterarum*, inquit, non *credendi neceſſitate, ſed cum judicandi libertate legendum eſt: cui tamen ne intercluderetur locus, & ne adimeretur poſteris ad difficiles quæſtiones tractandas linguæ, ac ſtyli ſaluberrimus labor: diſtincta eſt a poſteriorum libris excellentia canonicæ auctoritatis veteris, & novi Teſtamenti, quæ Apoſtolorum firmata temporibus, per ſucceſſiones Epiſcoporum, & propagationes Eccleſiarum tanquam in ſede ſublimiori conſtituta eſt; cui ſerviat omnis fidelis, & pius intellectus. Ibi ſi quid abſurdum moverit, non licet dicere: auctor hujus libri non tenuit veritatem: ſed aut codex mendoſus eſt, aut interpres erravit, aut tu non intelligis. In opuſculis autem poſteriorum, quæ libris innumerabilibus continentur, ſed nullo modo illi ſacratiſſimæ canonicarum Scripturarum excellentiæ coæquantur, etiam in quibuſcumque eorum invenitur eadem veritas, longe tamen eſt impar auctoritas. Itaque in eis ſi qua forte propterea diſſonare putantur a vero, quia non ut dicta ſunt intelliguntur: tamen liberum ibi habet lector, auditorve judicium, quo vel approbet, quod placuerit, vel improbet, quod offenderit: & ideo cuncta ejuſmodi, niſi vel certa ratione, vel ex illa canonica auctoritate defendantur, ut demonſtretur, ſive omnino ita eſſe, ſive fieri potuiſſe, quod vel diſputatum ibi eſt, vel narratum, ſi cui diſplicuerit, aut credere noluerit, non reprehenditur.*„ Idem Auguſtinus Donatiſtis „ Cypriani, & Synodi Carthaginen- „ ſis nomina objicientibus reſpondit: *quis* (b) *neſciat, ſanctam Scripturam canonicam tam veteris, quam novi Teſtamenti ſuis terminis contineri eamque omnibus poſterioribus Epiſcoporum litteris ita præponi, ut de illa omnino dubitari, aut diſceptari non poſſit, utrum verum, vel utrum rectum ſit quidquid in ea ſcriptum eſſe conſtiterit? Epiſcoporum autem litteras, quæ poſt confirmatum canonem vel ſcriptæ ſunt, vel ſcribuntur, & per ſermonem forte ſapientiorem cujuslibet in ea peritioris, & per aliorum Epiſcoporum graviorem auctoritatem, doctiorem prudentiam, & per Con-*

(a) *Aug. epiſt. ad Hier.*

(b) *Aug. lib. 2. de bapt. cap. 3.*

Concilia licere reprehendi, ſi quid in eis forte a veritate deviatum eſt; & ipſa Concilia, quæ per ſingulas regiones, vel provincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex univerſo chriſtiano orbe, ſine ullis ambagibus cedere; ipſaque plenaria ſæpe priora poſterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clauſum erat, & cognoſcitur, quod latebat. „ Sed & ſequens locus dignus vide- „ tur, qui hic afferatur: „ *neque*, (a) inquit, *quorumlibet diſputationes, quamvis catholicorum & laudatorum hominum, velut ſcripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, ſalva honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum ſcriptis improbare, atque reſpuere, ſi forte invenietnus, quod aliter ſenſerint, quam veritas habet, divino adjutorio vel ab aliis intellecta, vel a nobis. Talis ergo ſum in ſcriptis aliorum, quales volo eſſe intellectores meorum.* „ Atque hæc Augu- „ ſtinus, quibus docet, Patrum aſ- „ ſertiones non ipſorum auctoritate, „ ſed rationibus niti, ac de fide „ non eſſe, niſi Scripturæ, aut ra- „ tioni conſonent; cum hominum „ ſint, qui falli potuerint. Neque „ Hieronymus aliter cenſuit; ſunt „ enim hæ ejus voces: „ *Tunc* (poſt obitum) *ſine nominum* (b) *dignitate ſola judicantur ingenia: nec conſiderat, qui lecturus eſt, cujus; ſed quale ſit, quod lecturus eſt; ſive ſit Epiſcopus; ſive Laicus, Imperator & Dominus, Miles, & Servus; aut in purpura, & ſerico, aut viliſſimo panno jaceat; non honorum diverſitate, ſed operum merito judicabitur.*„ Vel de jure, vel de fa- „ cto loquitur. Si priore ſenſu acci- „ piantur ejus verba, nominibus „ Scriptorum omnem auctoritatem „ abrogat; decernitque, ne preter „ operis merita, ideſt, rationes, & „ argumenta, quidquam aliud conſi- „ deretur. Si poſteriore modo: vi- „ detur eorum ſenſus falſus: cum „ certum ſit, homines plerumque ad „ librorum inſcriptiones, quam ad „ res, de quibus agunt, attendere. „ Jam ad locos diſertiores, progre- „ diamur. *Scio*, inquit, *me aliter* (c) *habere Apoſtolos, aliter reliquos tractatores: illos ſemper vera dicere, iſtos in quibuſdam ut homines errare:* „ & „ cum de erroribus Origenis egiſſet, *erraverunt*, inquit, *alii* (d) *tam græci, quam latini, quorum non neceſſe eſt proferre nomina, ne videamur, eum non ſui merito, ſed aliorum errore defendere:* „ at alibi ſubdit: „ *Nec* (e) *juxta Pythagoræ diſcipulos præjudicata doctoris opinio, ſed doctrinæ ratio ponderanda eſt .... meum propoſitum eſt antiquos legere, probare ſingula, retinere, quæ bona ſunt, & a fide Eccleſiæ catholicæ non recedere.* „ Epiſtola 70 „ *Ego*, inquit, *Origenem propter eruditionem ſic interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianum, Novatum, Arnobium, Appolinarem, & nonnullos eccleſiaſticos Scriptores græcos pariter, & latinos, ut bona eorum eligamus, vitemuſque contraria.* „ Paſſim Lactantius inquit „ *Utinam tam noſtra confirmare potuiſſet, quam facile aliena deſtruxit.* „ Sed ut „ Re-

(a) *Aug. Epiſt. ad Fort.*

(b) *Hier. Præf. in 2. Comm.* * *Nota Hac & alias adlegationes Dallæi libri editi de Uſu Patrum minus bene exibent.*

(c) Hier. Ep. 62. (d) *Hier. Ep. V.*

(e) Hier. Ep. 25.

,, Rethicium Auguſtodunenſem de-
,, mulceat ,, *innumerabilia ſunt*, inquit,
quæ in (a) *illius mihi commentariis ſor-
dere videntur . . . . tam male videtur
exiſtimaſſe de cæteris, ut nemo poſſit de
erroribus ejus judicare* . ,, Veteris Te-
,, ſtamenti veritatem hebraicam acri-
,, ter defendit; verſionemque ſeptua-
,, ginta interpretum erroribus ſcate-
,, re contendit. Narrationem de Se-
,, ptuaginta eorum cellulis, in qui-
,, bus verſionem concinnarunt, velu-
,, ti fabulam explodit. Cæteri Patres
,, puraverunt, Iſraelis nomen ſignifi-
,, care hominem videntem Deum: id
,, ipſe reprehendit: ,, *quamvis*, inquit,
grandis (b) *auctoritatis ſint*, *&* *eloquen-
tiæ ipſorum umbra nos opprimat, qui
Iſrael virum, ſive mentem videntem
Deum transtulerunt: nos magis Scriptu-
ræ, & Angeli, vel Dei, qui ipſum
Iſrael vocavit, auctoritate ducimur, quam
cujuslibet eloquentiæ* ſæcularis. ,, Hæc
,, ille, quæ Auguſtinum non deter-
,, ruerunt, quominus in eundem er-
,, rorem laberetur: *interpretatur*, in-
,, quit, *Iſrael* (c) *videns Deum:* ,, Sic
,, in epiſtola ad Damaſum: ,, *quidam
ſuperſtitioſe magis quam vere, non con-
ſiderantes textum Pſalmi* eructavit cor
meum verbum bonum, *ex perſona Pa-
tris arbitrantur intelligi:* ,, quę tamen
,, plerorumque quicirca Arii tempora
,, vixerunt ſententia fuerat. Ferme
,, omnes Adamum in monte Calva-
,, riæ, quo loco crucifixus fuit Do-
,, minus, ſepultum exiſtimant: hanc
,, ſententiam repudiat Hieronymus.
,, *Quidam* (d) *pro affectu erga Apoſto-
,, lum Petrum dicebant, Petrum non
,, Deum negaſſe, ſed hominem, & eſſe
,, ſenſum neſcio hominem, quia ſcio
,, Deum: hoc quam frivulum ſit, pru-
,, dens lector intelligit: ſic defendunt
,, Apoſtolum, ut Deum mendacii reum*
,, (e) *faciant*. Ambroſium per Gog
,, apud Ezechielem Gothorum natio-
,, nem accipientem reprehendit & Pa-
,, tres, qui ut liberius allegoriis in-
,, dulgerent, per Boſra apud Iſajam
,, *carnem* intelligebant, cum ſignifi-
,, cet *firmam*, & *munitam*. Quis non
,, videt, Patres rerum ad Religio-
,, nem pertinentium in Eccleſia Ar-
,, bitros non agnoviſſe? nec morari
,, debemus, quod Hieronymus Atha-
,, naſii, & Hilarii opera videtur ex-
,, cipere, cum Lætæ præcipit, ut il-
,, lius epiſtolas, & hujus libros in-
,, offenſo decurrat pede: primo enim
,, quantumvis quædam eſſent Patrum
,, ſcripta, quibus nullus error con-
,, tinetur: non ideo fit, ut ſit eo-
,, rum infallibilis auctoritas; quod
,, ſunt ejus generis recentiora ſcri-
,, pta. Eadem quidem veritas, ut
,, ſupra Auguſtinus monebat; at non
,, eadem auctoritas, quæ in libris
,, canonicis reperitur. Deinde fidem
,, Hieronymo habeamus; qui ſecun-
,, do in Habacuc commentario, *Hæc*,
inquit, *a me obiter dicta ſunt. Siquis
autem his ſagaciora, & veriora repe-
rerit, illi magis explanationi præbete
conſenſum*. ,, Et in Sophoniam eodem
,, modo: ,, *Hæc diximus, ut potuimus,
interpretationi allegoricæ ſervientes. Si
quis autem magis veriſimilia, & ha-
bentia rationem quam ſunt a nobis diſ-
ſerta, repererit; illius magis lector*
au-

(a) *Hier. epiſt. ad Marc.* (b) *Hier.*
(c) *Auguſt. lib. 16. cap. 39.*
(d) *Hier. de loc. Heb.*
(e) *Comm. in Math. cap. 26.*

Digitized by Google

auctoritate ducatur. Et alibi: (a) ut vires ingenii noſtri ferre potuerunt locuti ſumus, Hebræorum & noſtrorum varias Opiniones breviter perſtringentes. Si quis autem melius, imo verius dixerit; & nos libenter melioribus acquieſcemus. „ Quibus nulla mentibus noſtris vincula injicit; ne quæ ipſe dixerit, audeamus ſollicitare.
„ Utamur ea, quam nobis ipſi Patres concedunt, libertate. Fidem ipſis adhibeamus, ſed in rebus, quas rationi, ſcripturæque ſuperſtruunt.„ *Ego*, inquit, Ambroſius, (*b*) *beneficio annumero, ſiquis mea legens ſcripta, dicat mihi, quod videatur moveri. Primum quia iis, quæ ſcio, falli poſſum. Multa autem prætereunt; multa quibuſdam aliter ſonant.* Unde Origenes: *audientes (c) diligenter attendant, & accipiant gratiam Spiritus, de qua dictum eſt,* diſcretio Spirituum: *ut probati Trapezitæ facti, diligenter obſervent, quando falſus ſum magiſter; quando vero prædicem, quæ ſunt pietatis, ac veritatis.*„ Cyrillus quarta catecheſi: *ne (d) mihi iſta dicenti ultro credideris: in demonſtrationem eorum, quæ tibi annuntio, accipias è Divinis Scripturis. Fidei enim noſtræ conſervatio non eſt ex eloquentiæ facultate, ſed ex demonſtratione divinarum Scripturarum.*„ Si enim, cum viva vox eorum in Eccleſia perſonabat, nolebant Patres ſibi Fidem haberi de ulla re, quam ex Scripturis non demonſtraſſent: quanto minus voluiſſe cenſendi ſunt, ut nos abſque illa demonſtratione eas ſententias admittamus, quæ hodie in multis eorum Scriptis præſertim depravatis, occurrunt? Inde vero iſta ſequentium ſæculorum effata oculis meis obverſantur: *eorum (e) dogmata eſſe univerſalis Eccleſiæ legem: & neceſſarium eſſe ea ſequi, non tantum quantum ad ſenſum, ſed etiam quantum ad verba:*„ cum, inquam, iſta expendo: venit in mentem Pauli, & Barnabæ hiſtoria; quibus cum Lycaonii honores divinos exhibere vellent: repugnaſſe ſanctiſſimos viros illos legimus & reſpondiſſe: *Viri quid (f) hæc facitis? Et nos mortales ſumus, ſimiles vobis homines.*„ Itaque ſi ſancti illi viri, quæ apud nos geruntur, ea viderent: non dubito, quin falſum illum honorem, qui ipſis reclamantibus deferretur, moleſtiſſime ferrent. Jam quod a nonnullis aſſeri video, Siſinium, (*g*) Novatum, ejuſque Epiſcopum Agellium auctores fuiſſe, Conſtantinopolitano Nectario, & Imperatori Theodoſio, ut quæreretur ab Arianis reciperentne eos, qui ante oborta diſſidia Doctores fuiſſent: id nullius momenti eſſe debet. Conſilium enim Schiſmatici fuit, quem merito ſuſpiceris dolo ludere voluiſſe. Si ea fuit legitima methodus: cur Gregorius Nanzianzenus, Baſilius, cur alii ſexcenti, qui in confutandis Arianis operam poſuerunt, Scripturas fere ſolas contra hæreſim adhibent? Nimirum Sancti illi dum ſic agebant;

(a) *Hier. in Zach.* (b) *Amb. ep.* 57.
(c) *Orig. homil.* 2. *in Ezech.*
(d) *Cyril. Hieroſol. Cath. IV.*
(e) *Sergius in Conc. Conſt.*
(f) *Act. XV.* 13.
(g) *Soz. lib.* 7. *cap.* 22.

„ bant; & chriſtiano candori obſe-
„ quebantur, qui præter Deum, nul-
„ lum habet Fidei ducem, ac Ma-
„ giſtrum: & Eccleſiæ conſulebant.
„ Nam ſi auctoritatibus humanis
„ decidenda fuiſſet ea controverſia:
„ non video, quin vere demonſtrari
„ potuerit. Quod ille de Novatiani
„ grege nugator jactabat, *neminem
nuquam veterum auſum fuiſſe dicere,
Filium Dei ex aliquo principio ducere
originem:* cum in antiquiſſimorum Pa-
„ trum libris duræ, & incommodæ
„ de hoc argumento locutiones oc-
„ currant. Quin & veterum teſti-
„ moniis pugnaſſe Arianos, ex Atha-
„ naſio, Hieronymo, aliiſque diſci-
„ mus. Sed nimium immoror in ea
„ refellenda hiſtoria. Vincentii Liri-
„ nenſis è libello quodam, quem plu-
„ rimi fecit Gennadius, locus vide-
„ tur majori conſideratione dignus.
„ Is ergo dixit, ſe de iis *tantum* Pa-
„ tribus agere, qui *in Fide, & com-
munione (a) catholica conſtanter viven-
tes, docentes, & permanentes, vel mo-
ri in Chriſto feliciter, vel occidi pro
Chriſto feliciter meruerunt. Quibus ta-
men hac lege credendum eſt, ut quicquid
vel omnes, vel plures uno, eodemque
ſenſu manifeſte, frequenter, perſeveran-
ter, velut quodam conſentiente ſibi Ma-
giſtrorum Concilio, accipiendo, tenendo,
tradendo firmaviſſent: id pro indubitato,
certo, ratoque habeatur.* Atqui tota
„ iſtius oratio ſic æſtuat, ut ſatis
„ appareat, hominem id, quod cu-
„ piebat, ſenſiſſe, ipſum a vero alie-
„ num eſſe. Primo non aliorum in
„ hoc negotio teſtimonia adhiberi
„ vult, quam eorum, qui vixerint,
„ docuerint, permanſerint, in Fide,
„ & vel in Chriſto, vel pro Chriſto
„ mortui ſunt. Si vixerint, & non
„ docuerint: ſi vixerint, & docue-
„ rint; ſed non permanſerint in Fide
„ Eccleſiæ Catholicę: aut ſi in ea
„ vixerint, & docuerint ſancte, ſed
„ non ſapienter; vel contra ſapien-
„ ter, ſed non ſancte: denique ſi præ-
„ ſtitis iis omnibus, neque in Chri-
„ ſto, neque pro Chriſto mortui fue-
„ rint: non poſſunt teſtimonium in
„ hac cauſa dicere. Hìc quidem tu-
„ to poterat conſiſtere, neque opus
„ erat, ut anxie etiam Teſtium nu-
„ merum præſcriberet. Quis enim
„ Chriſtianus eſt, qui non ultro Fi-
„ dem adhibeat ſententiæ ejus viri,
„ qui ſancte, ſapienter, & conſtanter
„ vixerit, docuerit, ac permanſerit
„ in Fide? Quomodo enim ſapien-
„ ter, & conſtanter docuiſſet, ſi fal-
„ ſa ulla dogmata tradidiſſet? Non
„ ergo homo iſte aliud ſpondet, niſi
„ futurum, ut non fallamur, ſi ſan-
„ cta, & vera dogmata admittamus.
„ Sed in primis de Teſte conſtare de-
„ bet, qui, qualiſque ſit; ut ante-
„ quam Patribus aurem prębeamus,
„ certo teneamus, eum iis omnibus
„ conditionibus, quas Vincentius re-
„ quirit, prępditum fuiſſe. Amabo
„ qui ea de re conſtabit? Quis no-
„ bis Fidem faciet, vel Athanaſium,
„ vel Cyrillum, vel alium quemvis
„ veterum vixiſſe, docuiſſe, & per-
„ manſiſſe, & mortuum eſſe ſancte,
„ ſapienter, & conſtanter in Fide,
„ & communione Eccleſiæ? Non ali-
„ ter de his cuiquam conſtabit, niſi
„ qui in totam Patrum vitam, &
„ do-

(a) *Vinc. Lir. in Com. 1. Cap. 39.*

„ doctrinam accuratiſſime inquiſierit. „ Atqui id nunc poſt duodecim ſæcula inquirere ſerum eſt, & impoſſibile. Ac ut poſſibile eſſe finxeris: ſupervacaneum futurum, „ nulli uſque ad Vincentianas rationes uſus manifeſtum eſt. Patres „ enim Teſtes advocat, ut ex iis veritatem diſcat. Ut autem legitime „ inquiramus, ante omnia neceſſarium eſt, ut de veritate ipſa nobis „ conſtet. Hanc niſi teneas: ſcire non „ potes, an ſancte, & ſapienter docuerint. Quod ſi apud Te quæ ſit „ veritas jam conſtitutum eſt: ad eam „ diſcendam ut ipſos audias non oportet. Uſui tamen eſſe poterunt. „ Quod ſi alio ſenſu pronuntiatum „ illud intelligas, ſapientiamque, „ ſanctitatem, Fidem, & communionem catholicam pro umbra tantum promiſcuaque, levi, & ex fama tantum audita notitia accipias: „ falſum erit evidenter, quod ille „ pronuntiat. Qui ſpecie tenus, & „ non reipſa conditionibus illis præditi ſunt: ii non ſunt idonei, qui „ teſtimonium dicant. Eadem conſideranda ſe ſe offerunt circa conditiones, quas in Teſtium numero „ requirit. Vim enim legis non concedit, niſi iis rebus, quas vel omnes, vel plerique aſſeruerunt. Si „ per hæc vel omnes Patres, vel eorum maximam partem intelligit: „ ad impoſſibile nos adigit. Patrum „ enim, qui fuerunt, pars maxima, „ & potiſſima nihil ſcripſerunt. Ex „ iis, qui ſcripſerunt, quam multos „ tempus abſumpſit. Ergo impoſſibile eſt, ut quæ vel omnium, vel „ plerorumque Patrum ſententiæ fuerint; hoc modo pernoſcamus. Quod „ ſi hanc Patrum vel univerſalem, „ vel maximam partem ad eos, quorum monumenta ſuperſunt, vel „ quorum in hiſtoriis, ſcriptiſque „ aliorum mentio fit, reſtringas: reſtabit conſtituendum, an nulla ætatis diſtinctione omnes promiſcue „ ſententiam rogari velis, aut in varias claſſes diſtribui malis, ita ut „ in unum conjungantur; firmumque „ & ratum habeatur, quod eorum „ maxima pars confirmaverit. Utrumvis eligas: judicium de Fide Chriſtiana fortuitum fiet. Variis enim „ caſibus, quibus aut perierunt, aut „ conſervati fuerunt Patrum libri pendebit. Eſto enim præclara hac methodo dogma aliquod comprobarit „ Vincentius: jam optatum ſucceſſum igni, aquis, vel cariei, quæ „ ſcriptoribus pepercerunt, aut eos „ quicum adverſariis ſuis faciebant, „ abſumpſerunt, debebit. Expende „ ſodes quantus labor futurus ſit, „ vel omnium ſæculorum Patres ſparſos in unum colligere, vel collectos nullo diſcrimine conſulere, „ vel pro ætatum ratione in claſſes „ diſtributos ſententiam rogare. Sed „ & iniquiſſimum eſt, eorum æquari „ ſententias, qui doctrina, ſanctitate, merito denique diſpares fuerunt: Rheticium V. G. illum quem „ falſe ſugillat Hieronymus, eodem „ cum Auguſtino ſuffragii jure gaudere: Philaſtrium, & Hieronymum „ eodem quoque cenſeri. Et inter „ Patres unius ſententia pondere & „ pretio centum alios ſuperat. Decernit autem Vincentius, ſuffragia „ non expendi, ſed numerari, tantique eſſe æreos, quanti aureos nummos. Denique Patrum ſententiæ

» æquari non poſſunt; quarum aliæ,
» expenſis omnibus litis firmamentis,
» legitime pronunciatæ, aliæ tumul-
» tuariæ effuſæ ſunt. At Vincentius
» ut ab hoc incommodo ſibi caveret,
» decrevit, ut maxime partis ſen-
» tentia firmata fuerit *manifeſte*, *fre*
» *quenter*, *&* *perſeveranter*. En nova
» de integro ſuperanda difficultas!
» Amabo cum Patres è ſepulchris
» excitaveris, ut nos de Religione
» doceant; qui nobis conſtare pote-
» rit an quæ in eorum libris nunc
» leguntur, ejuſmodi ſint, quæ ma
» nifeſte, frequenter, & perſeveran-
» ter firmaverint? Quod ſi in eo,
» quod iſte fingit, Concilio ii ſuf-
» fragium ſuum vel manifeſte expreſ-
» ſiſſent, vel conſtanter retinuiſſent
» fidem: quis ex tanto numero ſu-
» pererit, cui ſuffragii jus tuto de
» ferri poſſit? Fidei quidem ſymbo-
» la, & prima quatuor Concilia,
» quæ Proteſtantes agnoſcunt, ſuum
» in hoc judicio locum habebunt,
» atque tuebuntur; cætera vero Pa-
» trum dicta pro ſententiis cenſeri
» in hac cauſa, his profecto legibus
» non licet, ut vel ex iis patet, quæ
» in priori operis parte diſputavi-
» mus. Atque ita manifeſtum eſt,
» Vincentianam illam methodum vel
» plane impoſſibilem, vel valde peri-
» culoſam eſſe. Quo Auguſtini de
» Patrum auctoritate judicium con-
» firmatur. Cum enim Vincentius
» in ea ſe incommoda induxerit, ut
» ejus ſententia vel falſa ſit vel ob-
» ſcura & inanis, vel maximis peri-
» culis obnoxia: apparet, eam ex
» auctoris ſtudio, non ex ſolida ra-
» tione natam eſſe. Negat Auguſti-
» nus, nos cujuſcumque auctoris
» ſententia teneri, niſi quæ vel Scri-
» pturarum Canonicarum auctori-
» tate, vel ratione probabili confir-
» mata fuerit. Hic verò Lirinenſis
» quam Scripturam, vel rationem
» attulit, qua ſuam aſſertionem pro-
» baret? Eam ergo liberum eſt ex
» Auguſtini lege, & praxi repudia-
» re. Sed jam de Vincentio judice-
» mus. Iſte enim Semipelagianis, qui
» tum in Galliis Auguſtini memo-
» riam proſcindebant, quique ab
» Eccleſia damnati ſunt, haud obſcu-
» re favet. Et ex commonitorio ap-
» paret, quo loco innuit, quæ Proſ-
» per, & Hilarius apud Cæleſtinum
» de Maſſilienſium novitatibus cri-
» minati ſunt, falſa fuiſſe. Quin
» etiam adverſus Auguſtinum obje-
» ctionum, quas Proſper confutavit,
» & Vincentianas appellavit, aucto-
» rem fuiſſe, nomen ipſum clamat.
» Suſpicionem augent laudes, quas
» in iſtum confert Gennadius, quem
» conſtat in eadem ſecta fuiſſe; quod
» tanti facit Pelagianorum Patriar-
» cham Ruffinum, cum eum *non*
» *minimam partem doctorum* Eccleſiæ
» vocat, aperteque eius adverſarium
» Hieronymum criminetur: tum Au-
» guſtino iniquiſſimus eſt, & in
» eum ſane torquet dictum, *in mul-*
» *tiloquio non deerit peccatum*. Cum
» ergo is fuerit Vincentius; non eſt
» mirandum, quod tanti faciat Pa-
» trum judicia, quorum auctorita-
» te nemo neſcit Pelagianos, & Se-
» mi-pelagianos abuſos fuiſſe. Cum
» enim iis, qui ante Pelagii tempo-
» ra ſcripſerant, multa incautius
» exciderint: ea in compendium
» ſuum vertebant Pelagiani, & Maſ-
» ſilienſes. Stemus ergo potius Au-
» guſtini judicio.

Ate-

Digitized by Google

Atenim mihi quærenti, quid de certiſſima plerorumque Patrum traditione dicendum ſit & defendendum, quod contra eos a Dallæo multa perperam & confuſe diſputata ſunt: occurrit ſubſidio ipſe S. Auguſtinus primum laudatus; qui adverſus Pelagium, parvulos recens natos culpa originali immunes non eſſe, ita ex Patribus probat.

„ Beatus (*a*) Cyprianus ſatis
„ oſtendit, quam hoc ab initio cre-
„ ditum & intellectum ſervet Eccle-
„ ſia. Qui cum parvulos a materno
„ utero recentiſſimos, jam idoneos
„ ad percipiendum Chriſti baptiſma
„ aſſereret; quoniam conſultus fue-
„ rat, utrum hoc ante octavum diem,
„ fieri deberet: quantum potuit, co
„ natus eſt, eos demonſtrare perfe-
„ ctos, ne quis quaſi pro numero
„ dierum, quia octavo ante circum-
„ cidebantur, infantes adhuc perfi-
„ ciendos exiſtimaret: ſed cum ma-
„ gnum eis defenſionis patrocinium
„ præſtitiſſet, ab originali tamen pec-
„ cato eos immunes non eſſe confeſ-
„ ſus eſt.... Sanctus Hieronymus
„ qui hodieque in litteris eccleſiaſti-
„ cis tam excellentis doctrinæ fama,
„ ac labore verſatur, ad quaſdam
„ ſolvendas in ſuis libris quæſtiones,
„ etiam hoc certiſſimum adhibet ſine
„ ulla diſceptatione documentum.
„ Nam in eo, quod in Jonam Pro-
„ phetam ſcripſit, cum ad eum ve-
„ niſſet locum, ubi commemorantur
„ etiam parvuli jejunio caſtigati,
major, inquit, *ætas incipit, & uſque ad minorem pervenitur. Nullus enim abſque peccato, nec ſi unius quidem diei fuerit vita ejus, & innumerabiles anni vitæ illius. Nam ſi ſtellæ mundæ non ſunt in conſpectu Dei, quanto magis vermis, & putredo, & qui peccato offendentis Adam tenentur obnoxii?*
„ Hunc doctiſſimum virum ſi facile
„ interrogare poſſemus, quam multos
„ utriuſque linguæ divinarum Scri-
„ pturarum Tractatores, & Chriſtia-
„ narum diſputationum Scriptores
„ commemoraret; qui non aliud, ex
„ quo Chriſti Eccleſia eſt conſtituta
„ ſenſerunt non aliud a Majoribus ac-
„ ceperunt; non aliud poſteris tradi-
„ derunt.... Hæc non ideo comme-
„ moravi, quod diſputatorum quo-
„ rumlibet ſententiis tanquam cano-
„ nica auctoritate nitamur; ſed ut
„ appareat, ab initio uſque ad præ-
„ ſens tempus, quo iſta novitas orta
„ eſt, hoc de originali peccato apud
„ Eccleſiæ Fidem tanta conſtantia cu-
„ ſtoditum, ut ab eis, qui dominica
„ tractarunt eloquia, magis certiſſi-
„ mum proferretur ad alia falſa re-
„ futanda, quam id tanquam falſum
„ refutari ab aliquo tentaretur.

Idem Auguſtinus plerorumque Sanctorum Patrum teſtimonia, quæ adverſus Julianum perhibuerat, ad probandum originale peccatum ſic iterum, attulit: „ Propter (*b*) quam
„ catholicam veritatem Sancti, ac
„ Beati, & in Divinorum eloquiorum
„ pertractatione clariſſimi Sacerdotes
„ Irenæus, Cyprianus, Rheticius,
„ Olympius, Hilarius, Ambroſius,
„ Gregorius, Innocentius, Joannes,
„ Baſilius, quibus adde Præsbyterum,
„ ve-

(a) S. *Aug. lib.* 2. *de pecc. mer. & rem. cap. V. p.* 76. *T. X.*

(b) *S. Aug. lib.* 2. *cont. Jul. cap. X. pag.* 548. *T. X.*

„ velis, nolis; Hieronymum, ut
„ omittam eos, qui nondum dor-
„ mierunt, adverſus vos proferunt
„ de omnium hominum peccato origi-
„ nali obnoxia ſucceſſione ſententiam
„ .... Nec eos, qui nunquam fue-
„ runt, aut non ſunt, aut quorum
„ ſententiæ de hoc, quod inter nos
„ diſputatur, incertæ ſunt, inani co-
„ gitatione confinxi: ſed Sanctos, &
„ in ſancta Eccleſia illuſtres Antiſti-
„ tes Dei, non Platonicis, & Ariſto-
„ telicis, & Zenonicis, aliiſque hu-
„ juſmodi vel Græcis, vel Latinis,
„ quamquam & iſtis aliquos eorum,
„ verum omnes Sacris Litteris eru-
„ ditos, nominatim, ſicut oportebat
„ expreſſi, eorumque ſententias, quan-
„ tum ſufficere videbatur, ſine ulla
„ editas ambiguitate digeſſi; ut in
„ eis timeas non ipſos, ſed illum,
„ qui ſibi eos utilia vaſa formavit,
„ & ſancta templa conſtruxit......
„ Tibi (*a*) ſunt terribiliores, quia
„ oppugnas catholicam Fidem .....
„ quam contra inimicos etiam vos
„ nondum natos, unde nunc revela-
„ mini, apertiſſime, ac fortiſſime
„ defenderunt.

Hiſce, aliiſque S. Auguſtini teſtificationibus, quas jam antea produximus, ea omnia, quæ Dallæus obiicit, confutantur.

Quamvis enim aliqui Scriptores eccleſiaſtici, ſeorſum accepti, & errare potuerint, & aliquando in errorem ſint lapſi; quod Auguſtinus in Epiſtola ad S. Hieronymum ſcripta ſignificavit: nihilominus plerique Patres ſimul ſumpti in tradendis Catholicæ Fidei dogmatibus non errarunt, nec decipi potuerunt: quoniam iſti *multi Scriptores id tradiderunt*, quod & a *Majoribus acceperunt*, & *ab initio uſque ad præſens tempus apud Eccleſiæ Fidem magna conſtantia cuſtoditum eſt*. *Hoc ſine ulla ambiguitate* Auguſtinus contra Hereticos Pelagianos præſcripſit, magni exiſtimans intereſſe ad Decus, & laudem Catholicæ Religionis, res tam graves, tamque præclaras ſuis in litteris contineri. Etenim illi *multi*, atque adeo plerique Scriptores, quos poſtea idem S. Doctor recenſuit, in eo, quod *Eccleſiæ Fidem a majoribus acceptam conſtanter tradiderint*, propterea falli, & fallere nequiverunt; quia eandem *Fidem Catholicam contra inimicos hæreticos*, *contra falſa*, *contraque* (*b*) *ſuorum temporum errores*, *apertiſſime*, *ac fortiſſime defenderunt*.

Atque ut hiſce illa, quæ a Dallæo opponuntur, retundam, ac S. Auguſtini quædam dicta enucleem: iterum hic obſervo, quod ipſe Auguſtinus adverſus Julianum Pelagianum iſta protulerit: „ Alia ſunt, (*c*)
„ in quibus inter ſe aliquando etiam
„ doctiſſimi, atque Optimi. Regulæ
„ Catholicæ Defenſores, ſalva Fidei
„ compage, non conſonant, & alius
„ alio de una re melius aliquid dicit,
„ & verius.

Itaque rerum veriſimilium Quæſtiones, & *veriora*, ſive probabiliora Veterum dicta omnino ſecernuntur a *Regula Catholica*, ſecundum quam idem Auguſtinus (*d*) relatus prædocuit,

(a) *Ibid. cap. X. num. 37.*
(b) *Vide Obſervationes diſſertationis ſextæ.*
(c) *S. Aug. lib. 1. cont. Jul. cap. VI.*
(d) *S. Aug. lib. 2. cont. Jul. cap. V. cit. Vide integrum textum S. Auguſtini diſſ. ſexta pag. 114.*

cuir, *hanc eſſe Catholicam Fidem non diſonante* pluriu n Patru n *Conteſtatione firmatam:* in quibus duabus Auguſtini aſſertionibus diſcri nen elucer, quod ad reſſellenda Dallæi argumenra plurimum valer, collatis ramen omnibus Auguſtini enuntiatis.

Is ergo, ut autea vidimus, a S. Paulo Apoſtolo Petrum vere reprehenſum fuiſſe, defendit, ar S. Hieronymus aliud cenſuit ex nonnullis antiquis Scriproribus: de quibus Auguſtinus in epiſtola, quam ad Hieronymum ſcripſerar diſceptavit, & ei reſpondit hoc modo: „ Ego *(a)* fa-
„ teor Charitari tuæ ſolis eis Scri-
„ pturarum libris, qui jam cano-
„ nici appellantur, didici hunc ti-
„ morem, honoremque deferre, ur
„ nullum eorum auctorum ſcribendo
„ aliquid erraſſe, firmiſſime credam
„ .... Alios autem ita lego, ur quan-
„ talibet ſanctitate, doctrinaque præ-
„ polleant; non ideo verum puteu,
„ quia ipſi ira cenſuerunt, ſed quia
„ mihi vel per illos auctores canoui-
„ cos, vel probabili ratione, quod a
„ vero non abhorreat, perſuadere
„ potuerunt.... Flagiras a me, ut
„ aliquem ſaltem unum oſtendam,
„ cujus in hac re ſenteutiam ſim ſe-
„ cutus, cum tu jam plures nomi-
„ narim commemoraveris, qui te in
„ eo quod adſtruis, præceſſerunt, pe-
„ tens, ut in eo, ſi te reprehendo
„ errantem, patiar re erraſſe cum ta
„ libus; quorum Ego, fateor, nemi-
„ nem legi. Sed cum ſint ferme ſex
„ vel ſeptem; horum quatuor au-
„ ctoritatem tu quoque infringis.
„ Nam Laodicenum, cujus nomen ta-
„ ces, de Ecclesia dicis nuper egreſ-
„ ſum: Alexandrum autem veterem
„ hæreticum. Origenem vero ac Dy-
„ dimum reprehenſos abs te legi in
„ recentioribus opuſculis tuis... Tres
„ igitur reſtant, Euſebius Emiſſe-
„ nus, Theodorus Heracleenſis, &,
„ quem paulo poſt commemoras, Joan-
„ nes, qui dudum in pontificali gra-
„ du Conſtantinopolitanam rexit Ec-
„ cleſiam. Porro ſi quæras, vel reco-
„ las, quid hinc ſenſerint noſter
„ Ambroſius, quid noſter itidem Cy-
„ prianus: invenies fortaſſe, nec no-
„ bis defuiſſe, quos in eo, quod
„ aſſerimus, ſequeremur. Quanquam,
„ ſicut paulo ante dixi, tantummo-
„ do Scripturis Canonicis hanc in-
„ genuam debeam ſervitutem, qua
„ eas ſolas ira ſequar, ut Conſcri-
„ ptores earum, nihil in eis omni-
„ no erraſſe, nihil fallaciter poſuiſ-
„ ſe non dubitem. Proinde cum
„ quærro Tertium, ut tres etiam Ego
„ tribus opponam: poſſem quidem,
„ ut arbitror, facile reperire: ve-
„ rumramen ipſe mihi pro his om-
„ nibus, immo ſupra hos omnes
„ Apoſtolus Paulus occurrit.... Pro-
„ inde Chariſſimos noſtros, qui no-
„ ſtris laboribus ſinceriſſime favent,
„ hoc potius, quanta poſſumus, in-
„ ſtantia doceamus, quo ſcianr, fie-
„ ri poſſe, ur inter chariſſimos ali-
„ quid alterurro ſermone contradi-
„ carur; nec tamen Chriſtiana Cha-
„ ritas minuatur.... Sive illud ve-
„ rum ſit quod contradicitur, ſive
„ corde veraci, qualecumque ſit, di-
„ citur.

Tum S. Doctor contra *(b)* Fauſtum

(b) *S. Aug. epiſt. 82. pag. 198. & ſeq. t. 2.*

(b) *S. Aug. lib. XI. contr. Fau. cap. V. p. 221.*

ſtum Manichæum ſcripſit, quod de
omnibus, quæ in ſacris litteris con-
tinentur, dubitare non liceat. Quo-
circa Auguſtinus ita diſſeruit: „ De
„ his enim libris dici poteſt, aliquid
„ eos habere non conſonum fortaſſe
„ occultiori, & ad dignoſcendum
„ difficiliori veritati, quod aut ſic
„ remanſerit, aut in poſterioribus
„ correctum ſit; qui non præcipiendi
„ auctoritate, ſed proficiendi exer-
„ citatione ſcribuntur a nobis. In-
„ ter hos enim ſumus, quibus idem
„ Apoſtolus dicit, (a) *etſi quid aliter*
ſapitis; id quoque vobis Deus revelabit.
„ Quod genus litterarum non cum
„ credendi neceſſitate, ſed cum ju-
„ dicandi libertate legendum eſt.
„ Cui tamen ne interdiceretur lo-
„ cus, & adimeretur poſteris ad dif-
„ ficiles quæſtiones tractandas, atque
„ verſandas linguæ, ac ſtyli ſaluber-
„ rimus labor: diſtincta eſt a Po-
„ ſteriorum libris excellentia canoni-
„ cæ auctoritatis veteris, & novi
„ Teſtamenti; quæ Apoſtolorum fir-
„ mata temporibus, per ſucceſſiones
„ Epiſcoporum, & propagationes
„ Eccleſiarum tanquam in ſede qua-
„ dam ſublimiori collocata eſt, cui
„ ſerviat omnis fidelis, & pius in-
„ tellectus. Ibi ſi quid abſurdum
„ moverit, non licet dicere, auctor
„ huius libri non tenuit veritatem:
„ ſed aut codex mendoſus eſt, aut
„ interpres erravit, aut tu non in-
„ telligis. In operibus autem poſte-
„ riorum, quæ libris innumerabili-
„ bus continentur, ſed nullo modo
„ illi ſacratiſſimæ canonicarum ſcri-
„ pturarum excellentiæ coæquantur,
„ etiam in quibuſcumque eorum in-
„ venitur eadem veritas longe tamen
„ eſt impar auctoritas. Itaque in
„ eis ſi qua forte propterea diſſona-
„ re putantur a vero, quia non ut
„ dicta ſunt, intelliguntur; tamen
„ liberum ibi habet lector, audito-
„ rue judicium, quo vel approbet
„ quod placuerit, vel improbet,
„ quod offendit, & ideo cuncta ejuſ-
„ modi, niſi vel certa ratione, vel
„ ex illa canonica auctoritate defen-
„ dantur, ut demonſtretur, ſive
„ omnino ita eſſe, ſive fieri potuiſ-
„ ſe, quod vel diſputatum ibi eſt,
„ vel narratum, ſi cui diſplicuerit,
„ aut credere noluerit, non repre-
„ henditur.... In illa verò canoni-
„ ca Eminentia ſacrarum Litterarum
„ etiamſi unus Propheta, ſeu Apo-
„ ſtolus, aut Evangeliſta aliquid in
„ ſuis litteris poſuiſſe ipſa canonis
„ confirmatione declaratur, non li-
„ cere dubitare, quod verum ſit:
„ alioquin nulla erit pagina, qua
„ humanæ imperitiæ regatur infirmi-
„ tas, ſi librorum canonicorum ſa-
„ luberrima auctoritas aut contem-
„ pta penitus aboletur, aut inter-
„ minata confunditur.

Præterea S. Auguſtinus Donati-
ſtas, qui hæreticos recte babtizatos
iterum baptizandos eſſe hæreſi affir-
mabant, & S. Cypriani Epiſtolam
ad Quintum obiiciebant, ſic refuta-
vit: „ Quis neſciat (a) ſanctam ſcri-
„ pturam canonicam tam veteris,
„ quam novi Teſtamenti ſuis ter-
„ minis contineri, eamque omnibus
„ poſterioribus Epiſcoporum litteris
„ ita præponi, ut de illa omnino
„ du-

(a) *Ad Phil.* 3.v.16. (b) *S. Aug. lib.* 2. *de bapt. contr. Donat. cap.* 3. *pag.* 98. *tom. IX.*

„ dubitari, & diſceptari non poſſit,
„ utrum verum, vel utrum rectum
„ ſit, quicquid in ea ſcriptum eſſe
„ conſtiterit: Epiſcoporum autem
„ litteras, quæ poſt confimatum ca-
„ nonem vel ſcriptæ ſunt, vel ſcri-
„ buntur, & per ſermonem forte ſa-
„ pientiorem cujuslibet in ea re pe-
„ ritioris, & per aliorum Epiſcopo-
„ rum graviorem auctoritatem, do-
„ ctioremque prudentiam, & per
„ Concilia licere reprehendi, ſi quid
„ in eis forte a veritate deviatum
„ eſt: & ipſa Concilia quæ per ſin-
„ gulas regiones, vel provincias fi-
„ unt, plenariorum Conciliorum
„ auctoritati, quæ fiunt ex univerſo
„ Chriſtiano orbe, ſine ullis amba-
„ gibus cedere; ipſaque plenaria ſæ-
„ pe priora poſterioribus emendari:
„ cum aliquo experimento rerum
„ aperitur, quod clauſum erat, &
„ cognoſcitur, quod latebat ſine ul-
„ lo typo ſacrilegæ ſuperbiæ, ſine
„ ulla inflata cervice arrogantiæ, ſi-
„ ne ulla contentione lividæ invidiæ,
„ cum ſancta humilitate, cum pace
„ catholica, cum charitate Chriſtia-
„ na. Quapropter Sanctus Cypria-
„ nus tanto excellentior, quanto hu-
„ milior; qui documentum Petri ſic
„ amavit, ut diceret, *documentum (a)*
ſcilicet nobis & concordiæ, & patien-
tiæ tribuens, ut non pertinaciter noſtra
amemus, ſed quæ aliquando a Fratri-
bus, & Collegis noſtris utiliter, &
ſalubriter ſuggeruntur, ſi ſint vera, &
legitima, ipſa potius noſtra ducamus,
„ ſatis oſtendit facillime ſe corre-
„ cturum ſententiam ſuam, ſi quis
„ & demonſtraret, baptiſmum Chri-
„ ſti ſic dari poſſe ab eis, qui foras
„ exierunt; quemadmodum amitti
„ non potuit, cum foras exirent,
„ unde multa jam diximus. Nec
„ nos ipſi tale aliquid auderemus
„ aſſerere, niſi univerſæ Eccleſiæ
„ concordiſſima authoritate firmati,
„ ut & ipſe ſine dubio cederet, ſi
„ jam illo tempore Quæſtionis ve-
„ ritas eliquata, & declarata per
„ plenarium Concilium ſolidaretur.
„ .... Nolite ergo nobis auctorita-
„ tem obiicere Cypriani ad baptiſmi
„ repetitionem, ſed tenete nobiſcum
„ exemplum Cypriani ad unitatis
„ conſervationem. Nondum enim
„ erat diligenter illa baptiſmi Quæ-
„ ſtio pertractata; ſed tamen ſalu-
„ berrimam conſuetudinem tenebat
„ Eccleſia, in ipſis quoque Schiſma-
„ ticis, & hæreticis corrigere quod
„ pravum eſt, non iterare, quod
„ datum eſt, ſanare quod vulnera-
„ tum eſt, non curare quod ſanum
„ eſt. Quam conſuetudinem credo
„ ex Apoſtolica traditione venien-
„ tem, ſicut multa non inveniuntur
„ in litteris eorum, neque in Con-
„ ciliis poſteriorum; & tamen quia
„ per univerſam cuſtodiuntur Ec-
„ cleſiam, nonniſi ab ipſis tradita,
„ & commendata creduntur.

Tandem S. Auguſtinus (*b*) ad-
verſus quemdam, qui oculis corpo-
reis Deum videri poſſe minus bene
contendebat, ob idque nonnullis Au-
ctoribus Eccleſiaſticis abutebatur,
attulit plures Sanctorum Patrum au-
ctoritates, & ita concluſit: „ Hæc
„ omnia de litteris eorum & Lati-
„ norum, & Græcorum, qui priores

H „ no-

(a) *S. Cypr. Epiſt. 71. ad Quint.* (b) S. *Aug. Epiſt. 148. ad Fortunatianum p. 502. t. 2.*

„ nobis in catholica Eccleſia viven-
„ tes, Divina eloquia tractaverunt,
„ ideo commemoranda arbitratus
„ ſum, ut ſciat iſte Frater, ſi quid
„ aliter, quam iſti, ſentiat, depoſi-
„ ta diſſentionis amaritudine, &
„ fraternæ charitatis ſuavitate ſer-
„ vata, atque in integrum reſtituta,
„ diligenti, & tranquilla conſidera-
„ tione quærendum, vel diſcendum,
„ vel docendum. Neque enim quo-
„ rumlibet diſputationes, quamvis
„ catholicorum, & laudatorum ho-
„ minum, velut ſcripturas canoni-
„ cas habere debemus, ut nobis non
„ liceat, ſalva honorificentia, quæ
„ illis debetur hominibus, aliquid
„ in eorum ſcriptis improbare, at-
„ que reſpuere, ſi forte inveneri-
„ mus, quod aliter ſenſerint, quam
„ veritas habet, Divino adjutorio
„ vel ab aliis intellecta, vel a nobis.
„ Talis Ego ſum in ſcriptis aliorum
„ quales volo eſſe intellectores meo-
„ rum. Denique in iis omnibus,
„ quæ de opuſculis Sanctorum, at-
„ que Doctorum commemoravi, Am-
„ broſii, Hieronymi, Athanaſii,
„ Gregorii, & ſi quæ aliorum talia
„ legere potui, quæ commemorare
„ longum putavi Deum non eſſe
„ corpus, nec formæ humanæ habe-
„ re membra, nec eum eſſe per lo-
„ corum ſpatia diviſibilem, & eſſe
„ natura incommutabiliter inviſibi-
„ lem; nec per eandem naturam,
„ atque ſubſtantiam, ſed aſſumpta
„ viſibili ſpecie, ſicut voluit, appa-
„ ruiſſe iis, quibus apparuit, quan-
„ do per corporis oculos in Scriptu-
„ ris ſanctis viſus eſſe narratur, in
„ Adjutorio Domini inconcuſſe Cre-
„ do.

Itaque Auguſtinus prædocuit, non omnes, non multos, non pleroſque Eccleſiaſticos Scriptores ſimul acceptos, ſed nonnullos ſeorſim ſumptos, quatenus ſcilicet horum poſteriorum aliqui a paucis aliis diviſi eſſent, in aliquo erraſſe. Erravit enim *Laodicenus de Eccleſia egreſſus*: erravit *Alexander vetus hæreticus*: erravit in quibuſdam Origenes, quem tamen errorum pænituit: denique eo reprehenſus eſt (a) *Didymus*, quod Origenem tuitus ſit. Atqui ab his *quatuor* Auguſtinus *Tres* alios aperte ſejunxit, ajens, *tres igitur reſtant, Euſebius Emiſſenus, Theodorus Heracleenſis, & Joannes Chryſoſtomus*; quibus nullum errorem Auguſtinus attribuit. Evidens igitur eſt, hunc ſan-

(a) Nota. S. Hierony. lib. pr. contra Ruffinum num. 6. ait *Cætera autem dogmata, de Angelorum ruina, de animarum lapſu &c. vel ita vertiſſe, ut in Græco invenerat, vel de commentariolis Didymi, qui Origenis apertiſſimus propugnator eſt, exaggerata, & firmiora poſuiſſe.* Tum lib. 2. num. 16. Ruffino hæc dixit: *Quid reſpondebis pro Didymo, qui certe in Trinitate catholicus eſt: Cujus etiam nos de Spiritu Sancto librum in latinam linguam vertimus. Certe hic in his, quæ ab hæreticis in Origenis operibus addita ſunt, conſentire non potuit.* Etſi ergo Didymus Origenis *apertiſſimus propugnator fuit*: non tamen *in his, quæ ab hæreticis in Origenis operibus addita ſunt, conſenſit*, quippequi *in Trinitate Catholicus eſt*.

Digitized by Google

ſanctum doctorem ſenſu diviſo prius eſſe loquutum; quia non pleroſque, neque omnes Patres uniter ſumptos, nec tres poſteriores; ſed illos *quatuor* priores ab his *tribus* ſecluſos, in errorem lapſos fuiſſe præmonuit.

Et quoniam de re *probabili*, quam ſæpe explicavimus, S. Hieronymus, & S. Auguſtinus tractabant, utique *ſalva Fidei compage:* idcirco Auguſtinus pro ſe S. *Cyprianum*, & S. *Ambroſium* adlegavit, alium quærens auctorem, ut tres prædictis *Tribus opponeret:* in quo etiam apparet, quod & Auguſtinus hos nonnullos Patres diviſim acceperit, & ſuam illam obſervationem reſpexerit, de qua optime dixerat: *Alia ſunt, in quibus inter ſe aliquando optimi Regulæ Catholicæ defenſores, ſalva Fidei compage, non conſonant, & alius alio de una re melius aliquid dicit & verius:* in qua adnotatione Auguſtinus *Catholicam Fidei regulam* ſecrevit a veriſimilibus, aut veriſimilioribus, verioribus, ſive probabilioribus rebus: de quibus ipſe in allata Epiſtola ad Hieronymum dumtaxat quæſtionem tractavit; ideoque *probabili rationi* locum dedit, & *contradicendi* libertatem conceſſit, atque ita aliquos Patres, quorum *alius alio aliquid melius dicit & verius*, ſeorſum in ea re probabili accepit.

Ex iis omnibus ſequitur, ut Auguſtinus ſe *ſolas ſcripturas canonicas ſequi* ideo dixerit, quia S. Doctor dubio procul ſpectavit Canonem illum *ſcripturarum Canonicarum* nomine diſerte notatum, quem ex Apoſtolorum traditione, quam plerique Patres uniter exhibent, Orthodoxa Eccleſia conſtituit.

Hoc Catholicum dogma ita certiſſimum eſt, ut S. Auguſtinus in altero allato loco, quem etiam Dallæus adducit, Manichæos, qui nonnullos ſacros Novi Teſtamenti textus depravatos eſſe, errore contendebant, refutavit his verbis: *diſtincta eſt a Poſteriorum libris excellentia Canonicæ auctoritatis Veteris, & Novi Teſtamenti, quæ Apoſtolorum firmata temporibus, per ſucceſſiones Epiſcoporum, & propagationes Eccleſiarum tamquam in ſede quadam ſublimiori collocata eſt. In illa Canonica Eminentia ſacrarum litterarum etiamſi unus Propheta, ſive Apoſtolus aliquid in ſuis litteris poſuerit: ipſa canonis confirmatione declaratur, non licere dubitare, quod verum ſit.* Ecce ex traditione *ſacrarum litterarum canonem*, quem alibi ex ipſo Auguſtino retulimus, confirmatum: Quoniam *Canonicæ illarum auctoritatis excellentia Apoſtolorum firmata temporibus* demonſtratur *per propagationes Eccleſiarum*, perque *ſucceſſiones Epiſcoporum;* qui utique traditionem ipſam, qua ejuſdem *Canonis Confirmatio declaratur*, prædicarunt: quem *Canonem* proinde, ac traditionem ipſe Auguſtinus *Canonicarum ſcripturarum* nomine, ut præmonuimus denotavit. Atqui plerique Patres ſimul accepti ſuis in ſcriptis traditionem Apoſtolicam exhibuerunt; quod ex alio opere primitus adlegato, quod contra Pelagianos Auguſtinus compoſuerat, evidenter oſtenditur: ubi S. Doctor ex *Chriſtianarum diſputationum ſcriptoribus multis* probavit, *documentum de peccato originali certiſſimum* eſſe; quia *ab initio creditum, a majoribus acce-*

ptum, & *Poſteris traditum* fuit. Quare etiamſi unus, vel alter Scriptor ab aliis pleriſque ſecretus, exempli cauſa Cyprianus, ejuſque Synodus Carthaginenſis in nonnullis litteris ſuis, & actis poſuerint baptiſmi repetitionem *non conſonam Veritati:* Hanc tamen non repetendi baptiſmatis veritatem maxima Chriſtianorum pars ex *Apoſtolica traditione*, ut ipſe Auguſtinus loquitur, agnoſcebat, atque tenebat; unde Synodum illam Carthaginenſem, & aliam Iconienſem, & illa Cypriani ſenſu veritati *non conſona univerſi orbis Concilium*, quod Nicænum I. ab Eruditioribus putatur, *emendavit*. Sic ergo major, aut maxima Patrum pars apta, connexa, & colligata traditionem Apoſtolicam docuit, ex eaque Generales Synodi Fidei dogmata confirmarunt, tradente Auguſtino; qui etiam *Deum non eſſe corpus credidit ex ſanctorum doctorum* teſtimoniis.

Hæc omnia obſervata non fuere Dallæo, qui minime aſpexit, ab Auguſtino tria Aſſertionum genera, quæ in veterum operibus extant, celebrata fuiſſe.

Unum eſt probabilium opinionum, quibus *alius alio aliquid melius dicit, & verius:* quo in genere cum aliqui Scriptores, uti ex Auguſtino demonſtravimus, diviſim accipiantur: iſti hoc modo ſumpti falli potuerunt, niſi e ſacris Scripturis Canonicis, & *probabilibus rationibus* quidpiam aut veriſimile, aut veriſimilius collegiſſent.

Alterum credendarum *Canonicarum Scripturarum* genus eſt a priori propterea diverſum, quia de Divinis litteris, quas Eccleſia Catholica *Canone* ſuo *confirmavit, dubitare non licet;* cujus indubitatæ *confirmationis* hanc non probabilem, ſed *certam rationem* reddidit Auguſtinus, quod videlicet *Apoſtolorum temporibus* eædem Scripturæ *Canonicæ veteris*, ac *novi Teſtamenti firmatæ* fuerint, quemadmodum teſtantur & *Epiſcoporum (a) ſucceſſio, & Eccleſiarum propagatio*, & *multi Eccleſiaſtici* Auctores, quos idem S. Doctor, cum etiam Manichæos refutaret, ſecutus eſt.

Tertium genus eſt *Apoſtolicæ* traditionis, cui æque ac Scripturis canonicis *credidit* Auguſtinus, qui non modo e divinis litteris, verum etiam ex ipſa traditione Originale peccatum oſtendit, dum ipſum a *majoribus*, & a *multis Scriptoribus* traditum, ac commemoratum aſſeruit. Atque etiam Donatiſtis Cypriani Epiſtolam ad Quintum afferentibus non modo ſacras Scripturas indeficientes, ſed & *Traditionem* Apoſtolicam etiam indeficientem, e qua *conſuetudo non repetendi baptiſmi veniebat*, oppoſuit, *firmatus concordiſſima Eccleſiæ auctoritate*, quam eidem Eccleſiæ Catholicæ & ſcriptura divina, & Traditio Apoſtolica tribuunt.

Hæc igitur duo in cauſis Fidei Orthodoxæ, de qua adverſus Dallæum agimus, Auguſtinus propoſuit, ac multam curam, & diligentiam adhibuit, ut iiſdem duobus principiis Manichæorum, Donatiſtarum, ac Pelagianorum hæreſes re-

(a) *Videſis hujus Operis criticam Proluſionem.*

removeret. Eorum itaque duorum unum, ſcilicet *Traditionem Apoſtolicam* ab Auguſtino indubitanter commendatam Dallæus omiſit, quò & omnia miſceret, & probandis Fidei dogmatibus plerorumque Patrum auctoritates adhibendas eſſe, inficiaretur errore.

Etenim prætereo, quod veriſimiles aliquorum veterum enuntiationes, quas e ſacris *auctoritatibus canonicis* eruunt, Auguſtinus a certiſſima *Regula Catholica*, quam plerique Patres *non diſſonante conteſtatione defendunt*, aperte ſecreverit, & illius auctoritatis, & probabilis *rationis* quidpiam habere voluerit: quas proinde *probabiles* aliquorum Veterum diviſe ſumptorum Aſſertiones in Fidei ſententiam trahere, iſtamque cum illis confundere Dallæus ſiniſtre conatur: quoniam Auguſtinus ipſam *probabilem rationem*, quam nonnulli antiqui Scriptores adhibent, aperte diſtinxit a *certiſſimo* peccati originalis *documento*, & *Hanc eſſe Catholicam Fidem non diſſonante Plurium Conteſtatione Firmatam* aſſeruit. Ergo Dallæus falſe dicit, quod Auguſtinus diſerte docuit, Patrum aſſertiones non ipſorum auctoritate, ſed rationibus, quas afferunt, niti, & de Fide non eſſe, niſi Scripturæ, & rationi conſonæ ſint, & ex utraque eſſe examinandas. Hæc autem verba, in quibuſdam erronea quæ Patrum auctoritatem, Fidem, ac traditionem excludunt, Dallæus fecit, non Auguſtinus; qui S. Doctor aliter de probabilibus nonnullorum veterum diviſe acceptorum enunriationibus, aliter de Fidei Regula locutus, affirmavit, illas veriſimiles, vel *veriores* pronuntiationes, *in quibus* aliqui *Patres aliquando non conſonant*, & ad *rationem probabilem conformari*; & *alias* eſſe, ſive differre a *Regula Catholica*, quæ ſcilicet *univerſæ Eccleſiæ auctoritate* ad ipſas *Canonicas Scripturas*, atque ad *Apoſtolicam Traditionem*, certo credendas dirigit, quæque *non diſſonante plurium conteſtatione firmatur*. Hæc igitur *conteſtatio* non in probabilibus rationibus, ſed in conſonis, certiſque plerorumque Patrum aſſertionibus, & auctoritatibus, quæ pro *catholicæ Fidei teſtimonio* ſunt, firmiſſime ponitur; atque ita de *Fide* eſt, & ex Scriptura, ac ratione examinari, ſive in dubium vocari non poteſt; utpote quæ ſit *certiſſimum* ejuſdem *Fidei Catholicæ documentum*, Auguſtino monſtrante; qui etiam diſerte innuit, quod iidem plures Patres, quamvis homines fuerint, tamen uniter ſumpti in tradendis Fidei dogmatibus errare, fallere, & falli nequiverunt; quia ſua *non diſſonante conteſtatione Catholicam Fidem*, *quæ deficere nequit*, firmaverunt. Firmat quoque hæc omnia ipſe S. Doctor ultimo loco, quem Dallæus feſtive adducit, & tamen ejus conſequentia ſubdole prætermiſit. Nam cum S. Doctor primum protulit, *quorumlibet* auctorum *diſputationes velut ſcripturas canonicas* habendas non eſſe, & eorum *aliquid* ab Aliis *improbari* poſſe, ac *reſpui*: id certe de quibuſlibet Scriptoribus ſeorſum acceptis intellexit: quippe qui *Alios* ab aliis utique ſejunctos, qui videlicet aliorum *aliquid* reſpuere poſſunt, monſtraverit. At deinde plures Sanctos

Pa-

Patres uniter ſumpſit, dum allatis iſtorum auctoritatibus, ait, *in iis omnibus, quæ de opuſculis Sanctorum, atque doctorum commemoravi, Deum non eſſe Corpus, nec formæ humana habere membra; & eſſe natura inviſibilem, nec per eandem ſuam ſubſtantiam, ſed aſſumpta viſibili ſpecie apparuiſſe iis, quibus apparuit, quando per corporis oculos in Scripturis Sanctis viſus eſſe narratur, inconcuſſe Credo*. Quis hinc inculcatis S. Auguſtini verbis illas Dallæi argutationes confutatas non adſpicit? Ea namque certiſſima *Sanctorum*, quos ſimul nuncupavit, documenta, ſive indubitatæ aſſertiones, quæ Deum omnino incorporeum, & natura inviſibilem *credendum* tradunt, non probabilibus rationibus, ſed certis *ſanctorum doctorum* auctoritatibus, quas ipſorum *Opuſcula* continent, profectò nituntur, atque ita de Fide ſunt, ut eaſdem auctoritates non ex Scriptura, & ratione examinandas, ſed ipſis *doctorum opuſculis Sanctam Scripturam*, quæ *Deum* quibuſdam *apparuiſſe* narrat, de *aſſumpta ſpecie viſibili* conſonanter explicatam, Auguſtinus certo tradiderit; quoniam ſecundum eas concordes *Sanctorum* ſententias *Deo* incorporeo, & *inviſibili*, atque in aſſumpta illa ſpecie aliquando apparenti *inconcuſſe credidit*; atque adeo plures *Sanctos Eccleſiæ doctores* ſimul ſumptos in tradendis Fidei Catholicæ dogmatibus neque falli, neque errore aliquo *concuti* potuiſſe declaravit.

Ex iis omnibus liquet, quod quamvis S. Auguſtinus veterum Scriptorum *Catholicorum* libros *velut Scripturas Canonicas non habuerit*: tamen prædocuit, a multis, atque adeo a pleriſque Eccleſiaſticis auctoribus *Eccleſiæ Fidem, & auctoritatem, ac Scripturas Canonicas*, atque *Apoſtolicam traditionem, creditas* eſſe atque monſtratas.

Eadem in omnibus Fidei dogmatibus Hieronymus dicit.qui poſtquam adverſus Joviniani hæreſim, ut alibi diximus, aliquas S. Ambroſii attulit auctoritates; ita concludit: „ Ex quibus (*a*) univerſis „ perſpicuum eſt, me nihil novi „ de Virginibus, Nuptiſque dixiſſe, „ ſed Majorum in omnibus ſequutum eſſe ſententiam tam hujus „ videlicet, quam reliquorum, qui „ de Eccleſiaſticis dogmatibus diſputarunt, quorum æmulari exopto negligentiam potius, quam „ aliorum obſcuram diligentiam.

Opponam itaque Dallæo multa miſcenti eum Hieronymi textum: ubi S. Doctor non de opinionibus, ſed *de Eccleſiaſticis dogmatibus* agit, de quibus *majores*, & Ambroſius, & *reliqui diſputarunt*; qui plerique erant quatuor priorum ſæculorum Scriptores, a nonnullis *aliis* eo diſtincti, quod illi *majores* certa Fidei *dogmata* magis, quam elocutionem in pretio haberent; iſti *alii* autem de verbis magis, quam de rebus laborarent. Ideoque Hieronymus illam *majorum* non ingratam *negligentiam potius*, quam *aliorum obſcuram diligentiam æmulari* exoptabat, *ſecutus in omnibus*, quibus Joviniani hæreſim refutaverat, ipſorum multorum

(a) *S. Hier. ep. 47. ad Pamm. pag. 224. tom. 1.*

torum *majorum ſententiam*: in qua proinde plerique iidem *majores* conſtabant, & conſentiebant, atque adeo ab Hieronymo uniter accipiebantur, ut minime erraverint in docendis *Eccleſiaſticis* dogmatibus, quippe quibus errores evertebantur. Ergo aliter, atque a Dallæo falſe obiicitur, Hieronymus de Fidei *dogmatibus*, quæ plerique *majores* ſimul ſumpti indeficienti *ſententia* tradiderant, ſenſit, ac docuit.

Sin autem requiras, quæ cauſa hunc S. Doctorem quodam modo impulerit, ut ea, quæ Dallæus primum adducit, litteris mandaret: nihil eſt, quod ex ipſo Hieronymo expedire facile poſſimus; qui S. Doctor Pammachio id ſcripſit: „ Qui
„ (a) ſæpe navigat, aliquando pati-
„ tur tempeſtatem: qui viam me-
„ tuit, omnique in arte tam glo-
„ ria, quam obtrectatio, ſecundis,
„ adverſiſque ventis oritur; dum
„ aut amici plus merito laudant,
„ aut inimici plus juſto detrahunt;
„ rarumque invenias, qui in utram-
„ que partem non favore, aut odio,
„ ſed rerum æquitate ducatur. Quod
„ mihi in Scripturarum explanatio-
„ ne ſudanti accidere video. Alii
„ enim quaſi parva contemnunt, &
„ quidquid dixerimus, contracta na-
„ re deſpiciunt, alii odio nominis
„ noſtri, non res, ſed perſonas
„ conſiderant: magiſque aliorum ſi-
„ lentium, quam noſtrum ſtudium
„ probant. Sunt, qui audacter nos
„ facere aſſerant, quod arripuimus
„ opus, quod nullus ante nos lati-
„ norum tentare auſus eſt. Qui-
„ dam in eo ſe diſertos arbitran-
„ tur & doctos, ſi noſtro operi de-
„ trahant, & non quid ipſi poſſunt,
„ ſed quid nos poſſumus, diudi-
„ cent. Tu autem Pammachi, qui
„ nos facere præcepiſti hoc, neceſſe
„ eſt, ut fautor ſis imperii tui, &
„ Amaſimios, ac Rabirios noſtri
„ temporis, qui de Grecis bonis
„ latina faciunt non bona, & ho-
„ mines eloquentiſſimos, ipſi elin-
„ gues transferunt, Evangelico cal-
„ ces pede.... Poſtquam autem re-
„ verſa fuerit terra in terram
„ ſuam, & tam nos, qui ſcribi-
„ mus, quam eos, qui de nobis
„ judicant, pallida mors ſubtraxe-
„ rit, & alia venerit generatio,
„ primiſque cadentibus foliis, vi-
„ rens Silva ſuccreverit; tunc ſine
„ nominum dignitate ſola judican-
„ tur ingenia; nec conſiderat, qui
„ lecturus eſt, cujus, ſed quale ſit,
„ quod lecturus eſt: ſive ſit Epiſco-
„ pus, ſive laicus, Imperator, &
„ Dominus, Miles, & Servus, aut
„ in purpura, & ſerico, aut viliſ-
„ ſimo panno jaceat: non honorum
„ diverſitate, ſed operum merito
„ judicabitur.

Dallæus igitur contentionis cupidior, quam veritatis, illam cauſam deſerit, quam S. Hieronymus habuit, ut eam epiſtolam, quæ veluti Præfatio poſteriori ejus libro Commentariorum in Prophetam Oſeæ præfigitur, ſcriberet. Nam is S. Doctor hanc ipſam conſcribendæ illius epiſtolæ cauſam attulit, quod videlicet ipſius *operi* priori eorundem Commentariorum aliqui injuſte *de-*

tra-

(a) *S. Hier. Præfat. in 2. lib. comment. in Oſea: pag. 51. tom. VI.*

traherent; quorum quidem *alii contracta nare*, ac ſic nullo compoſito libro, eas Hieronymi *explanationes quaſi parvas deſpiciebant*: *Alii* vero *non res, ſed perſonas conſiderabant*, *magiſque aliorum ſilentium*, quam S. Doctoris *ſtudium probabant*; ac proinde nihil iſti reapſe ſeribebant: alii denique illud *explanatiorum opus audacter* ab eo *fieri aſſerebant*, qui tamen *de Græcis bonis*, hoc eſt, integris, ac non depravatis, *faciebant latina non bona*, ſive adulterina, & *Græcis* integris minime correſpondentia: quibus ſane indicatur Ruffinus, qui *Græcos* Origenis libros Periarchon minus bene in latinum tranſtulit, adductis quidem paucis ejus erroribus, ſed omiſſis pluribus hæreſibus magnis, quas in ipſis principiorum libris extare, Origenes, faſſus erat. Hos igitur græcos libros, eorumque latinam verſionem, ac Ruffini apologiam Hieronymus notavit, ſimulque innuit ſua opera. præſertim quæ adverſus eundem Ruffinum effecit. Ergo Dallæus falſo ſupponit, S. Doctorem de eo jure agere, quo indefinite „ nominibus ſcriptorum omnem prorſus „ auctoritatem abrogat: „ quod S. Hieronymo falſe ſuppoſitum eſt; qui, notata illa *latina* verſione *non bona*, id, quod a Dallæo callide omittitur, addidit: *Poſtquam tam nos, qui ſcribimus, quam eos, qui de nobis judicant mors ſubtraxerit; tunc ſine nominum dignitate ſola judicabuntur ingenia, ſive ſit Epiſcopus, ſive Laicus, non honorum diverſitate, ſed operum merito judicabitur*: quo in loco falſas Dallæi ſuppoſitiones non adſpicit nemo. Nam & Hieronymus tantum de ſuis *ſcriptis*, & de operibus illorum, qui *de* ipſo *judicabant*, hic ſermocinatus eſt. Non igitur, ut Dallæus ſibi fingit, præcedentium plerorumque omnium Patrum auctoritatem Hieronymus fregit: & quia alibi in confutando Joviniano, ut vidimus, *majorum ſententiam*, atque adeo auctoritatem *ſecutus* fuit: & quoniam hic ſua volumina, præcipue ea, quibus Origenis errores arguebat, atque eorundem illorum de ipſo *judicantium* ſcripta ſolum nominavit; quorum unus erat Ruffinus Præsbyter Aquileienſis, alter Joannes Hieroſolymitanus Antiſtes; qui Origenis erroribus (*a*) ductus, de *periculoſis* eorum *quæſtionibus inter populos*, qui *clamantes* Hieronymum expellebant, tractavit, ab iiſque, quibus Imperatores *publicam auctoritatem tribuerant*, *impetravit reſcriptum*, ut exilio afficeret eundem Hieronymum, adverſus quem etiam *mordaciſſimas litteras* ſcripſit, eumque accuſavit, quod Origenem tranſtuliſſet; cui accuſationi S. Doctor in epiſtola de (*b*) erroribus ipſius Joannis ita reſpondit: „ Conferamus arguentis ac„ cuſatione perſonas, & cujus vel „ meritum, vel vita, vel doctrina „ præceſſerit: illi magis accomode„ mus fidem .... Origenem me ar„ guit vertiſſe in latinum · hoc

non

(a) *Nota. Horum errorum poſtea Joannem illum pænituit, uti refert Gennadius in Catal. vir. ill. Cap. 50.*

(b) *S. Hier. in epiſt. 82. ad Theoph. pag. tom. 1.*

„ non ſolus Ego feci, ſed & Con-
„ feſſor Hilarius fecit; & tamen
„ uterque noſtrum noxia quæque
„ detruncans, utilia tranſtulit. Le-
„ gat ipſe, ſi novit (arbitror enim
„ eum aſſidua confabulatione, &
„ quotidiano latinorum conſortio
„ Romanum non ignorare ſermo-
„ nem) aut ſi certe penitus non
„ imbibir, interpretentur ei, qui
„ ſolent, & tunc ſciet, me in hoc
„ ipſo laudandum eſſe, quod de-
„ trahit. Sicut enim interpretatio-
„ nem, & idiomata Scripturarum
„ Origeni ſemper attribui; ita do-
„ gmatum conſtantiſſime abſtuli *(a)*
„ veritatem. Numquid Ego in tur-
„ bam mitto Origenem? Numquid
„ cæteris *(b)* Tractatoribus ſocio
„ me? Scio, aliter habere Apoſto-
„ los, aliter reliquos Tractatores?
„ illis ſemper vera dicere: iſtos in
„ quibuſdam ut homines aberrare.
„ Novum defenſionis genus: ſic
„ Origenis vitia non negare, ut
„ cum illo cæteros ctimineris. Vi-
„ delicet cum aperte defendere non
„ audeas, multorum ſimili errore
„ tuearis.

Ergo illi quos Hieronymus in epiſtola ad Pammachium retundit, fuerunt & alii *laici*, vel *milites*, vel *ſervi*, qui in Hieronymum *clamabant*: & alii *publici* Miniſtri, qui *Imperatoris* nomine *reſcriptum* illud *ſignarunt*: & nonnulli Fccleſiaſtici, videlicet Ruffinus Præsbyter, & Joannes *Epiſcopus*: in quibus *bonorum diverſitas* erat. Iſtorum ergo vel illa *latina* verſio non *bona* & apologia: vel *mordaciſſima litteræ*, ac *Reſcriptum ſine nominum dignitate*, atque ex *operum merito judicanda*. Poſt eorum mortem a S. Doctore dicuntur; qui proinde hanc *nominis dignitatem*, & honorem tantum illis recenſitis, non præcedentibus Patribus, eo ſenſu ademit, ut non illorum dignitates diverſæ, ſed ſcripta *non bona* ſpectanda eſſent lectori: iſtorum autem Patrum auctoritas, & maxime *doctrina* ad depellendos Origenis errores valere deberet. Hieronymus igitur nominibus plerorumque *Patrum*, qui præceſſerunt, quique ab Joanne illo, & Ruffino ſecreti erant, nullum jus teſtimonii perhibendi de *Fide*, nullamque auctoritatem detraxit: immo hæc iiſdem Patribus liquido tribuit, utpote quorum *doctrinæ Fidem accommodandam* eſſe ſtatuerit. Atque etiam S. Doctor idem jus dicendi teſtimonii pro Fide catholica ſibi ſervavit, dum Pammachium, & alios commonuit, ut Origenis errores, qui a *veritate* catholicorum *dogmatum* aberant, *Evangelico pede*, & Patrum *doctrina calcarent*. Ergo in utraque epiſtola iſthæc ſumma juris Fidei argumenta incluſit, atque propoſuit, quò refelleret Dallæum dicentem, quod Hieronymus decernit „ ne in Patribus legendis præter
„ operum merita, ideſt, rationes,
„ & argnmenta, quicquam aliud
„ conſideretur. „ Hæc autem S. Hieronymo Dallæus audacter appin-

(a) *Nota. Vetus editio habet* impietatem dogmatum abſtuli.

(b) *Nota. Sic iſta in antiquis Mſſ. leguntur, etſi recens editio ea hoc modo minuat:* Numquid cæteros tractatores?

xit, ut ipſe Cenſor errore ductus, illud Patrum jus, auctoritatem, ac traditionem excluderet. Atqui Hieronymus etiam de *Fide* agit contra relatas Origenis hæreſes, iſtaſque *Evangelio*, *præcedentium* Patrum *Doctrina*, atque adeo traditione evertendas declaravit. Quamquam itaque in Patrum operibus, de quibus præſertim in altera epiſtola Hieronymus loquitur, quædam rerum veriſimilium rationes ſunt & argumenta: nihilominus Dallæus falſo ait, quod S. Doctor decernat, ne in Patrum ſcriptis præter eorum merita, hoc eſt, præter illas probabiles rationes, ac veriſimilia argumenta, quicquam aliud conſideretur: quod enuntiatum alia certa documenta excludens S. Doctori falſe affingitur: nam is & Sanctum *Evangelium*, & ipſorum Patrum *meritum*, ac *Fidei* doctrinam, quam iidem Patres tradunt, quaque Origenis errores pelluntur, maxime ſpectanda propoſuit: ac proinde iſthæc certiſſima *Fidei* documenta in utriſque litteris diſertius incluſit, præſertim veterum Patrum jure retento.

Atque etiam Hieronymus in priore epiſtola factum cum jure connexum adduxit, proferens, illam *latinam* Origenis librorum Periarchon *verſionem non bonam* eſſe, qui ſenſus nunquam falſus futurus eſt; etiamſi S. Doctoris ſermoni relatus Joannes minime attenderit. Nam iiſdem principiorum libris reapſe hæreſes reperiri, eaſque ſacris litteris, apoſtolicæ traditioni, & Eccleſiæ Catholicæ Fidei adverſari, monſtrarunt S. Methodius, S. Epiphanius, alii veteres, & Synodus quinta Oecumenica. Porrò autem in dirimendis facti controverſiis, quæ cum jure connexionem habent, indeficiens eſt Eccleſiæ judicium. Vera igitur fuit, eritque Hieronymi ſententia, qua confirmavit, in illis Origenis libris maximos errores ineſſe; ideoque non bonum eorum librorum meritum, nec Ruffini verſionem, nec eas prædicti Joannis litteras, nec denique Dallæi argutationes bonas eſſe. Quamvis enim quidam ineruditi voluminum inſcriptiones, non res in ipſis contentas, inſpiciant: tamen laudati Patres doctiſſimi, variiſque temporibus clari, plerumque attentiores ad ea, quæ iiſdem in libris Origenes errando tractabat, quam ad ipſorum librorum titulum, adeo fuerunt, ut hæreſes quas iidem libri continebant, reapſe dinumerarint, atque reſciderint, habito firmo judicio tum juris, tum facti cum eo conjuncti.

Jam vero antecedentia, & conſequentia, quæ ex poſteriore S. Hieronymi epiſtola attulimus, Dallæum, qui ea omittit, exagitant, atque inerrantibus *multorum* Patrum ſimul ſumptorum documentis diſertius ſuffragantur: quippe quibus *Fidem accommodandam*, eorumque *doctrinis* illos Origenis errores evertendos, propoſuit; ac proinde pleroſque Patres ſejunxit ab *Origene*, & *cæteris tractatoribus*, utique ipſius Origenis defenſoribus; utpote quibus ſe *ſociatum* S. Doctor noluerit. Cum ergo *reliquos tractatores* in *quibuſdam errare* protulerit: Hoc diviſim accepit; at pleroſque Patres uniter ſumptos in *Fide* docenda non erraſſe præmonuit. Nam pronuntiavit, *novum defenſionis*

genus

Digitized by Google

genus eſſe, *cum Origene cæteros*, *videlicet multos*, ut S. Doctor ſtatim adſtituit, *criminari*. Crimen ergo novum erat & falſum, *multos*, ſive pleroſque veteres *ſimili errore* ductos fuiſſe. Sancti igitur *Apoſtoli* & diſtribute, & ſimul accepti ſemper vera dixerunt: reliqui vero tractatores, non omnes quidem, ſed aliqui diviſim in *quibuſdam errarunt*: *multi* autem Patres in *ſimili errore* verſati non ſunt, præcipue quod plerorumque Patrum ſimul ſumptorum, qui *merito præceſſerunt*, doctrina eliminandis hæreſibus Origenis adhibenda ſit, Hieronymo præſcribente.

Atque is quidem in eundem Origenem agens, Pammachio & Oceano id ſcripſit: „ Erraverunt (a) in „ Fide alii tam græci, quam latini, „ quorum non neceſſe eſt proferre „ nomina, ne videamur eum non „ ſui merito, ſed aliorum errore „ defendere... Nunc verò cum ſimpliciter errores ejus fatear: ſic legam ut cæteros, quia ſic erravit, „ ut cæteri.... Quis quis es aſſertor novorum dogmatum, quæſo „ Te, ut parcas Romanis auribus: „ parcas Fidei, quæ Apoſtoli voce „ laudata eſt. Cur poſt quadringentos annos docere nos niteris, quod „ ante neſcivimus? Cur profers in „ medium, quod Petrus, & Paulus „ edere noluerunt? Uſque ad hunc „ diem ſine iſta doctrina Mundus „ Chriſtianus fuit. Illam Senex tenebo Fidem, in qua Puer renatus „ ſum.

Verum hæc S. Hieronymus ſingillatim explicuit Tranquillino: cui quærenti, utrum Origenes legendus, an reſpuendus eſſet: ille reſpondit: „ Ego Origenem propter eruditionem ſic interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianum, „ Arnobium, Apollinarium, & nonnullos Eccleſiaſticos Scriptores, „ græcos pariter & latinos; ut bona „ eorum eligamus, vitemuſque contraria.

Adhæc Minervio, & Alexandro quaſdam ſcriptas nonnullorum ſacrorum Textuum interpretationes, quas Origenes, Euſebius Cæſareenſis, Theodorus, Acacius, atque Apollinarius fecerant, miſit, aitque: „ Hæc (b) „ celeri ſermone dictavi, quid eruditi viri de utroque ſentirent loco, & quibus argumentis ſuas vellent probare ſententias, veſtræ prudentiæ exponens. Neque enim tanta eſt meæ puſillitatis auctoritas, „ qui nihil ſum, & invidorum tantum morſibus pateo, quanta eorum, qui nos in Domino præceſſerunt. Nec juxta Pythagoræ diſcipulos præjudicata Doctoris opinio, ſed doctrinæ ratio ponderanda eſt. Si quis autem contrariæ „ factionis immurmuret, quod eorum explanationes legam, quorum „ dogmatibus non acquieſco: ſciat „ me illud Apoſtoli libenter audire: *omnia (c) probate*, *quod bonum eſt*, *tenete*.... Ego & in adoleſcentia, & „ in extrema ætate profiteor, & Origenem, & Euſebium Cæſareenſem „ viros eſſe doctiſſimos, ſed erraſſe „ in dogmatum veritate. Quod e

(a) *S. Hier. ep.* 84. *pag.* 528. *Tom.* 1.
(b) *S. Hier. ep.* 29. *pag.* 809. *Tom.* 1.

(c) *Tim. V.*

„ contrario de Theodoro, Acacio,
„ Apollinario poſſumus dicere; &
„ tamen omnes in explicationibus
„ Scripturarum memoriam ſudoris
„ ſui reliquerunt; In terra aurum quæ-
„ ritur, & de fluentorum alveis
„ ſplendens profertur glarea, Pacto-
„ luſque ditior eſt Tago, quam
„ fluento. Cur me lacerant amici
„ mei, & adverſus ſilentem craſſæ
„ ſues grunniunt? Quorum omne ſtu-
„ dium eſt, immo ſcientiæ ſuperci-
„ lium, aliena carpere, & ſic vere-
„ rum defendere perfidiam, ut per-
„ dant Fidem ſuam. Meum propoſi-
„ tum eſt, antiquos legere, probare
„ ſingula, retinere quæ bona ſunt,
„ & a Fide Eccleſiæ Catholicæ non
„ recedere.

Atque ut Veteres intelligerentur, Lætæ Filiam S. Hieronymus ad hanc Regulam direxit: „ Illorum
„ (*a*) Tractatibus, illorum delectetur
„ ingeniis, in quorum libris Pietas
„ Fidei non vacillet cæteros ſic le-
„ gat, ut magis judicet, quam ſe-
„ quatur.

Ab hac Regula aberrat Dallæus, prioribus illis Hieronymi verbis abuſus. Primum enim Hieronymus declaravit, non omnes, non multos, non pleroſque Majores, ſed *nonnullos Scriptores Græcos, & Latinos* ſeorſum ſumptos, ut *Tertullianum*, ut *Origenem*, ut *Euſebium*, aliquando *in Fide erraviſſe*: in quorum nonnullis operibus quamvis aliquæ eruditiones ſint; tamen in ipſis quandoque hæreſes ab illis Scriptoribus aſſertæ inveniuntur: ob quas Hieronymus protulit, *ſingula* eorum operum *judicanda*, ex eis *bona eligenda*, & hæreſum *vitia* Lectori orthodoxo *vitanda* eſſe, ut a *Fide Catholica*, quam plerique Patres communius tenuerunt, *non recedat*. Atqui illa *nonnullorum antiquorum* ſcripta, quæ erroribus minime carent, S. Doctor ea celebri regula diſtinxit a *Majorum tractatibus* in *quibus Fidei pietas non vacillat*; quia communiorem iſtorum *ſententiam* Hieronymus ipſe *ſecutus* eſt in Fidei *dogmatibus*. Ergo Dallæus perperam hanc diſtinctionis normam confundit. Quandoquidem Hieronymus illorum Patrum *Tractatus, in quibus Fidei pietas* & communius colitur, & Catholicorum *ingenia delectat*, ſecrevit a *cæteris* aliorum errantium hominum libris, quos magis *judicare*, quam *ſequi*, debemus. Non ergo, ut Dallæus falſe ſupponit, de illorum *majorum tractatibus*, communioribuſque Fidei *ſententiis*, ſed de iſtorum *cæterorum nonnullis* operibus dixit, quod in hiſce ea, quæ *bonis* dogmatibus *contraria* ſunt, vitemus oportet; videlicet *Origenis*, *Tertulliani*, *Novatiani*, *Euſebii*, & *Apollinaris* errores coarguendi ſunt, & *Arnobi* quædam (*b*) cavenda: ſed ei, cujus *meritum, vita, & doctrina praceſſit*, qua multi Eccleſiæ Patres ornati fuerunt, Fides habenda eſt.

Prætereo Lactantium, qui quidem, uti a S. Hieronymo ſignificatur, ad *noſtra confirmanda* exiguam diligentiam adhibuit: veruntamen *aliena deſtruxit*: ergo ad *aliena* Ethnicorum errata *deſtruenda*, ad Dei unitatem

(a) *S. Hier. ep. 107. ad Lætam pag. 68 2. Tom. 1.*

(b) *Vide S. Hieronymi epiſtolam ad Tranquillum.*

catem demonſtrandum, atque ad quaſdam res eccleſiaſticas narrandas Lactantii auctoritas valet.

Venio ad Rheticium Auguſtodunenſem Epiſcopum, quem S. Hieronymus in epiſtola ad Florentium commendavit, hunc rogans, ut illius commentarios a quodam Ruffino peteret, atque deſcriberet. „ Obſecro,
„ (*a*) inquit, & Te, ut petas plu-
„ timum quaſo ut tibi beati Rheti-
„ cii Auguſtodunenſis Epiſcopi com-
„ mentarios ad deſcribendum largia-
„ tur, in quibus Canticum Cantico-
„ rum ſublimi ore diſſeruit.

Sed & idem S. Doctor in epiſtola ad Marcellam de iiſdem Rheticii commentariis ſic egit: „ Vehementer
„ (*b*) miratus ſum, virum eloquen-
„ tem, præter ineptias ſenſuum cæ-
„ terorum, Tharſim urbem putaſſe
„ Tarſum, in qua Paulus Apoſtolus
„ natus ſit; & aurum Ophaz Petrum
„ ſignificare, quia Cephas in Evan-
„ gelio idem Petrus ſit appellatus...
„ innumerabilia ſunt, quæ in illius
„ mihi commentariis ſordere viſa
„ ſunt. Eſt quidem ſermo compoſi-
„ tus, & Gallicano cothurno fluens.
„ Sed quid ad Interpretem? Cujus
„ profeſſio eſt, non quo ipſe diſertus
„ appareat, ſed quod eum, qui le-
„ cturus eſt, ſic faciat intelligere,
„ quomodo ipſe intellexit, qui ſcri-
„ pſit. Rogo, non habebat Decem
„ Originis volumina? non interpre-
„ tes cæteros? Non certe aliquos ne-
„ ceſſarios Hebræorum, ut aut inter-
„ rogaret, aut legeret quid ſibi vel-
„ lent, quæ ignorabat? Sed tam
„ male videtur exiſtimaſſe de cæteris
„ (al. de poſteris) ut nemo poſſet
„ de ejus erroribus judicare.

Fruſtra ergo Dallæus opponit Rheticium, qui in diſſerendis Fidei dogmatibus non erravit: quoniam *Canticum Canticorum*, quod *divinum* opus eſſe ab Eccleſia catholica creditur, *ſublimi ore* diſſeruit. At vero idem Rheticius ſolum in *erroribus* linguæ Hebrææ, quam *ignorabat*, verſatus; *aurum Ophaz*, cum *Cephæ* nomine, quo S. *Petrus Apoſtolus appellatus* eſt, minus bene confundit: ex quo *cæterorum* & *innumerabilium* nominum hebraicorum, & ſenſuum, quos iſthæc nomina exprimunt, ea confuſio ſecuta eſt, ut alius *nemo poſſet* de erratis ipſis, quibus illam ob cauſam venia danda eſt, *judicare*. Quo judicio Hieronymus Rheticium velut interpretem ab *Origene* eadem cantica explicante, & a *cæteris* interpretibus ſejunctum liquido pronuntiavit; ideoque eos *interpretes* ſimul ſumptos in ipſorum nominum interpretatione haud erraſſe voluit. Cum ergo *errores* illi non eſſent in Fide, ſed linguæ Hebrææ *ignorantiam* ferrent: profecto non obſtiterunt, quominus Rheticius de iis Fidei rebus, quas *ſublimi ore diſſeruit*, teſtis eſſet pluribus Patribus conſonus.

At diſſolvamus falſa Dallæi crimina, in quæ S. Hieronymum inique vocat, haud viſis ejus locis, in quibus & de Hebraica Scriptura, & de ſeptuaginta interpretum verſione S. Doctor plane tractavit.

Is enim in eorum locorum (*c*) uno

(a) *S. Hier. epiſt. V. ad Flor. pag. 15. T. 1.*
(b) *S. Hier. ep. 37. ad Marc. pag. 170. T. 1.*
(c) *S. Hier. Præfat. in lib. Hebraic. Quæſt. in Geneſ. pag. 301. Tom. 3.*

uno primitus ait: „ Ergo noſtri erit, vel eorum, qui de libris Hebraicis varia ſuſpicantur, errores refellere, vel ea, quæ in Latinis, & Græcis Codicibus ſcatere videntur, auctoritati ſuæ reddere, etymologias quoque rerum, nominum, atque regionum, quæ in noſtro ſermone non reſonant, vernaculæ linguæ explanare ratione. Et quo facilius emendario cognoſcatur, ipſa primum, ut apud nos ſunt teſtimonia proponemus. Et ex collatione vocum quæ ſequuntur, quid in illis aut minus, aut plus, aut aliter ſit, indicabimus. Neque verò Septuaginta interpretum, ut invidi latrant, errores arguimus, nec noſtrum laborem illorum reprehenſionem putamus; cum illi Ptolomæo regi Alexandriæ myſtica quæque in Scripturis Sanctis prodere noluerint, & maxime ea, quæ Chriſti adventum pollicebantur.

Idem Hieronymus in altero loco, cujus partem ſupra adlegavimus, eas cellulas, quibus diviſi ſeptuaginta Interpretes eadem ſcripſiſſent, ſic eliminavit: „ Neſcio (a) quis primus auctor Septuaginta cellulas Alexandriæ mendacio ſuo extruxerit, quibus diviſi eadem ſcriptitarent; cum Ariſtæas ejuſdem Ptolomæi ὑπερασπιστής, & multo poſt tempore Joſephus nihil tale retulerint; ſed in una Baſilica congregatos contuliſſe ſcribant.... Non damno Septuaginta; ſed confidenter cunctis illis Apoſtolos præfero.

Non igitur acriter, ut Dallæus blaterat, ſed juſte S. Hieronymus Hebraicarum ſacrarum Scripturarum veritatem propterea defendit, quia in iſtis ea divina teſtimonia ſunt, quæ Prophetæ de Chriſto perhibuerunt, quæque non Septuaginta interpretes, ſed *Apoſtoli* in ſuis divinis litteris attulerunt; cujus ratiocinationis vis non acer eſt, ſed ad *refellendos* aliquorum hominum *varia ſuſpicantium errores* aptiſſima. *Neque verò Septuaginta errores, ut invidi latrant*, Hieronymus *arguit*: qui proinde fictum illud ab *invidis*, & a Dallæo crimen expreſſe condemnavit: atque etiam narrationem illam *Cellularum, quibus (b) diviſi* ſeptuaginta interpretes *eadem ſcriptitarint* velut *Mendacio* aſperſam eo rejecit, quod Ariſtæas illis interpretibus ſuppar, & Joſephus Hebræus *nihil tale retulerint*, ſed in *una Baſilica* eos *congregatos contuliſſe ſcripſerint*: quibus Hieronymus plura tradit: primum quod Septuaginta interpretum verſio, qua ſcilicet ii Hebraicam Scripturam in græcam linguam tranſtulerunt, veritate nitatur: deinde S. Doctor non fa-

(a) *S. Hier. Prologo in Geneſim pag. 3. Tom. IX.*

(b) *Obſervatio. Duo diſtinguendi ſunt Ariſtææ libelli: unus legitimus; alter adulterinus. Legitimus ille eſt, quem Joſephus, & Hieronymus adlegant; in quo narratur, quod 70 Interpretes in Baſilica congregati verſionem ſuam effecerint. Adulterinus autem eſt; in quo iidem Interpretes cellulis diviſi eam verſionem adornaſſe dicuntur; quia hæc diviſio neque ab Joſepho, neque ab Hieronymo, neque ab Auguſtino aut approbatur, aut aſſertur.*

fabulam, ſed *mendacium* eſſe dicit, quod iidem Interpretes ſinguli *cellulis* ſingulis ſejuncti ad illam verſionem incubuerint: neque enim ipſi *cellulis diviſi*, ut Dallæus contendit, ſed *congregati* ſermonem, & interpretationem illam inter ſe *contulerunt*. (a) Quo circa S. Auguſtinus in ſuperioribus adlegatus teſtatur, quod *inter ſe verba interpretationis ſuæ Septuaginta more hominum contuliſſent, ut quod placuiſſet omnibus, hoc maneret:* qua teſtificatione Auguſtinus Hieronymi rationem apertiſſime probat, ſimulque abiicit commentationem Dallæi, qui in S. Hieronymum auſus eſt dicere, quod Septuaginta in cellulis totidem, quibus ſeparati eſſent, verſionem concinnariut. Atqui Teſte Auguſtino *Septuaginta more hominum inter ſe verba*, quibus Hebraicam ſcripturam in græcum vertebant, *contulerunt*. Non ergo *cellulis diviſi*, ſed *congregati omnes* eam *interpretationem* effecerunt. Bene igitur Hieronymus & iſtam græcam ſacræ Scripturæ verſionem a Septuaginta Interpretibus non diviſis, ſed *inter ſe conferentibus* factam monſtravit, & Dallæi opinationem ex illo *mendacio* compoſitam depulit.

Aliqua verò S. Hieronymi dicta quæ Cenſor fruſtra obiicit, ad communiorem Patrum ſententiam, quam ii de Fidei dogmatibus pronuntiarunt, non referuntur, ſed varias aliquorum interpretum opiniones, a quibus Catholica Fides certo diſtinguitur, comprehendunt.

(a) *S. Augu. in lib. cit. de Civit. Dei.*
(b) *S. Hier. præfat. in lib. de Interpr. Hebraic. nom. pag. 2. Tom. 3.*

Hac diſtinctione poſita, adnotamus, quod S. Hieronymus & in libro Interpretationis Hebraicorum nominum, & in libro Hebraicarum Quæſtionum de *Iſraelis* nomine agit: unde in illo primitus ait: „ Philo „ (b) vir diſertiſſimus Judæorum, „ Origenis quoque teſtimonio com- „ probatur ediidiſſe librum Hebrai- „ corum nominum, eorumque ety- „ mologias juxta ordinem litterarum „ e latere copulaſſe. Quod cum vul- „ go habeatur a Græcis, & Biblio- „ thecas Orbis impleverit: ſtudii „ noſtri fuit, in latinam linguam „ eum vertere. „ Et poſtea Iſraelis nomen enucleat hoc modo: „ Iſrael „ (b) eſt videre Deum, ſive vir, „ aut mens videns Deum. Et de hoc „ in libris Hebraicarum Quæſtionum „ plenius diximus.

Quare in iſtis poſterioribus libris S. Doctor de ejuſdem nominis etymologia ſic diſſerit: „ Quid (c) „ me neceſſe eſt opiniones quærere „ ſingulorum, cum etymologiam no- „ minis exponat ipſe, qui poſuit „ *non vocabitur*, inquit, *nomen tuum* „ (d). *Jacob, ſed Iſrael erit nomen* „ *tuum*. Quare? interpretatur Aqui- „ la, ὅτι ἦρξας μετὰ Θεοῦ, Symmachus, „ ὅτι ἦρξω πρὸς Θεόν; Septuaginta, & „ Theodotion, ὅτι ἐνίσχυσας μετὰ Θεοῦ. „ Sarith enim quod ab Iſrael vocabulo „ derivatur, Principem ſonat. Sen- „ ſus itaque eſt: Non vocabitur no- „ men tuum *Supplantator*, hoc eſt „ Jacob: ſed vocabitur nomen tuum.

Prin-

(c) *S. Hier. in lib. Quæſt. Hebr. pag. 357. Tom. III.*
(d) *Gen. 32. v. 25.*

„ *Princeps cum Deo*, hoc eſt, Iſrael.
„ Quomodo enim Princeps Ego ſum,
„ ſic & Tu, qui mecum luctari po-
„ tuiſti, Princeps vocaberis. Si au-
„ tem mecum, qui Deus ſum, ſive
„ Angelus (quoniam plerumque va-
„ rie interpretantur) pugnare po-
„ tuiſti, quanto magis, cum homi-
„ nibus, hoc eſt enim Eſau, quem
„ formidare non debes. Illud autem
„ quod in libro nominum interpre-
„ tatur *Iſrael, vir videns Deum*, ſive
„ *mens videns Deum*, omnium pene
„ ſermone detritum, non tam verè,
„ quam violenter mihi interpreta-
„ tum videtur. Hic enim Iſrael per
„ has litteras ſcribitur, IOD, SIN,
„ RES, ALEPH, LAMED, quod
„ interpretatur Princeps Dei, ſive
„ dilectus Dei, hoc eſt. *ευϑυτατος Θεῦ*.

Vir verò *videns Deum* his litte-
„ ris ſcribitur, ALEPH, IOD,
„ SIN, ut vir ex tribus litteris ſcri-
„ batur, & dicatur IS: *videns* au-
„ tem ex tribus, RES, ALEPH,
„ HE, & dicatur RAA, Porro
„ EL, ex duabus, ALEPH, & LA-
„ MED, & interpretatur *Deus*, ſive
„ *Fortis*. Quamvis igitur grandis
„ auctoritatis ſint, & eloquentiæ ip-
„ ſorum umbra nos opprimat, qui
„ Iſrael *virum*, ſive *mentem videntem*
„ *Deum* tranſtulerunt: nos magis Scri-
„ pturæ, & Angeli, vel Dei, qui
„ ipſum Iſrael vocavit, auctoritate
„ ducimur, quam cujuslibet eloquen-
„ tiæ ſæcularis. Illud quoque, quod
„ poſtea ſequitur, (*a*) *& benedixit eum*,
„ *& vocavit Jacob nomen loci illius*
„ *Facies Dei: vidi enim Deum facie ad*
„ *faciem, & ſalva facta eſt anima*
„ *mea*, in Hebræo dicitur PHA-
„ NUEL, ut ſciamus ipſum eſſe lo-
„ cum, qui in cæteris Scripturæ San-
„ ctæ voluminibus, ita ut in He-
„ bræo ſcriptum eſt, Phanuel legitur
„ in Græco.

Quid autem aliud hic Hieronymus egit, niſi ut ſuam illius nominis interpretationem illa Philonis explicatione probabiliorem patefaceret? In hoc enim poſteriore quæſtionum Hebraicarum libro diligentius ediſſeruit, *quod in libro Nominum interpretatur Iſrael vir, ſive mens videns Deum*; quodque S. Doctori *non tam vere*, quam *violenter interpretatum videtur*: videri autem eſt habere quidpiam dubii, quidpiam *opinionis*, quidpiam *veri*, quod probabile appellatur. Ergo Hieronymus quidem illius Hebraici nominis interpretationem, quam Philo fecerat, aliquantum veriſimilem voluit: ſed tamen ſuam enodationem ea probabiliorem, eoque *magis* ſacro textui Hebræo conſonam judicavit, quod litteralem ejuſdem Hebraici nominis ſenſum tenuerit, atque monſtrarit. Cum autem *videns* participium ſit verbi Hebraici ראה quod tribus litteris RES, ALEPH, H, quas radicales vocant, conſtat: Cumque in Hebræo nomine Iſrael ſcripto ſic ישראל non tertia radicalis H, ſed RES, ALEPH, atque etiam IOD inveniantur: ex his Philo deduxit ראי Rai, quod ſecundum (*b*) Scripturas Sanctas ſignificat *viſum*, ſive *viſionem*: ex qua idem Philo veriſimiliter collegit, Iſraelis nomine virum, aut mentem, quæ Dei *viſionem* habeat, ſive Deum videat,

de-

(a) *Gen. 32. v. 28.*

(b) *Job. VII. 8.*

denotari. Sed quoniam idem Philo in ſua translatione litteram SIN in eodem Iſraelis nomine extantem, quæ cum aliis jam relatis conjuncta *Principem* ſonat, omiſit: id circo eadem Philonis interpretatio, quadamtenus *vera*, ſed ob litteram *Sin* prætermiſſam aliquantum violenter *facta videtur* Hieronymo, qui ad Scripturam Hebraicam propterea appellat, quia in iſta nomen Iſrael ita ſcribitur, ut litteram *Sin* expreſſe contineat.

Quamobrem Dallæus illis S. Hieronymi antecedentibus haud conſideratis, primum falſe obtrudit, quod S. Doctor Eccleſiaſticos Scriptores reprehendat. Nam Hieronymus *illud* iterum tractat, *quod in libro Nominum interpretatur Iſrael vir*, aut *mens videns Deum*: qua interpretatione præmiſſa, & allatis Hebraicis tum *Iſraelis*, tum *videntis* litteris, ait: *quamvis grandis auctoritatis ſint, & eloquentiæ ipſorum umbra nos opprimat, qui Iſrael mentem videntem Deum transtulerunt: nos magis Scripturæ & Angeli, vel Dei, qui ipſum Iſrael vocavit, auctoritate ducimur, quam cujuslibet eloquentiæ ſæcularis*. Atqui non Eccleſiaſticorum Patrum aliquis, ſed *Philo vir diſertiſſimus Judæorum edidit librum nominum, eorumque etymologias, quas vulgò Græci habebant*: non ergo S. Doctor de eccleſiaſticis Patribus ſermonem habuit ſed diſceptavit de *ſæculari eloquentia Philonis, qui grandem auctoritatem* ſibi apud *Græcos* comparaverat præſertim conſcripto *Hebraicorum nominum libro*, in quo illa Iſraelis etymologia, qua Is *videns Deum* dicitur primum apparuit: quam verſionem non a Patribus, ſed a Philone inductam Hieronymus quadamtenus *veram*, ſive veriſimilem protulit, & prædictam ob cauſam aliquantum exagitavit.

Ergo Dallæus fallitur, atque etiam fallit, effutiens, quod illa ipſa, quæ Hieronymus ſcripſerat, Auguſtinum non deterruerunt, quominus in eundem errorem laberetur. Hæc falſa Dallæi accuſatio nullam vim habet. Nam Hieronymus hoc pronuntiavit, quod *Iſrael vir, ſive mens videns Deum, non tam vere, quam violenter mihi interpretatum videtur*. *Videri* autem ad opinionem dubiam, uti diximus ſpectat: Ergo Hieronymus illam Philonis interpretationem, quam S. Auguſtinus amplexus eſt, non arguit erroris, ſed ut dubiam, atque adeo probabilem propter illas duas litteras ſervatas in medio reliquit.

Illam igitur Iſraelis etymologiam *quadamtenus veram* ſine ullo errore S. Auguſtinus ſecutus, & ex ſacræ Geneſis verba, quæ S. Hieronymus ſupra in antecedentibus, & ſubſequentibus, ſuis protulit, interpretatus, de Jacob Patriarcha ſic egit: „ Jacob (a) autem etiam Iſrael, ſicut „ paulo ante dixi, vocabatur; quod „ nomen magis populus ex illo procreatus obtinuit. Hoc autem nomen illi ab Angelo impoſitum eſt, „ qui cum illo fuerat in itinere de „ Meſopotamia redeunte luctatus, „ typum Chriſti evidentiſſime gerens. „ Nam quod ei prævaluit Jacob utique volenti, ut myſterium figuraret: ſignificat paſſionem Chriſti,

K „ ubi

(a) S. *Aug. lib.* 16. *de Civit. Dei cap.* 39. *pag.* 450. *tom. VII.*

„ ubi viſi ſunt ei prævalere Judæi.
„ Et tamen benedictionem ab eodem
„ Angelo, quem ſuperaverat impe-
„ travit.... ac ſic hujus nominis
„ impoſitio, benedictio fuit. Inter-
„ pretatur autem Iſrael videns Deum,
„ quod erit in Fine præmium om-
„ nium ſanctorum. Tetigit porrò il-
„ li idem Angelus velut prævalenti
„ latitudinem femoris, eumque iſto
„ modo claudum reddidit. Erat ita-
„ que unus atque idem Jacob, &
„ benedictus, & claudus: benedictus
„ in eis, qui in Chriſtum ex eodem
„ populo crediderunt, atque in infi-
„ delibus claudus. Nam femoris la-
„ titudo Generis eſt multitudo. Plu-
„ res quippe ſunt in ea ſtirpe, de
„ quibus prophetice prædictum eſt:
„ *& (a) claudicaverunt a ſemitis* ſuis.

Itaque Auguſtinus ſacræ Geneſeos *auctoritate* ductus, ex ejus antecedentibus & conſequentibus, quæ ex Hieronymo retulimus, Iſraelis nomen explicuit, *quod illi*, Jacob videlicet, *ab Angelo impoſitum eſt, a quo Benedictionem impetravit; ac ſic hujus nominis impoſitio fuit*, quæ in Jacob *omnium Sanctorum*, qui *Deum videnti*, *Præmium, quod in fine erit, figurabat, atque* exhibebat. Hacce igitur *nominis impoſitione*, hac *benedictione*, atque *interpretatione & præmii futuri omnium Sanctorum* figura Jacob in Chriſtum credens, & Chriſti figuram gerens appellatus eſt *Iſrael* ſive *videns Deum*: quippe quia vel Angelus, vel Deus, uti Hieronymus, Auguſtinus, & alii varie *interpretantur*, *Benedixit eum, & vocavit Jacob nomen loci illius, Facies Dei, vidi enim Deum.... & ſalva facta eſt anima mea;* quæ ſalus *in fine erit præmium omnium Sanctorum*, edisſerente Auguſtino; qui proinde interpretationem illam *Iſraelis videntis Deum* effecit non tam ex nominis etymologia, quam ex eo quod Jacob ea novi nominis *impoſitione*, & *benedictione* donatus, *vidit Deum*: quæ ſacra verba etiam Hieronymus attulit, ut ſe illud nomen interpretantem *magis Scripturæ auctoritate duci* monſtraret; utque illum, cujus *Faciem* Jacob jam vocatus Iſrael, & benedictus vidit, *ipſum eſſe Deum* oſtenderet; ad quam poſteriorem Hieronymi ſententiam accedere videtur illa veriſimilis Auguſtini expoſitio; quem in ea erraſſe, Dallæus iniquius aſſeruit; cum idem Auguſtinus conſequentibus Scripturæ Sanctæ auctoritatibus, quas etiam Hieronymus poſtea ſequutus eſt, innitatur.

Dehinc S. Hieronymus duas Pſalmi XLIV. interpretationes fecit; quarum unam ſcripſit in epiſtola ad Damaſum R. Pontificem: ubi de Filii Prodigi Parabola, quæ apud Lucam legitur, egit, aitque: „ Vitulus *(b)*
„ ſaginatus, qui ad Pænitentis im-
„ molatur ſalutem; ipſe Salvator eſt,
„ cujus quotidie carne paſcimur,
„ cruore potamur: Fidelis mecum
„ Lector intelligis, qua pinguedine
„ ſaturati in ructum laudis ejus e-
„ rumpimus, dicentes *eructavit* (c)
„ *cor meum verbum bonum, dico ego*
„ *opera mea Regi*. Licet quidam ſu-
„ perſtitioſe, magis, quam vere, non
„ conſiderantes textum Pſalmi, ex
„ Patris Perſona arbitrentur hoc in-
„ telligi.

De-

(a) *Pſal.* 17. 46. (b) *S. Hier. ep.* 21. *p.* 79. (c) *Pſal.* 44. *v.* 1.

Deinde idem S. Doctor ad Principiam, quæ ejuſdem Pſalmi explanationem ab eo quæſierat, iſthæc ſcripſit: „ *Eructavit (a) cor meum verbum bonum*: quidam ex perſona „ Patris dictum intelligi volunt; „ quod ex imis vitalibus, & cordis „ arcanis Verbum ſuum, quod in ſe „ erat ſemper protulerit juxta alte- „ rius Pſalmi vaticinium, *ex utero* „ *ante Luciferum genui Te*: ut quo- „ modo uterus non ſignificat ute- „ rum; neque enim Deus dividitur „ in membra: ſed eandem ſubſtan- „ tiam Patris, Filiique demonſtrat: „ ſic Cor, & Verbum, quod pro- „ profertur ex corde, Patrem oſten- „ dit & Filium. Et quod ſequitur, „ *dico Ego opera mea Regi*, illi ap- „ tant intelligentiæ, *ipſe dixit, & fa-* „ *cta ſunt, ipſe mandavit, & creata* „ *ſunt*; quod dicente Patre operatus „ ſit Filius: omnia enim quæcumque „ Pater facit; eadem & Filium face- „ re ſimiliter, & Patrem manentem „ in eo operari cuncta per Filium.

Hoc poſterius quale tandem eſt? Certe magnam habet conformitatem cum Athanaſii, ac reliquorum Patrum, qui circa Arii tempora vixerant, ſententiis; quas iſti adverſus eumdem Hæreſiarcham ejuſque impios ſectatores pronuntiarunt dicentes, quod *cor*, & *verbum* in eo Pſalmo expreſſa *Patrem*, ac *Filium* ita ſignificant, ut *Pater verbum, quod in ſe erat, ſemper protulerit*, ſive *genuerit juxta alterius Pſalmi vaticinium, ex utero ante Luciferum genui Te*: quæ ſacra enuntiatio *eandem ſubſtantiam Patris, Filiique demonſtrat*: quam Patrum demonſtrationem, illiuſque prioris Pſalmi enodationem Hieronymus ex *altero* Pſalmo adprobavit, diſerte ſignificans aliam contrariam ejuſdem prioris Pſalmi interpretationem, quam ipſe in epiſtola ad Damaſum attulerat, ac reprobarat, non a ſanctis Patribus circa Arii tempora florentibus, ſed a quibuſdam ipſius ſectatoribus *ſuperſtitioſe* factam fuiſſe; qui quidem hæc *eructavit cor meum verbum bonum*, ex Patris Perſona intelligi arbitrabantur: ſed Pſalmi textum, in quo Verbum verus *Deus* monſtratur, non conſiderantes, impie dixerunt, Verbum ipſum, a Patre quantum ad ſubſtantiam externum eſſe, ac non eſſe eandem Patris, Filiique ſubſtantiam: quem impium errorem & Hieronymus, & Patres in poſteriori explanatione laudati depellunt. Ergo Dallæus maxime erravit dum protulit, priorem ſuperſtitioſam expoſitionem fuiſſe plerorumque Patrum, qui circa Arii ætatem vixerunt, ſententiam. Sed hæc abſurda, & abſona Dallæi vox eſt; qui minime legit alteram S. Hieronymi epiſtolam, in qua is Patres illos commendavit, qui utrumque allatum Pſalmum interpretando, *demonſtrarunt*, *eandem Patris & Filii ſubſtantiam*. Atqui Dei Filium eſſe conſubſtantialem Patri plerique Sancti Patres conſentientes adverſus Arium oſtenderunt: non igitur horum Patrum, ſed Arianorum ſuperſtitioſa illa, atque impia fuit expoſitio Hieronymo arriſit.

At vero liber de ſitu & nominibus locorum Hebraicorum factus eſt Euſebii Cæſarienſis Epiſcopi, non

(a) *S. Hier. epiſt. 65. pag. 375. Tom. 1.*

ſancti Hieronymi; qui duntaxat librum ipſum e Græco in Latinum vertit; quo in libro hæc de Adami ſepulchro leguntur: „ Arbor, (a) „ (corrupte in noſtris codicibus Arboc ſcribitur) cum in Hæbræis legatur Arbee, ideſt quatuor, eo „ quod ibi tres Patriarchæ, Abraham, Iſaac, & Jacob ſepulti ſunt, „ & Adam maximus, (b) ut in Jeſu libro ſcriptum eſt: licet eum quidam poſitum in loco Calvariæ „ ſuſpicentur.

S. Joannes Chryſoſtomus de Paſſione Domini, & Golgotha agens, hæc verba fecit: „ Quidam (c) di„ cunt Adamum ibi mortuum eſſe, „ & jacere.

S. Epiphanius de Adamo ita loquitur: „ In Golgotha ſepultus (d) „ eſt: qua ex re merito locus ipſe „ nomen accepit, ut Calvaria interpretando diceretur; cujus appellationis nulla in eo loco ſimilitudo cernitur: nam nec in Clivo „ aliquo ſitus eſt, ut propterea Calvariæ vocabulo nominetur, cujuſmodi capitis in humano corpore „ ſedes eſt: neque figuram habet „ editæ cujuſpiam ſpeculæ.... Unde nam igitur Calvariæ nomen „ obtinuit? quod nimirum primi hominis illic Calvaria reperta ſit.

S. Ambroſius de Crucis, loco iſthæc protulit: „ Ipſe autem (e) Cru„ cis locus vel in medio, ut conſpicuus omnibus, vel ſupra Adæ, „ ut Hebræi diſputant, ſepulturam. „ Congruebat quippe, ut ibi vitæ „ noſtræ primitiæ locarentur, ubi „ fuerant mortis exordia.

Tandem S. Auguſtinus de Paſſione Domini ſermocinans, dicit: „ quod (f) in loco Calvariæ crucifixus eſt, ſignificat in Paſſione ſua „ remiſſionem omnium peccatorum.

Quod igitur Adam vel in Golgotha ſepultus fuerit, vel ibi ejus Calvaria reperta ſit: id pro veriſimili Patres acceperunt ſcribentes, quod ita & *quidam dicunt*, & *Hebræi diſputant*; quæ locutiones eam rem dubiam faciunt, ac ſic aliquam veriſimilitudinem conſequuntur; ex qua Ambroſius illud, quod *congruere* ſibi videbatur elicuit. Quare Epiphanius, qui Golgotham viderat, teſtatus eſt, in *eo loco nullam Calvariæ, cujuſmodi* ſcilicet *capitis in humano corpore ſedes eſt*, *ſimilitudinem* cerni; nec *in aliquo* ejus loci *clivo Calvariæ ſitum eſſe*, neque editæ *cujuſpiam ſpeculæ figuram haberi*. Ergo Epiphanio certum non fuit in Golgotha Adami vel corpus, vel caput conditum eſſe; ac proinde ex iis, quæ *quidam dicebant*, idem Epiphanius exiſtimavit, *primi hominis Calvariam illic repertam* fuiſſe. Quæ dicta Patrum Euſebii narrationi, & S. Hieronymi translationi ita reſpondent, ut Horum opinio non illorum veriſimiles ſententias, ſed Dallæi difficultatem infringat. Nam iſti quidem ar-

(a) *Euſeb. in lib. de Locis Hebr. apud S. Hier. opera. Tom. 3. pag. 130.*

(b) *Joſue XIV. v. 15.*

(c) *S. Joan. Chryſ. homil.* 84. *pag.* 504. *Tom.* 8.

(d) *S. Epiph. contr. hæreſ. Tatiani pag.* 394.

(e) *S. Ambr. lib. X. in Lucam fol.* 154. *Tom.* 2. *Goth. edit. cit.*

(f) *S. Aug. ſerm.* 228. *pag.* 960. *Tom. V.*

arbitrati ſunt, ſecundum veriorem illius ſacræ Scripturæ explanationem *Arbee maximum Adam ſepultum* fuiſſe: ſed iiſdem iſtis referentibus *quidam ſuſpicantur*, atque adeo dubitant, eundem Adamum *in Calvariæ loco poſitum* eſſe: qua locutione, & latina Euſebiani textus verſione Hieronymus Adam *ſepultum appoſite* diſtinguens, atque ipſum *Arbee* prius *ſepultum*, & deinceps in Calvariæ loco veriſimiliter poſitum denotans, hanc opinionem non tollit, ſed accedit Epiphanio, qui Adami *caput* in Golgotha ſepultum eſſe dubitavit, cum iſtius ſepulchri locum ibi non reperiri deſcripſerit; & affirmarit idem *caput* eo loci dumtaxat *repertum* fuiſſe; quippe quia ejuſdem Calvaria ibidem poſita fuerat: ob quam proinde poſitionem in Golgotha Adam *ſepultum* eſſe, *quidam dicebant*, & *Hebræi diſputabant*, ac ſic vocarunt in dubium, quo illud incertum, & veriſimile eſſe ſuſpicati ſunt aut opinati, quam opinionem Hieronymus non abſtulit, ſed illa diſtinctione enarravit. At quidam recentiores obiiciunt latinos Origenis commentarios in Mathæum; in quibus Adam in Golgotha ſepultus dicitur ex quadam *Hebræorum traditione*. Sed commentarios iſtos Origeni (*a*) ſuppoſitos eſſe alibi demonſtravi; eamque traditionem incertam eſſe, S. Ambroſius patefecit, qui de eadem re *Hebræos diſputaſſe* liquido retulit: atqui ſi quid certi de illa ipſa re Hebræi habuiſſent: ſane non diſputaſſent: quibus ſubinde illa Traditio incerta fuit & veriſimilis. Alii vero ad idem probandum afferunt & S. Athanaſii homiliam de Paſſione Domini, & S. Baſilii Magni commentarios in Iſaiam. Verum (*b*) ea homilia S. Athanaſio afficta eſt, eruditis docentibus: & commentarii in Iſaiam dubii ſunt S. Baſilii fœtus. Quæ magno argumento eſſe debent, plura a Dallæo perperam ſumi; neque enim Veteres pene omnes in ſuis certis operibus, ut obſervatio modo facta commonſtrat; ſed aliqui illam veriſimilitudinem ſecuti ſunt; cui Euſebius, Epiphanius, atque Hieronymus non contradixerunt; ſed illam diſtincta conjectura ſic explicatunt, ut ab ipſa certiſſimas Eccleſiæ Traditiones ſecretas aliis in locis adduxerint.

Venio nunc ad Petri negationem notiſſimam; qui cum uti privatus homo Chriſtum Deum & hominem ore aliquando negaſſet: tum animo quidem Fidem ſervaverat, ſed tamen nondum ſummus Pontifex a Domino plene (*e*) conſtitutus fuerat; quippe quem ſummi Pontificatus honorem ab eo poſt reſurectionem accepit, exercuitque ſicuti ex ultimo Joannis capite Patres colligunt, & communius docent.

Itaque de Petri negatione, quæ apud S. Matthæi (*c*) Evangelium legitur, in quo Chriſti Paſſio exponitur, hæc ſcripſit: „Nota, quod (*d*) „Petrus in nocte neget, & neget „tertio: poſtquam autem Gallus cecinit, & decreſcentibus tenebris vici-

„ na

(a) *Tom.* 3. (b) *Vide Natalem Alex. ſec. IV. de S. Athanaſii operibus diſſertationem.* (c) *Matt. XXVI.*

(d) *S. Hier. comment. in Matt. pag.* 218. *Tom.* 7. (e) *Math.* 16. *Petrus deſignatus fuit futurus Pontifex.*

,, na lux nuntiata eſt: converſus fle-
,, vit amare, negationis ſordes pæ-
,, nitentiæ lachrymis lavans .... Scio
,, quoſdam pio affectu erga Apoſto-
,, lum Petrum, locum hunc ita in-
,, terpretatos, ut dicerent, Petrum
,, non Deum negaſſe, ſed hominem;
,, & eſſe ſenſum, neſcio hominem,
,, quia ſcio Deum. Hoc quam fri-
,, volum ſit, prudens lector intelli-
,, git. Sic defendunt Apoſtolum, ut
,, Deum mendacii reum faciant. Sic
,, enim iſte non negavit: ergo men-
,, titus eſt Dominus, qui dixerat
,, *antequam Gallus cantet ter me nega-*
,, *bis*.

S. Ambroſius quoque de Petri negatione ſic agit: Ponamus etiam
,, (*a*) negaſſe Petrum, quod dixit Do-
,, minus, *ter me negabis*. Et malo
,, negaſſe Petrum, quam Dominum
,, fefelliſſe. Quid negavit? quod pro-
,, miſit incaute .... devotionem con-
,, ſideravit, non reſpexit conditio-
,, nem. Multatus: quia dixit, ſe a-
,, nimam ponere; quod non humanæ
,, infirmitatis, ſed Divinæ eſt pote-
,, ſtatis.... Bene negavit hominem
,, quem ſciebat Deum.... Sed nos
,, excuſamus; Dominus ipſe non ex-
,, cuſavit. Non enim ſatis eſt invo-
,, luta reſponſio Confitentis Jeſum,
,, ſed aperta confeſſio. Quid prodeſt
,, verba involvere, ſi videri vis de-
,, negaſſe?

S. Auguſtinus Chriſtum ore vel fide negandum non eſſe evincit his verbis: ,, Quis (*b*) ita evaneſcat, ut
,, exiſtimet, Apoſtolum Petrum hoc
,, habuiſſe in corde, quod in ore,
,, quando Chriſtum negavit? Nempe
,, in illa negatione intus veritatem
,, tenebat, & foris mendacium pro-
,, ferebat. Cur ergo lachrymis di-
,, luit, quod ore negaverat, ſi ſalu-
,, ti ſufficiebat, quod corde crede-
,, bat? Cur loquens in corde ſuo
,, veritatem, tam amaro fletu punivit
,, mendacium, quod ore depromſit:
,, niſi quia magnam videt eſſe perni-
,, ciem, quod corde quidem credidit
,, ad juſtitiam, ſed ore non confeſ-
,, ſus eſt ad ſalutem?

Jam iſti, atque alii Eccleſiæ Doctores conſentientes docent, a Petro *Chriſtum* Deum, & hominem, quem *corde credebat*, tam oretenus cum ipſe Dominus pateretur, negatum fuiſſe. Quamvis ergo aut unus, aut alter Interpres, de quibus Hieronymus ſilet, dixerit, quod Petrus tunc non Deum, ſed hominem negaverit; id tamen ex adducto Ambroſio explicandum eſt; qui primitus affirmat *negaſſe Petrum, quod dixit* Dominus, Ter me negabis. *Et malo negaſſe Petrum, quam Dominum* fefelliſſe. Hæc igitur propria fuit Ambroſii ſententia, & interpretatio omnino conſona illis Hieronymi verbis: *ſi iſte non negavit* Deum: *ergo mentitus eſt Dominus, qui dixerat, ter me negabis*. Ex hoc autem Divino oraculo Ambroſius oſtendit, *Dominum non fefelliſſe*, neque adeo *mentitum* eſſe, cum prædixit, a Petro ipſum *Dominum* negatum iri. Ac proinde Petrus, qui *intus veritatem cernebat, & foris mendacium proferebat, Chriſtum Dominum Deum* ſcilicet & *hominem* negavit ſe-

cun-

(a) *S. Amb. lib. X. in Luc. fol. 351. Part. 2.*

(b) *S. Aug. lib. VI. contra mendacium cap. VI. pag. 455. Tom. VI.*

cundum conſonas Ambroſii, Hieronymi, & Auguſtini auctoritates. Quare ſi Ambroſius poſtea addidit, quod Petrus *bene negavit hominem, quem ſciebat Deum:* hoc nihilominus *excuſandi cauſa* ita protulit, ut ſtatim ſubjunxerit, illa Petri (a) *verba, neſcio hominem involuta* fuiſſe; in quibus proinde Chriſti Dei, & hominis negatio involvebatur. Eoque minus Ambroſium inſtituti ſui pœnituit, quod *Dominus ipſe involutam* illam Petri *reſponſionem non excuſavit*, qua videlicet Petrus non corde, ſed ore Chriſtum Deum negaverat: quæ reſponſio ſi præciſe ſpectetur uti ſolam hominis negationem ſonans; is ſenſus *frivolus* ab Hieronymo dicitur: Sin autem ad Domini prædictionem, quam modo laudavimus, quamque Ambroſius, & Hieronymus poſuerunt, & enuclearunt, refertur: jam in ea Chriſti Dei, & hominis negatio diſertius involvitur. Petrus igitur nondum ſummus Pontifex reapſe ſtatutus, ac ſic uti privatus homo, in *illa negatione* quidem *Chriſtum Deum* & Hominem *corde credidit ad juſtitiam, ſed ore non confeſſus eſt ad ſalutem*, quod tamen *amaro Fletu punivit*, aut lachrymis diluit.

Videamus alia veriſimilia, quæ de Gog nomine notavit Hieronymus, qui primum de (b) Gog, & Magog, quos Propheta Ezechiel prædixerat, iſta ſcripſit: „ Scio quemdam „ Gog, & Magog tam de preſenti „ loco, quam de Eezechiel ad Gothorum nuper in terra noſtra bacchan- „ tium hiſtoriam retuliſſe, quod u- „ trum verum ſit, prelii ipſius fine „ monſtratur. Et certe Gothos om- „ nes retro Eruditi, magis Getas, „ quam Gog, & Magog appellare „ conſueverunt.

Deinceps idem Hieronymus de illo Joelis loco, in quo hic Propheta de Gentibus in vallem Joſaphat convenientibus verba fecerat, (c) dicit: „ Judæi iſtam ad Gog, & Magog, „ Gentes ſæviſſimas referunt.

Quare omittat Dallæus dicere, quod Hieronymus Ambroſium, (d) qui per Gog Gothorum gentem univerſim, & veriſimiliter accepit, verbis prioribus reprehendat: quæ tamen Gothos *magis Getas*, quam *Gog, & Magog ab omnibus retro eruditis appellatos* demonſtrant. Atqui particula *magis* ſignificat, ab iiſdem eruditis Ambroſio, & Hieronymo antiquioribus conſuetudinem aliquam, quamquam minorem ea, qua ipſos *Getas* vocabant, adhibitam eſſe, ut aliquando Gothos Gog, & Magog appellarent: præcipue quod Gothi ex *ſæviſſimis Gentibus*, quas etiam Gog, & Magog denotant, orti fuerint. Etſi igitur Hieronymus propter illam majorem eruditorum conſuetudinem, ac propter Gothorum bellum, quod finem habere videretur veriſimilius putavit, Gothos Gog, & Magog non dici: nihilo ſecius nec reprehendit, nec depellit Ambroſii opinionem, qua is Gothos Gog, & Magog vocari veriſimiliter arbitratus eſt: & quia ab antiquioribus aliquando

(a) *Matt. 26.* (b) *S. Hier. in Geneſ. Quæſt. Hebr. pag. 318. Tom. III.* (c) *S. Hier. comment. in Joel. cap. 3. pag. 223. Tom. VI.* (d) *S. Ambr. lib. 2. de Fide ad Gratianum.*

do ita appellati ſunt: & quoniam Gothi erant *gentes ſæviſſimæ*, atque *baccantes*, quo nomine Gog, & Magog univerſim notari, Hieronymus ipſe retulit.

Cum autem illa Iſaiæ (*a*) verba, *quis eſt iſte, qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra*, nonnulli interpretes de Chriſti carne ſecundum litteram propterea intelligebant, quod *Boſor* ex Hebræa lingua *carnem* ſignificet: tum Hieronymus non ſecundum Hebraicam litteram, ſed ſecundum *ſpiritalem ſenſum* in eo ſacro textu Chriſti Carnem intelligendam ſic dixit: „ In præſenti enim loco non „ (*b*) per ſin litteram, quæ in Boſor, „ hoc eſt in carne ponitur; ſed per „ Sade ſcribitur, & *Boſra* appellatur, „ quæ juxta Jeſum, & Ieremiam non „ in Edom, ideſt Idumæa, ſed in terra Moab invenitur. Boſra autem „ in lingua noſtra munitam ſonat „ atque circumdatam, ſive firmatam, „ ut orbem terrarum Domini voluntate doceat eſſe ſolidatum.

Ac poſtea idem S. Doctor ſacrum illum Iſaiæ (*c*) textum ſic repetit, atque declarat: *Quis eſt iſte, qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra* .... „ neceſſitate (*d*) compellimur, „ omnia, quæ dicuntur, in primo „ accipere Salvatoris adventu. Neque enim fieri poteſt, quod pleique noſtrorum facere nituntur, ut „ vaticinentur tempora, quæ operibus copulata ſunt: nec negamus, „ ſudoris eſſe maximi, hæc omnia „ ſibi conjungere; & ſic ſpiritualiter „ explenda in conſumatione monſtrare, ut in Chriſto & juxta Carnem, & juxta ſpiritum jam completa doceamus.

Et quoniam Ruffinus S. Hieronymum minus bene carpebat, quod is aliquos interpretes nominatim non adlegaſſet: ideo S. Doctor poſt multa inibi id dixit: „ Scio (*e*) in commentariis, & explanationibus, quorum mos eſt diverſas ſententias „ ponere interpretum, hujuſcemodi „ miſcere ſermonem: quidam hoc „ dicunt: alii hoc autumant: nonnulli ſic ſentiunt: quod & ipſe „ miſerabilis Grunius, & poſt multos alios Diſcipuli Joviniani, & „ illius calumniati ſunt, & calumniantur, me ſub alienis nominibus proprias ſententias ponere; „ quod ego cauſa benevolentiæ facio, ne aliquem certo nomine videar lacerare. Quia igitur benignitas verſa eſt in calumniam; „ nunc dico & illi, qui mortuus „ eſt, & iſti qui vivit, & hæreſim „ illius inſtaurare conatur, Magiſtrum eorum Origenem hunc locum referre, & cæt.

Ex iſtis Hieronymi locis non levia, nec cauſæ, quam tractamus, aliena gignuntur; quorum delectus minime adhibitus eſt a confuſo Dallæi judicio; quo primum falſo ait, a S. Hieronymo argui Patres, qui ut liberius allegoriis indulgerent, per *Boſra* apud Iſaiam Chriſti carnem intelligebant: quæ Cenſoris argutatio falſitate non caret. Etenim nonnulli

(a) *Iſaiæ VI.* (b) *S. Hier. comm. in Iſai. pag. 442. Tom. V.* (c) *Iſaiæ 63.* (d) *S. Hier. comment. in Iſai. lib. X. pag. 745. Tom. IV.* (e) *S. Hier. ibid. lib. X. pag. 595.*

ſi in aliqua Hebrææ linguæ ignoratione verſati, & littera *Sin*, quam ex hebræo refert, Boſra ſcriptum eſſe arbitrati: eo nomine *carnem* denotari putarunt; quos S. Doctor idcirco retundit, quia in ſacris Hebræis codicibus *Boſra non* per *Sin*, ſed per *Sade* exaratum, ſignificat urbem in terra Moab *munitam*, *circumdatam*, atque *firmatam*, *ut orbem terrarum Domini voluntate docent eſſe ſolidatum*. Falsò igitur Dallæus pertendit illos aliquos, qui *Boſra carnem* interpretabantur, allegoriis liberius indulſiſſe, & idcirco ab Hieronymo reprehenſos fuiſſe: qui tamen illos ipſos eo leviter exagitat, quia ex *littera Sin*, quæ in *Boſræ* nomine haud erat, interpretationem illam faciebant; Cui nihilominus non ſecundum litteram, ſed *ſecundum Spiritum* Hieronymus aperte aſſentitus, ac ſic non liberius, ſed rectius allegoriis uſus: melius affirmavit & verius, illa Iſaiæ verba de Chriſto & juxta *carnem*, & *juxta Spiritum ſpiritualiter exponenda eſſe*: quam expoſitionem etiam plerique adhibebant; tametſi primi adventus Salvatoris, & Conſummationis mundi *tempora conjungere* iis ipſis difficillimum eſſet.

At facile fuit, has Hieronymi, & Auguſtini, aliorumque veterum dinumerare ſententias, quarum aliquas communiori conſenſu pronuntiant adverſus Origenis, Arii, Joviniani, ac Pelagii hæreſes: ac proinde eas Fidei doctrinas contra iſtos adhibitas ſecernunt a nonnullis veriſimilibus, aut verioribus hominum jam notatorum, & Scripturarum relatarum enarrationibus, quas Hieronymus ipſe, & Auguſtinus damnatas noluerunt, ſed reliquerunt in medio.

Quid? quod apud Hieronymi Commentarios modo laudatos ſcriptum eſt: nonne maximum Dallæi errorem coarguit? Is enim ex illis temere intulit, a Sanctis Viris, & primum a S. Hieronymo, Patres, qui præcurrerunt, rerum ad Religionem pertinentium Teſtes, ſive, ut Cenſor ipſe loquitur, arbitros agnitos non fuiſſe in Eccleſia. Quis hos turbulentos Dallæi errores ferret? Quis non videt, ab iſto Cenſore ea omnia, quæ Hieronymus de Religione Catholica, ſive de Fidei dogmatibus ſcripſit, atque hæc a veriſimilibus veterum dictis ſejunxit, ſpectata non eſſe? Horum dogmatum partem proxime ante allegavimus, quam contra *Jovinianum* S. Doctor monumentis mandavit. Atqui in commentariis a Dallæo nunc adductis *diverſas nonnullorum Interpretum ſententias* ab ipſius Joviniani *hæreſi* S. Doctor ſecrevit: illas ergo *diverſas*, partim ſcilicet *veriſimiles*, partim veriſimiliores eſſe voluit: iſtam vero *hæreſim*, utpote ab Eccleſia damnatam, denotavit. Et vero idem Hieronymus, cujus teſtimonium ſupra attulimus, tum Majorum, qui præceſſerant, ac de dogmatibus ſcripſerant S. *Ambroſii ſententiam ſecutus* eſt in *Joviniani Hæreſi* refutanda; cui & divina Scriptura, & Traditio, & catholicæ Eccleſiæ religio adverſantur; quæ videlicet dogma illi hæreſi oppoſitum tradunt. Ergo Hieronymus pleroſque *majores* ſimul acceptos & rerum ad Religionem ſpectantium arbitros, qui ſcilicet Traditionis ſententiam afferunt, novit, & ipſos Teſtes *adhibuit*, contra quam Dallæus adnixum [illegible] contendit.

L Nec

Digitized by Google

Nec verò Hieronymus ſolum Athanaſii, & Hilarii, de quibus in epiſtola ad Lætam loquitur, opera excipit, eoſque ſolos ut Fidei teſtes productos docet: verum etiam *Ignatii, Juſtini, Irenæi, aliorumque apoſtolicorum* Patrum auctoritatem contra Helvidium, ut jam alibi vidimus, affert, exceptis quibuſdam *Tertulliani operibus*, quæ is in Montani hæreſim aut inclinans, aut lapſus conſcripſit.

Quare Hieronymus nulla *apoſtolicorum* Patrum, & *Majorum* opera, quæ ſanam doctrinam continent a probandis catholicæ Religionis dogmatibus excludens: immo conſonis plerorumque ipſorum auctoritatibus niſus, Helvidium, & Jovinianum exagitavit.

Ergo ad hanc veterum auctoritatem firmandam plures, & maxime Lætam excitavit, dum eam monuit, ut Sancti Athanaſii Epiſtolas, & S. Hilarii libros *inoffenſo pede decurreret*. Ex quo Dallæus ſiniſtre deducit quædam Patrum ſcripta, quamvis errore careant, tamen ponenda non eſſe in auctoritate inerranti; quod ejus generis ſint aliqua recentiora volumina; quam Dallæi commentationem abjecit ipſe Hieronymus, qui cum plures *Apoſtolicos* viros, *& majores*, quorum numero *Ambroſium*, atque adeo Athanaſium, & Hilarium, accenſuit, ad illas Hæreſes confutandas certo adhibuerit: dubio procul ipſis utpote majoribus dogmata Vera ſimul docentibus inerrantem traditionis referendæ auctoritatem attribuit; illoſque a Recentioribus orthodoxis eo diſtinxit, quod iidem illi aut Patres *Apoſtolici*, aut Apoſtolicis temporibus proximi tradita ab Apoſtolis dogmata propius noverunt, atque ſcripſerunt: iſti autem Recentiores catholici ab Apoſtolicis temporibus longius abſunt; quorum tamen aliqui plerorumque antiquiorum Patrum auctoritatem in traditione apoſtolica docenda indeficientem adverſus Dallæum evincunt; tum ſine errore conſonas eorum *ſententias*, quas etiam Hieronymus *ſecutus eſt*, contra Hæreticos afferunt.

Sed & ipſe Auguſtinus ſuis argumentationibus, quas antea retulimus, ſatis Fauſtum Manichæum, Julianum Pelagianum, ac Dallæum ipſum refellit, qui illis Hieronymi dictis quendam S. Auguſtini textum minus bene expreſſum admiſcens, dicit quod eadem ſit veritas, at non unquam eadem veterum auctoritas, monente Auguſtino; qui tamen *Canonicam Veteris, & novi teſtamenti auctoritatem Apoſtolicis temporibus firmatam* ex eo vicit, quia *per ſucceſſiones Epiſcoporum, ac per Eccleſiarum propagationes* illa tradita eſt, *& collocata tanquam in ſede quadam ſublimiori*. Ergo Auguſtinus eandem ſacrarum litterarum, ac traditionis, quam plerique illi antiquiores Præſules, & multæ Eccleſiæ de ipſis ſcripturis Canonicis docuerunt, auctoritatem, & veritatem agnovit. Ac proinde plerorumque veterum auctoritas in tradendis veris Fidei catholicæ dogmatibus ſumma eſt, & eadem, atque ipſa dogmatum veritas, quoniam tantum potuit, ut veluti in *ſublimiori ſede veriſſimas ſcripturas Canonicas collocaret*. Ea Auguſtinus harum rerum ad Religionem maxime pertinentium veteres Teſtes produxit, & credidit. Verum

is

is addidit; quod *quibuſcumque poſteriorum ſcriptorum* libris quamvis earumdem ſcripturarum *veritas* reperiatur: *longe tamen eſt impar auctoritas*, non in ea quidem Apoſtolica Canonicarum ſcripturarum traditione; ſed in aliis veriſimilibus rebus, de quibus inibi *diſputatum eſt*; quæ dno, ut videbimus in Patrum ſcriptis diſtinxit. Jam vero quod ad prius attinet: Certo S. Doctor prædocuit, ipſa *canonis confirmatione declarari*, *non licere dubitare quod verum ſit* illud omne, quod Prophetæ, & Apoſtoli in ſcripruris canonicis poſuerunt. Atqui cânonis, ſive canonicarum ſcripturarum *confirmationem* plerorumque illorum veterum Epiſcoporum, & Eccleſiarum rraditione, quam plurium Patrum opera exhibent, Auguſtinus probavit. Ergo Canonicarum ſcriprurarum, & tradirionis non impar auctoritas, ſed eadem rſt: cum Canonis confirmario Traditioni innixa ad *verum*, & certum probandum ſacrarum ſcripturarum numerum, ac Sermonem omnem ab Auguſtino adhibeatur; qui etiam peccatum originale a majoribus *acceptum*, *ac poſteris traditum*, atque *apud Eccleſiæ fidem* cuſtoditum eſſe oſtendit ex *non diſſonante* mulrorum veterum *conteſtatione*. Tantum igitur auctoritatis in canonica veteris, ac novi Teſtamenti ſcriprura, quantum eſt in Catholicorum dogmatum traditione: quia cum urraque *apud Eccleſiæ Fidem cuſtodita ſit*: tum *firmata eſt non diſſonanti* plurium Patrum *conteſtatione*; in qua ſola proinde æqua illa ſacræ Scripturæ, & veterum traditionis auctoritas ponitur.

In aliis ergo rebus poſterius ſpectandis, de quibus aliqui Patres diviſim diſceptarunt, quæque uti veriſimiles, aut veriores ad fidem non pertinent, longe eſt impar ipſorum auctoritas.

Dallæus autem erranti confuſione ad unum hæc omnia diſtincta revocans, & Patrum optima haud videns, ſine ratione concludit, a ſanctis iſtis, nimirum Hieronymo, & Auguſtino, qui de veriſimilibus rebus ſupra enarraris tantummodo diſpurarunt, & ambegerunt, Patres eos rerum ad religionem pertinentium teſtes, & arbirros nequaquam agnoſci: quæ errans Cenſoris cònclusio jam pridem ab Hieronymo rejecta, nunc conſutanda eſt argumento Auguſtini; qui adverſus Pelagium, & Julianum antiquiorum Teſtium copiam adotnavit, atque horum, & ipſius *Hieronymi certiſſimum documentum* adhibuit. Inanis ergo, falſiſſima, atque erronea eſt illa Dallæi conſecutio, quoniam quidem Auguſtinus res illas, de quibus ipſe, & Hieronymus quaſtionem habuerunt, incertas voluit: ſed tamen in cauſa fidei aperte declaravit, ſimul & *multorum* Patrum, & ejuſdem Hieronymi *documentum certiſſimum* eſſe; quod proinde ab incertis illis rebus ſecrevit; & pleroſque Patres rerum, quæ ad Fidem, & Carholicam Religionem ſpectant, Teſtes certiſſimos protulit atque cognovit.

Et quoniam adverſus recta S. Hieronymi ſenſa Dallæus S. Auguſtini vocibus abuſus eſt: ideo rurſum tradamus opportet celebre Auguſtini admonitum, cui Hieronymi

documenta, quæ is in quibuſdam Prophetarum commentariis dedit apte reſpondent.

Itaque S. Auguſtinus ſupra memoratus veriſimilia, aut veriora aliquot veterum *dicta* a *Fide* Catholica, cujus iidem Patres ſimul *Defenſores* fuere diſtinxit, & affirmavit „ Alia eſſe, in quibus aliquando „ doctiſſimi Regulæ Catholicæ de„ fenſores, ſalva fidei compage non „ conſonant, & alius alio de una „ re melius aliquid dicit & verius.

Nos ergo, ut Dallæus perperam ſummit, Auguſtino fidem non derogamus, ſed ipſe Dallæus fidem non habuit Auguſtino, qui tum in ſcripturis canonicis, & in Patrum Traditione, ac *fide*, quæ *apud Eccleſiam* cuſtodita eſt, æquam auctoritatem reſidere præmonuit: tum etiam a fide, quam plerique Patres defenderunt, aliquas veriſimiles, vel veriores eorum opiniones ſecrevit: quam diſtinctionem cum idem Dallæus ex Auguſtini libris quærere noluerit: ideo errantia, & irrita argumenta compoſuit.

Fidem etiam præbemus S. Hieronymo eadem illa ſecludenti; qui ut ab ipſo Dallæo refertur, Prophetam Habacuc explicans ait: „ Hæc „ a me breviter dicta ſunt. Si quis „ autem his ſagaciora, & veriora „ repererit; illi magis explanationi „ præbete conſenſum. „ Verum S. Doctor (a) hæc ejuſdem Habacuc verba, *diſperges aquas* itineris, ita ediſſeruit: „ Diverſæ aquæ ſunt, aliæ „ ſempiternæ, aliæ breves. De ſem„ piternis aquis, & quæ fluunt de „ fontibus Iſrael, dictum eſt, *flu„ minibus ſcindetur terra*: de ſubitis „ & ad tempus currentibus omnes „ currentes *vadunt in mare*, talium „ enim aquarum finis perditio eſt. „ Deus ergo omnes aquas quæ a „ perverſis dogmatibus conculcan„ tur, diſperget.... ut ſit ſenſus, „ aquas, quas diabolus conculcavit „ & quæ multis in ſe præbuerunt „ iter erroribus, dividet dominus, „ atque diſperget. Tum S. Hiero„ nymus prius, quam Sophoniam, „ & Zachariam Prophetas explica„ ret, & Michææ Commentariis iſta „ (b) perſcripſit: nobis autem, quia „ ſic voluiſtis, & ſemel ſuſcepimus, „ incumbit neceſſitas ita interpreta„ ri ſcripturas, quomodo leguntur „ in Eccleſia, & nihilominus He„ braicam non omittere veritatem. Hi duo Hieronymi loci præcipue aſpiciendi ſunt; quorum in uno S. Doctor *veriora* aliquorum interpretum dicta a perverſis *erroribus*, quos *dominus diſperget*, clare diſtinxit: in altero autem animadvertit, quod *nobis incumbit neceſſitas* ita *interpretari ſcripturas*, uti in *Eccleſia leguntur*, & *nihilominus* non *omittere Hebraicam veritatem* utique veteris teſtamenti; cujus plures veritates in novi teſtamenti *ſcripturis*, quas Hieronymus ſupra adlegavit, continentur, & in *Eccleſia* lectæ, ab eaque agnitæ fuerunt, & creditæ.

Hanc ergo interpretandi *neceſſitatem*, hanc Eccleſiæ auctoritatem, hanc denique non veriſimilitudinem,

ſed

(a) *S. Hier. Lib. 2. Comm. in Hab. pag. 650. T. 6.*

(b) *S. Hier. Lib. 1. Comm. in Mich. pag. 447. T. 6.*

Digitized by Google

ſed *veritatem* ſcripturæ Hebraicæ S. Doctor primitus attulit, atque ſe junxit a *veriſimilibus*, vel magis veriſimilibus, melioribus ſcripturæ interpretationibus, atque etiam a *variis Hebræorum*, & noſtrorum *opinionibus*, quas ex ejus commentariis in Sophoniam, & in Zachariam Dallæus adducit; qui tamen illam diſtinctionem æquo animo haud videns, libertatem ſollicitandi Patres in Fidei cauſa ſibi a Patribus ipſis, Hieronymo nempe, & Auguſtino conceſſam perperam vult. Ut enim præteream quod Hieronymus ſcripſit *verioribus* Patrum dictis *acquieſcendum*, ac non adeo aliquos Patres, qui ab aliis diviſi veriſimiles quaſdam ſacræ ſcripturæ interpretationes faciunt, ſollicitandos eſſe, & repellendos; quamvis in hac opinionum varietate nobis tribuatur ſola opinandi libertas: ut, inquam, iſta quæ Patres a Fide diſtinguunt, & ſcripturæ ac rationi ſuperſtruunt, omittam: Certe Hieronymus nulli libertatem dedit, ut de Fidei dogmatibus quilibet ſacras litteras aliter explicaret, quam Eccleſiæ, & plerorumque Patrum conſentientium doctrina præſcribit: quia ipſi S. Doctori *incubuit neceſſitas*, ita *interpretari ſcripturas*, ut *in Eccleſia*, cujus *dogmata*, & *majorum ſententiam ſecutus* fuit, *leguntur*, atque adeo traduntur. Et S. Auguſtinus quidem ſignificavit, alia eſſe, de quibus ipſe, & Hieronymus *ſalva Fidei compage* diſceptarunt, & *alius alio de una re*, quam ſæpe deſcripſimus, aliquid *melius* dixit, & *verius*: ac ſic eam veriorum, ſive magis *veriſimilium*, & fidei differentiam Auguſtinus innuit, & tamen in fidei cauſa S. Hieronymi explicationem, qua is adductum Prophetæ Jonnæ locum de peccato originali enuclearat, ita adhibuit, ut *multos divinarum ſcripturarum tractatores* idem, quod apud *Eccleſiæ* Fidem *cuſtoditum* ſemper eſt, ſenſiſſe crediderit. Non igitur ulli, nec Dallæo, qui ſuæ menti erranti vincula iniicit, illam licentiam Auguſtinus permiſit: ſed *Eccleſiæ* & *multorum* Patrum ſenſa de ſcripturis Canonicis, de Traditione, deque *fidei* dogmatibus tenenda eſſe monſtravit.

Sed alios nonnullorum veterum textus integros, quorum partes Dallæus adlegat, iiſque abutitur, ordinatim recenſeamus.

Primum Origenes ex eo quod Propheta (a) Ezechiel Pſeudo-Prophetas (?) reprehendat, ita ratiocinatur: „ Si me arguat Dei ſermo; tentabo „ converti; nec quia adverſum me „ aliqua dicuntur, qui videor doctor „ eſſe Eccleſiæ, debeo tacere: verum „ mihimetipſi non parcens, cuncta „ revelabo, quæ dicta ſunt, ut con„ vertar a vitiis, ut fiam non ex his, „ quos ſcriptura nunc corrigit: ſed „ ex his, qui ſermonem Dei veriſſi„ me prædicantes in Eccleſia extite„ runt Magiſtri. Poteſt autem, & „ ſuper eos, qui docent in Eccleſiis „ ſi aliter, quam poſtulat veritas, „ doceant, præſens ſermo congruere. „ Si quis enim ea, quæ Jeſus Chri„ ſtus Dominus locutus eſt, ipſa „ æque doceat, non de corde ſuo, „ ſed de Spiritu Sancto loquitur ſer„ mones Filii Dei Jeſu: ſi conſentit

„ San-

(a) Orig. homi. 2. in Ezechiel. pag. 362. Tom. 3.

„ Sancti Spiritus voluntati, ejus, qui
„ in Apoſtolis locutus eſt, non de
„ corde proprio loquitur, ſed de
„ corde ſpiritus ſancti, qui eſt locu-
„ tus in Evangelio, qui eſt locutus
„ in Petro, & in cæteris Apoſtolis
„ eſt locutus. Si quis vero negans
„ Evangelium, proprium ſenſum
„ aptat Evangelio, non ita intelli-
„ gens, ut Dominus locutus eſt: iſte
„ falſus Propheta eſt, loquens de
„ corde proprio in Evangelio. Et
„ de Hæreticis quidem, nihil abſur-
„ dum eſt, hæc dicta intelligere.
„ Differunt quippe quaſi in Evange-
„ lii, & quaſi de Apoſtolis Æonum
„ ſuorum fabulas proprio corde ex-
„ ponentes, non in corde Spiritus
„ Sancti. Neque enim poſſunt dice-
„ re, *nos autem ſenſum Chriſti habe-*
„ *mus*, ut *videamus ea quæ a Deo dona-*
„ *ta (a) ſunt nobis*. Cum autem
„ ſuper me venerit qui dicor Eccle-
„ ſiaſticus, qui accipio librum ſan-
„ ctum, & nitor eum interpretari,
„ hoc, quod de hæreticis intelligi
„ poteſt, quæro audientes, ut dili
„ genter attendant, & accipiant
„ gratiam ſpiritus, de qua dictum
„ eſt, *Diſcretio ſpirituum*; ut probati
„ Trapezitæ facti, diligenter obſer-
„ vent, quando falſus ſim magiſter;
„ quando vero prædicem, quæ ſunt
„ pietatis, ac veritatis. Si itaque
„ invenio in Moyſe, & in Prophetis
„ ſenſum Chriſti, non de corde pro-
„ prio, ſed de ſpiritu Sancto loquor.

S. Ambroſius in epiſtola 47. contra errantem, & *maledicum* quendam apollinariſtam, de quo ipſi S. Doctori quidam Irenæus (b) ſcripſerat, hæc dixit, atque reſpondit: „ Quem ſcrip-
„ ſiſti maledici ſeminatorem ſermo-
„ nis: leviſſimus eſt; qui jam vene-
„ ni ſui mercedem recepit. Siquidem
„ reſponſum eſt ei publice; & quod
„ privatim ſeverat, palam meſſuit.
„ Ego autem vanum ante, & invi-
„ ſorem tantum habebam. At ubi
„ iſte ſermo ad aures pervenit meas,
„ ſtatim reſpondi, quod eum vitus
„ infecerit Apollinaris, qui non po-
„ teſt audire, quod dominus noſter
„ Jeſus pro nobis ſervitutem ſuſce-
„ pit in iſtius corporis ſuſceptione,
„ cum Apoſtolus clamet, quod *for-*
„ *mam ſervi* acceperit. Hoc muni-
„ mentum, hæc ſæpes eſt fidei noſtræ
„ qui hanc deſtruit, deſtruetur ipſe:
„ ſicut ſcriptum eſt, quia deſtruen-
„ tem ſæpem mordebit ſerpens, equi-
„ dem primo leniter mandavi ei,
„ qua ratione bonam rem malo animo
„ facit. Ego etiam beneficio annu-
„ mero, ſi quis mea legens ſcripta,
„ dicat mihi, quod videatur mo-
„ veri, primum quia & in his quæ
„ ſcio, falli poſſum: multa jure
„ prætereunt: multa quibuſdam ali-
„ ter ſonant, pulchrum eſt, ſi fieri
„ poteſt, cavere omnia: deinde quia
„ non debeo moleſte ferre, ſi cum de
„ Apoſtolicis, & ipſis Evangelicis,
„ Dominicisque verbis plerique mul-
„ tas quæſtiones ferunt: etiam in
„ meis ſcriptis repetiant, de quo
„ diſputandum putant Plerique etiam
„ ſtudio indulgent ſuo, ut iſte, qui
„ propterea orbem circuit, ut quæ-
„ reret, quem reprehenderet, non

„ quem

(a) *P. Corr.* 12. (b) *S. Amb. Epiſt.* 47. *ad Iren. fol.* 61. *T.* 2. *Goth. edit.*

„ quem ſibi imitandum arbitraretur.
„ Hic igitur ut arroderet aliquid de
„ meis ſcriptis, cauſam ſibi amplam
„ reperit, quoniam eo loci, ubi di-
„ xit dominus Jeſus, *confiteor tibi*
„ *Pater*, *Domine Cœli*, *&* *Terræ*, di-
„ ximus ideo dictum, ut nos intel-
„ ligamus, Patrem filii eſſe, & do-
„ minum creaturæ, quanquam in
„ pſalmo evidenter dominum dixe-
„ rit Patrem Filius, *viderunt me*, &
„ *moverunt capita ſua*, *adiuva me Do-*
„ *mine Deus meus*: iterum ſecundum
„ formam ſervi locutus, Dominum
„ vocavit, quem Patrem noverat:
„ Æqualis in Dei forma, ſeruum ſe-
„ cundum carnis ſubſtantiam ſe
„ prædicans: ſervitus enim carnis,
„ dominatus autem divinitatis eſt.
„ Advertis igitur primum pro tua
„ admirabili prudentia, ea, quæ in
„ Evangelio dicuntur, ad Evangelii
„ tempus referri; quo dominus Je-
„ ſus inter homines humana ſpecie
„ (*a*) converſabatur: Nunc etiam
„ ſecundum hominem jam *non* novi-
„ mus Chriſtum: ſit ita viſus, &
„ cognitus veteribus.

Tandem S. Cyrillus Hieroſolymitanus Epiſcopus poſtquam cathecumenis ſymbolum enucleavit: tum de fidei Myſteriis, quæ a ſacris litteris, (*b*) & ab Eccleſia docentur, ſic agit: „ Oportet enim circa divina, &
„ ſancta fidei noſtræ Myſteria ne mi-
„ nimum quidem abſque divinis ſcri-
„ pturis tradi: nec temere probabi-
„ litatibus, argumentiſque in ver-
„ borum artificio conſiſtentibus ab-
„ duci ne mihi quidem iſta proferenti
„ ultro credas, niſi de divinis ſcrip-
„ turis eorum, quæ tibi anuntio,
„ demonſtrationem accipias. Hæc
„ enim fides, cui noſtram ſalutem
„ debemus, non ex communititia di-
„ ſputatione, ſed ex divinarum ſcrip-
„ turarum demonſtratione vim ha-
„ bet.... ab Eccleſia diſce, quinam
„ ſint veteris Teſtamenti libri, qui
„ vero novi.

His ergo veterum ſenſibus Dallæus vim affert, omiſſo illorum veterum integro textu. In primiſque Origenes, *adverſus* quem *aliqua* dicebantur, *converti* tentavit, & cupiit, ut *fieret* unus non ex falſis Prophetis, ſed ex Eccleſiæ Magiſtris: quibus eam exceptionem minime dedit; qua Dallæus abuſus, & in errorem, quo traditionem negat, raptus, affirmat, quod Patres, cum viverent, & prædicarent, nolebant ſibi de ulla re credendum, quam ex ſcripturis non demoſtraſſent. Quis cenſoris falſitatem non videt? Nam Origenes, & *ſcripturam*, & *Eccleſiæ Magiſtros*, qui *ſermonem* Dei veriſſime *prædicarant*, ſine ulla exceptione adlegavit; iſtoſque diſtinxit, vel a falſis Prophetis, quorum numero accenſuit Hæreticos Valentinianos, qui *Æonum*, ſive plurium deorum *fabulas* invexerunt, quas veteres antea relati ſcripturis ſacris, & *Eccleſia*, quæ ab Origene commendatur, traditione exploſerunt. Ergo Origenes traditionem non excepit, ſed ſuis dictis incluſam voluit: ac proinde nullo modo ſignificavit, tum Patribus fidem de ulla re, quam ex ſcripturis non oſtendiſſent, habendam non eſſe; tum abſque illa demonſtratione, qua Dallæus traditionem

(*a*) *P. Cor.* (*b*) *S. Cyr. Hier. Cath.* 4, *&* 5. *pag.* 60, *&* *ſequ. novæ edit. Pariſ.*

nem temere excludit, non eſſe admittendas ipſorum Patrum ſententias, quæ in multis legitimis eorundem Operibus, quæ a nonnullis depravatis voluminibus adverſus ipſum Dallæum ſæpe diſtinximus, continentur; quandoquidem Origenes *veriſſimum* Dei *Sermonem* quem *Eccleſiæ Magiſtri* produxerant, utique illis *fabulis* Hæreticorum, qui *Dei* unitatem impie negabant, oppoſuit, ideoque monſtravit, non ſolum ſacrarum litterarum demonſtrationem, ſed & hanc, & Patrum traditionem *Æonum* fabulis oppoſitam, & adeo fidei ſententias, quæ etiam nunc in veterum libris extant, admittendas eſſe atque credendas: quia ipſe Origenes ex *Eccleſiæ* traditione dumtaxat agnovit, ſermonem *Dei* ab *Eccleſiæ* Magiſtris *prædicatum* fuiſſe. Origenes ergo diſerte noluit, Patribus de ulla re, quam ex ſcripturis non commonſtraſſent, credendum non eſſe; quoniam idem auctor tradidit, a *ſcriptura corrigi* falſos Prophetas: & ab Eccleſiæ majoribus tantum accepit, *ſermonem* illum Dei a Patribus veriſſime prolatum eſſe; quam veritatem non niſi ex *Eccleſiæ* traditione Origenes noſcere potuit. Catholicorum igitur dogmatum veritas ex ſcripturis, & traditione adverſus *Hæreticos* comprobatur. Cum autem *aliqua* contra Origenem inter homines agentem *dicerentur* a quibuſdam Eccleſiaſticis: illi profecto eundem Origenem uti ſecundum a plerisque *Eccleſiæ Magiſtris*, qui *veriſſima prædicarant*, quorumque unus *fieri* idem Origenes cupiebat, acceperunt: qua acceptione intellecta, Origenes ipſe ſcripturas explicans, & in Eccleſia prædicans *Hæreticos*, qui de *ſuo corde* non de ſpiritu ſancto ſacros libros *exponebant*, arguit, & ait: cum *autem ſuper me venerit*, *qui dicor Eccleſiaſticus*, qui *accipio librum ſanctum*, & *nitor eum interpretari*: quæſo *audientes*, ut *probati Trapezitæ facti diligenter obſervent*, *quando falſus ſim Magiſter*, quando vero *prædicem*, *quæ ſunt* pietatis, ac veritatis ad quam agnoſcendi veri, & exponendi cupiditatem Origenes ſe ſe primitus excitavit, dum in ſcripturarum interpretationibus *veriſſimam Magiſtrorum Eccleſiæ* prædicationem aſſequi cupiit: a quibus proinde ſe ipſum Origenes hic ſecretum intellexit: quia ab ipſis Patribus *ſermonem Dei* veriſſime prædicari, procul dubio aſſeruit: in dubium autem vocavit, utrum ipſe *falſus* eſſet Magiſter, an *vera* diceret, & prædicaret? Origenis ergo aliquot aſſertiones adverſus quas nihil Patres dixerunt, quæque plerorumque veterum teſtimoniis conformia ſunt, non abhorrent a vero. Verum quid agimus? iterum pellimus errorem Dallæi dicentis, quod Patribus de ulla re, quam ex ſcripturis non demonſtrant credendum non ſit: quam errantem enuntiationem Origenes, quem adlegat exagitavit: qui quidem *falſos Prophetas*, & Hæreticos a ſacris litteris correctos aſſeruit: ſed tamen cum *adverſus* nonnullos ſuos errores, de quibus jam diximus *aliqua* dici ſentiebat: tum non ad ſcripturam, ſed ad *Eccleſiæ Magiſtros* atque ad Eccleſiaſticos audientes recurrit, ut ſuæ ſcripturarum interpretationes, aut falſæ monſtrarentur, aut *vera*. Non ſolis igitur ſcripturis, ſed & hisce, & *Eccleſiæ* Traditioni,

quas

Digitized by Google

quas plerique Patres ſuis in operibus exhibent, atque declarant, Fides habenda eſt, Origene commonſtrante.

Et vero S. Ambroſius contra quendam apollinariſtam *publice* oſtendit, veram carnem a Dei filio aſſumptam fuiſſe; in eaque vera carne a *veteribus viſum, & cognitum eſſe;* atque hoc eſſe noſtræ fidei munimentum. Ab iſto igitur munimento Ambroſius ſecernit *quæſtiones*, quas quidam *ſerentes* de *Apoſtolicis* verbis, & *Eccleſiaſticis*; etiam in ejus *ſcriptis reperiunt, de quo diſputandum putent*. *Putare* autem cum ad opinionem incertam attineat: hanc S. Doctor a certiſſimo illo, ac firmiſſimo *fidei munimento* diſtinguit. In his ergo *quæſtionibus*, quæ ad fidem non ſpectabant, & de quibus alii alia ſentiebant, & diſputabant, falli ſe potuiſſe Ambroſius exiſtimat, ſimulque de iſtis diſputationibus dicit, quod *multa jure prætereunt, multa quibuſdam aliter ſonant*. Atqui minime præterit, immo multis confirmat, illud dogma, quod *contra Apollinarem* publice aſſeverat, Fidei noſtræ *ſepem* eſſe & *munimentum*. Proinde ea *multa* ad fidem non refert, ſed ei juri tribuit, quod quiſque habet, ut diſputet ſolum de iis, quæ & ad fidem non pertinent, & a catholica regula non aberrant, & ab uno antiquo ſcriptore melius, quam ab altero explicantur. Itaque Ambroſius ea plura, & diverſa animo agitans, ac diſtinguens, voluit, & ſacris litteris, & majorum traditioni, & ſibi cum iſtis *veteribus* conjuncto credendum eſſe: Quoniam illud *Fidei noſtræ munimentum* eorundem *veterum cognitione* ac tui *reſponſi* publici voce, & defenſione firmavit.

Nec vero S. Cyrillus Hieroſolymitanus ſibi de ulla re, quam ex ſcripturis non demonſtraſſet, fidem non habere ſignificavit: ſed & divinis litteris, & Eccleſiæ Doctrinæ, quam ipſe adhibebat, credendum docuit. Primum enim Catechumenos monuit, ne *temere probabilitatibus, & argumentis in verborum artificio conſiſtentibus abducerentur:* de qua admonitione iſtud ſubjunxit, nec mihi iſta *proferenti ultro credas, niſi ex divinis ſcripturis eorum demonſtrationem acceperis: Fides enim non ex commentitia diſputatione, ſed ex divinarum ſcripturarum demonſtratione vim habet*, & ab Eccleſia diſce, *quinam ſint veteris teſtamenti* libri; *qui vero* novi: quo Cyrillus *Commentitios libros, qui a divinis ſcripturis legitimis* diſtinguuntur, innuens, notavit, quod *Fides non ex commentitia* fictorum librorum *diſputatione, ſed ex divinarum ſcripturarum demonſtratione vim habeat*. Hæc autem demonſtratio ab *Eccleſia*, quæ ſacros, & canonicos *veteris*, & *novi teſtamenti libros tradit*, & commentitios reprobat, *diſcitur*. Scripturæ ergo divinæ *demonſtrantur* ex Eccleſiæ traditione, quam plerique Patres ſuis genuinis, & inviolatis ſcriptis mandarunt. Non ſolum igitur *divinis ſcripturis*, verum etiam Eccleſiæ traditioni, ex qua Cyrillus earumdem ſacratum ſcripturarum demonſtrationem effecit, credendum eſt. Sed huic rei Rivetus obiicit, quod Cyrillus affirmaverit, *ne minimum quidem Myſterium abſque divinis ſcripturis tradi* oportere: quæ oppoſitio ex iis, quæ modo probavimus, refutatur. Siquidem *tradendi* vox traditionem Eccleſiæ, a *qua* divini libri diſcendi ſunt, diſer-

te ſignificat: quam proinde traditionem ex divinis ſcripturis probari, Cyrillus illis verbis indicavit. Quamobrem ut vidimus *traditiones tenendas* eſſe poſtea ſubjunxit. Et quoniam ex ſacris Pauli Apoſtoli litteris monuit, ne quis *argumentis in verborum artificio conſiſtentibus abduceretur*: idcirco advertit, primum *quod non ultro*, hoc eſt, non ex ſe, ſed ex divinis Novi Teſtamenti ſcripturis iſta proferret. Deinde quod has ipſas ſcripturas *ab Eccleſia diſcere* quiſque deberet. Cyrillus igitur voluit ſibi de ulla re, quam ex ſcripturis non demonſtraſſet, eò Fidem habendam non eſſe: quia, & admonitionem illam ex divinis ſcripturis, & divinarum harum auctoritatem ex *Eccleſia* demonſtravit, & ipſas traditiones apertiſſime docuit.

Inde vero Dallæus Sergii Monothelitæ Epiſtolam, in qua is quædam depravata, & ſuppoſita ſcripta, & alia inviolata citaverat, affert. Hujus igitur Epiſtolæ aliquot verba proferamus in medium. Sane ille Sergius Patriarcha Conſtantinopolitanus Monothelitarum hæreſi captus, ſimulque errans, & dubitans, hæc ad Cyrum Epiſcopum Phaſidis ſcripſit: „ Men-
„ nas (a) ſanctæ memoriæ quondam
„ Archiepiſcopus a Deo conſervandæ
„ hujus regiæ Urbis, ſermonem com-
„ poſuit acclamatum ad Vigilium
„ quondam ſanctiſſimum Papam an-
„ tiquæ Romæ, in quo & ipſe ſimili
„ modo unam voluntatem, & unam
„ magni Dei, & ſalvatoris noſtri Je-
„ ſu Chriſti operationem adſtruxit.
„ Et ut prudentiſſima veſtra di-
„ ligentia relegens, vigorem, qui in
„ eo continetur, agnoſcat; Neceſſa-
„ rio præfatum ſermonem tranſcribi
„ fecimus.... Si quis vero de ſoler-
„ tioribus oſtendere, valuerit, quem-
„ quam probabilium, & a Deo in-
„ ſpirabilium Patrum noſtrorum,
„ quorum dogmata catholicæ adſtru-
„ unt Eccleſiæ, duas operationes in
„ Chriſto dicere tradidiſſe opportu-
„ num eſt, per omnia ſequi. Omni-
„ no enim neceſſe eſt, non ſolum ſe-
„ cundum ſenſum ſequi ſanctorum
„ Patrum dogmata, ſed & iiſdem
„ vocibus uti cum illis, nihilque
„ penitus innovari.

Cum autem (b) illos Mennæ, & Vigilii ſermones Monothelitæ, ut antea vidimus confinxiſſent. Et plura Patrum teſtimonia, quibus hi duas in Chriſto voluntates, duaſque operationes, divinam videlicet, & humanam (c) expreſſerant, detruncaſſent, eorumque voces, quæ has duas voluntates, & operationes expreſſe ſonabant defloraſſent: tum in ſexto generali Concilio lecta eſt S. Agatonis ſummi Pontificis Epiſtola; ubi is multa Sanctorum veterum teſtimonia, quæ eandem fidem comprobabant, produxit, atque præcepit, ut *eadem (d) & verbis, & ſenſibus illibata cuſtodiantur*. Ea porro teſtimonia, quæ Agatho attulerat, *authentica*, & ab iis, quæ Monothelitæ *detruncarant*, ſecreta eſſe ſexta Synodus commonſtravit.

Hæc Dallæus, plus oculis ſuis non

(a) *Serg. in Epiſt. Ad Cyr. Apud actionem XII. Synodi VI. pag. 950. T. VII.*
(b) *Vide. Diſſer. 2. pag. 136.*
(c) *Legeſis diſſert. IV. pag.* 110.
(d) *Syn. VI. act. X. pag. 814. tom. VII.*

non amavit dum ob illa Sergii Monothelitæ verba, quæ fictos Mennæ, & Vigilii ſermones proferunt, dicit, quod Patres noluiſſe cenſendi ſunt, ut abſque ulla ſacræ ſcripturæ demonſtratione eæ adhibeantur ſententiæ, quæ in multis eorum ſcriptis præſertim depravatis hodie occurrunt. Quis hanc Dallæi confuſionem non auferts? nam Monothelitæ non omnes, ſed aliquos Patrum textus a ſacris ſcripturis ſecluſos violarunt, & obiecerunt; quos tamen Synodus ſexta integros in codicibus aliis inviolatis reperiit; iſtoſque ab illis depravatis ſejunxit; exque his ipſis duas in Chriſto voluntates, duaſque (a) operationes ita probavit, ut Georgius Archiepiſcopus Conſtantinopoleos dixerit, *ſcrutans libros ſanctorum, ac probabilium Patrum, qui repoſiti ſunt in venerabili meo Patriarchio, inueni juncta teſtimonia ſanctorum, ac probabilium Patrum, quæ in iiſdem ſuggeſtionibus continentur, conſonantia, & in nullo diſcrepantia a ſanctis, ac probabilibus Patribus, & conſentio eis, & ſic profiteor, & credo.* Quid clarius, & aptius Dallæum exagitat? Quamvis enim ex ſacris litteris, prout hæ a Patribus explicantur, duæ voluntates in Chriſto, duæque operationes evincantur: tamen hic Georgius nullam ſacrarum ſcripturarum demonſtrationem, quæ a Dallæo unice, falſo petitur, nuncupavit, & attulit: ac proinde abſque iſta idem Georgius *Sanctorum Patrum* ſententias, quæ etiam nunc in eorum libris integris extant, & a depravatis ſecernuntur, amplexus, inviolatis *ipſorum teſtimoniis, & conſonantibus credidit*: quibus proinde reliqua dogmata tradentibus, ſive cum ea vel ex ſcripturis divinis, vel ex Apoſtolica traditione demonſtrant, Fides eſt adhibenda.

Ac Sergius quidem Monothelita ſermones Mennæ, & Vigilio ſuppoſitos, in quibus Monothelitæ ſuam hæreſim poſuerant protulit: at prius ambigens, ait: *ſi quis oſtendere valuerit, quemquam Patrum duas operationes in Chriſto tradidiſſe: opportunum eſt, per omnia ſequi*: quæ Sergius certe illo fluctuans ſcripſit: cum de duabus Chriſti operationibus non dubitare, ſed ex incorruptis Patrum libris in quibus illæ expreſſe cognoſcuntur, auctoritatum monumenta quærere debuerat. Id vero poſterius ſine ulla dubitatione aſſeruit, *Patrum dogmata ab Eccleſiis Catholicis adſtrui; & neceſſe eſſe, non ſolum ſecundum ſenſum ſequi Sanctorum Patrum dogmata; ſed & iiſdem vocibus uti cum illis, nihilque pæni. innovari*. Hæc autem ſequentium ſeculorum effata eſſe, Dallæus perperam obiicit. Quandoquidem P. C. Nicena 1. Synodus *conſubſtantialis* vocabulum Dei Filio attributum, quod ut Fidei dogma Patres ea Synodo anteriores Catholicis Eccleſiis tradiderant, non ſolum quantum ad ſenſum, ſed etiam quantum ad vocem adhibendum contra Arianos conſtituit. Tum S. Auguſtinus ſupra adlegatus docuit, illud, quod *apud Eccleſiæ fidem cuſtoditur, a multis Patribus traditum eſſe*. Iſta igitur præcedentium, & ſequentium ſeculorum dogmata ſunt & pronunciata: quæ etiam Agato attulit adverſus

M 2

(a) *Ib. act. X.*

ſus ipſum Sergium; qui illud effatum generatim agnoſcens; tamen Monothelitarum hereſi raptus, particulares duarum in Chriſto voluntatum, & operationum voces, ac ſenſus nec tenuit, nec cuſtodivit.

Jam vero Dallæo iſta, quæ minus bene contemplatus eſt, expendenti venit in mentem Apoſtolorum Pauli, & Barnabæ hiſtoria; quam plene non narrat, nec connexa eorum verba profert: quæ proinde deſcribamus oportet. Cum enim Paulus, & Barnabas Jconii pluta miracula facerent; ob idque gentiles Jconienſes eos *Deos* falſo putarent; ipſiſque *immolare* vellent: tum illi (a) Sancti Apoſtoli Jconienſibus, uti S. Lucas narrat, dixerunt: *Viri quid hæc facitis? Nos mortales ſumus ſimiles vobis homines, annunciantes, vobis ab his vanis converti ad Deum vivum*.

Hæc ultima Pauli, & Barnabæ enunciata Dallæus, quia *vanis ſuis erroribus*, ad *Deum converti* noluit, neutiquam adlegat verumenim verò Paulus, & Barnabas latriæ cultum, qui ſoli Deo debetur, ſibimetipſis adhibendum eſſe optime abnuerunt: & tamen prædicarunt unum *Deum*, quem vocibus, & ſenſibus contra *vanos Deos annuntiabant*, credendum eſſe. Sic igitur Sanctorum Patrum animæ in Cælo exiſtentes aſpiciunt, non latriæ, ſed Duliæ cultum ſibi a Catholicis tribui, qui orthodoxis ipſorum doctrinis, quibus catholica dogmata illi tradiderunt, adhibent fidem; quam ipſi ſancti non moleſtiſſime ferunt, ſed gaudio maximo approbant; utpote qui *ſcripturas canonicas*, ac præterea *traditionem*, & vocibus annunciarint, & ſcriptis.

Deinceps cauſas videamus ob quas, ut Hæretici fidem catholicam amplectantur, monuit Senior Theodoſius; de quo iſta Sozomenus narrat: „ cum catholici eccleſias occu-
„ parent; multis in partibus imperii
„ (b) Romani graves motus conti-
„ gerunt, obſiſtentibus videlicet A-
„ rianis. Imperator autem Theodo-
„ ſius, exiguo tempore poſt priorem
„ Synodum elapſo, ſectatum, quæ
„ tum temporis maxime vigebant,
„ principes iterum convocavit, ut de
„ illis, quorum cauſa diffidebant,
„ rationem redderent, aut acciperent:
„ ſperabit enim perfecturum
„ ſe, ut omnes inter ſe conſentirent
„ ſi communem ipſis diſputationem
„ de controverſiis Fidei propoſuiſſet.
„ Cum igitur conveniſſent, Mero-
„ baude iterum, & Saturnino con-
„ ſulibus, quo anno Theodoſius Ar-
„ cadium Filium ſuum Imperii con-
„ ſortem ſibi adiunxit: Imperator
„ evocato ad ſe Nectario, de futura
„ Synodo cum eo communicavit,
„ juſſitque ut quæſtiones, ex quibus
„ natæ erant hæreſes, diſceptandas
„ proponeret, quo una fieret Eccle-
„ ſia credentium in Chriſtum, &
„ doctrina Fidei concors ſtabilire-
„ tur. Porro Nectarius domum re-
„ verſus, cum variis curis angere-
„ tur, Agellio, Novatianorum Epi-
„ ſcopo, ut qui eandem cum ipſo
„ fidem teneret, conſilium Impera-
„ toris aperuit. Agellius vero, ut-
„ pote

(a) *S. Iucas in actis: Apoſt. Cap. XIV V. 14.*

(b) *Sozom. lib. VII. Hiſt. Eccl. Cap. 12. pag. 260.*

pore qui vitæ ſanctimoniam factis
„ ipſis profitebatur, in dicendo vero
„ ac diſputando parum erat exerci-
„ tatus alterum vice ſua propoſuit,
„ qui & diſpicere, quid agendum
„ eſſet, & diſputare, ſi opus foret
„ egregie calleret, Siſinnium nomine,
„ qui tum lector ſub ipſo erat,
„ poſtea vero Epiſcopus itidem No-
„ vatianorum fuit, virum intelli-
„ gendi facultate, ac dicendi copia
„ præditum, qui ſacrorum librorum
„ expoſitiones accurate didicerat, &
„ multiplicem habebat notitiam co-
„ rum, quæ tum ab Ethnicis, tum
„ ab Eccleſiaſticis auctoribus ſcripta
„ erant. Hic primo loco, ac tem-
„ pore rectiſſime conſulere viſus,
„ auctor fuit, ut fugerent diſputa-
„ tiones cum Hæreticis tanquam
„ contentionis, ac diſſidii fomites,
„ interrogarentque prius illos, num
„ admitterent eos doctores, atque
„ interpretes ſanctarum ſcriptura-
„ rum, qui ante diſſidium Eccleſiæ
„ vixiſſent. Etenim ajebat, ſi iſto-
„ rum teſtimonia rejecerint; a ſuis
„ conſortibus explodentur. Si vero
„ illos ad dirimendas controverſias
„ idoneos eſſe arbitrabuntur; profe-
„ rendi ſunt eorum libri. Probe
„ enim norat antiquos, qui Filium
„ Patri coæternum credi reperiſſent,
„ nunquam auſos fuiſſe dicere, quod
„ (*a*) generationis ſuæ aliquod ha-
„ buiſſet initium. Cum igitur Ne-
„ ctario id placuiſſet, & Imperator
„ certior factus conſilium approbaſ-
„ ſet, tentare cœpit Hæreticorum
„ animos, quidnam ipſi de veterum
„ interpretationibus ſentirent. Qui
„ cum eas magnopere laudaſſent
„ Imperator apertius ex iis percon-
„ tatus eſt, utrum ex illorum di-
„ ctis controverſias deciſuri eſſent,
„ & num illos idoneos doctrinæ
„ teſtes judicarent. Cum vero hac
„ etiam de re inter ſectarum Prin-
„ cipes orta eſſet diſſenſio, neque
„ enim eadem omnes de veterum
„ interpretationibus ſentiebant: in-
„ tellexit Imperator, illos opinio-
„ num ſuarum altercationibus con-
„ fiſos conditionem propoſitam re-
„ cuſare. Et damnato illorum con-
„ ſilio juſſit, ut unaquæque ſecta
„ fidei ſuæ formulam ſcripto com-
„ prehenſam ipſi traderent.... Por-
„ ro acceptis ſingulorum libellis eam
„ ſolam Fidei formulam Imperator
„ probavit, quæ Trinitatem con-
„ ſubſtantialem aſſereret. Reliquas
„ vero tanquam huic adverſantes
„ diſcerpſit. Ac Novatianis quidem
„ nihil ex hoc negotio accidit præ-
„ ter ſententiam. Idem enim, quod
„ Eccleſia Catholica de divinitate
„ ſentiunt.

Nullius igitur momenti ſunt Dallæi argutationes, qui minime aſpexit Imperatorem Theodoſium auctorem fuiſſe, ut *ſectarum*, quæ *tunc temporis vigebant*, quæque Arianos, & Novatianos complectebantur, *Principes inter ſe conſentirent*, utque *controverſiis propoſitis*, & inde diremptis, *una fieret Eccleſia credentium in Chriſtum, & Doctrina Fidei concors ſtabiliretur*: Quos conſiliorum fontes ſolus Theodoſius *aperuit*; cui ut obtemperaret Siſinnius Novatianus, propoſuit, ut antiquorum Eccleſiæ do-

ctor

(*a*) *Nota. Hæc in Græco Sozomeni Textu ſic habentur.* ἀρχὴν τὴν γένεσιν αὐτοῦ ἐ[illegible]

ſtorum libri in apertum proferrentur, ac ſecundum eorum ſententias ſolverentur quaſtiones. Cum vero *hac de re inter Sectorum Principes orta eſſet diſſenſio*: Theodoſius Imperator ſua defenſione *eam fidei formulam*, quæ *Trinitatem conſubſtantialem aſſeverabat*, *probavit* adverſus Arianos. Quamvis ergo Sozomenus Novatianorum fautor Agellii Epiſcopi Novatiani *ſanctimoniam* nimis extollat: tamen cum in *diſputando parum exercitatum* faſſus; non, uti aliqui volunt, ea omnia [illegible] it, quo Novatianis gloriam augeret; quoniam primitus ſcripſit, quod Theodoſius Catholicus Imperator illis in cauſis primas egit, ut Hæretici converterentur ad Fidem, ut *una Eccleſia fieret*, *utque ſanctiſſima Trinitas conſubſtantialis crederetur*: quæ certe non Novatianorum, quos ſchiſmaticos fuiſſe, & ab *Eccleſia* ſejunctos idem Sozomenus innuit, ſed ipſius *Eccleſiæ Catholicæ*, quæ Patrum Doctrinæ, & Fidei unitatem ſemper ſervavit, gloriam amplificant.

Quod autem Siſinnius ad eam Arianorum controverſiam prorſus dirimendam vetuſtiores Patres attulerit; id ſine dolo propoſuit; quia conſilium iſtud placuit Theodoſio, qui juſſerat, ut illis quæſtionibus diſſolutis *una fieret Eccleſia*, ac ſic Novatiani ad Eccleſiæ unitatem redirent, atque Ariani ad Eccleſiæ Catholicæ fidem, qua *Trinitas conſubſtantialis* creditur, adducerentur. Atqui Sozomenus & ſi Novatianis favens, nullum tamen dolum in ea re referenda adhibuit; quia appellavit *Eccleſiam Catholicam a Novatianorum* ſectis ſecretam, *quæ & una erat*, & *Trinitatem conſubſtantialem*, ex veteribus Patribus, quos Euſebius, & S. Athanaſius ſæpe laudati ad idem probandum afferunt, certe aſſeverabat. Quamvis ergo Siſinnius ſchiſmaticus eſſet: nihilominus ut *unam Eccleſiam* orthodoxam amplecteretur, & Dei Filium æternum eſſe ac Patri *conſubſtantialem* adverſus Arianos probaret, vocatus: nihil doli, nihil mali, nihil novi apportavit, dum illud dogma ex Patribus evincendum dixit: quoniam hac probandi methodo ad frangendum Arium Nicæna Synodus uſa eſt; ac ſic eandem methodum legitimam eſſe prædocuit. Quare S. Gregorius Nanzianzenus (a) alibi adlegatus & veterum *ſermonem*, ac *doctrinam*, & præcipue S. *Athanaſii* qui eos *exæquavit*, documenta opponit impiis *Sabellii*, atque *Arii* commentis.

Ac S. Baſilius (b) magnus illos, qui *Arianum ſchiſma* fovebant, coarguit, quod *pium Patrum dogma non recipiant*. Hæc igitur non ſatis explorata fuerunt cenſori dicenti: „ Si „ ea, quam Siſinnius adhibebat, fuit „ legitima methodus: cur Grego„ rius Nanzianzenus, Baſilius, cur „ alii ſexcenti ſcripturas fere ſolas „ contra Arianam hæreſim adhibent? quæ arguta Dallæi interrogatio ex ſuperioribus plene refellitur. Nam trecenti decem, & octo Patres Nicæni Arianam hæreſim non ſcripturis ſolis, ſed etiam *Patrum* documentis refutarunt: quippe qui Dei Filium eſſe *verum Deum Patri conſubſtantialem*, & ex ſacris litteris, & ex di-

ſer-

(a) *S. Greg. Nanz. Orat. 2. T. 1.*

(b) *S. Baſ. Epiſ. 214. Tom. 3. pag. 322.*

ſerta *Patrum* traditione æque monſtrarint, ac definierint: quam ſententiam Conſtantinus magnus Imperator, Euſebius, S. Athanaſius, aliique ex plurium Eccleſiæ *Patrum*, ac *veterum* conſenſione approbarunt. Unde S. Gregorius Nanzianzenus & ſanctas ſcripturas, & ea, quæ ipſe *Athanaſius pie docet*, obiecit Arii novitati, cui non ſolas ſcripturas, verum etiam *pium Patrum dogma* adverſari, S. Baſilius declaravit. Cur ita? nimirum ut Dallæum retunderent. Etenim ſexcenti, ſive plurimi iſti omnes Patres dum ſic agebant: tum obſequebantur Chriſtiano candori orthodoxo, qui divinis ſcripturis, ac *pio Patrum* dogmati credit, atque ita Deum ut primarium Fidei ſuæ ducem, omnia docentem; ac Sanctos Prophetas, ſanctos Apoſtolos, ſanctoſque Eccleſiæ Patres uti doctores ab ipſo Deo poſitos, & dependentes agnoſcit: qui Patres Apoſtolici illud expreſſum, ac *pium Filii Patri conſubſtantialis dogma* non ex humana auctoritate, ſed ex apoſtolica traditione, qua ipſe Chriſtus Deus, & homo, & Apoſtolos, & Eccleſiam ſuam inſtruxit, diſertius adduxerunt: ut poſt quorum affirmationi Nicæna Synodus crediderit, eaque controverſiam contra Arianos deciderit.

Hinc clarius vera dicam. Quamvis enim ſancti Apoſtoli homines fuerint: tamen divina dogmata partim ſcriptis mandarunt, partim traditione non ſcripta, quam Paulus Apoſtolus commendavit, Eccleſiam docuere. Non ergo, ut Dallæus falſo ſupponit, auctoritatibus humanis, ſed divina, & apoſtolica Traditione nixi Patres tum Nicæni, tum alii appellati controverſiam illam diremperunt, & Dei Filium Patri conſubſtantialem vere eſſe monſtrarunt, quod id *pium Patrum*, qui quidem homines erant, ſed divinam, & Apoſtolicam Traditionem retulerant, *dogma* creditum fuerit.

Hoc igitur ex Eccleſiæ Apoſtolicæ *doctoribus* demonſtrari Siſinnius recte arbitratus eſt: a quo veluti nugatore dolos comparatos fuiſſe, cenſor procax falſo ſuſpicatur; quia ille a ſchiſmate ad ſocietatem catholicam arceſſitus, illud non Novatianiſmi, ſed *Patrum*, & *Eccleſiæ Catholicæ dogma de Chriſti divinitate* affirmavit.

Dallæus autem Sozomeni textum corrupit, ajens iſtum ſcripſiſſe, *neminem unquam veterum auſum fuiſſe dicere, Filium Dei ex aliquo principio ducere originem*. Neque enim iſta Sozomenus ex Siſinnio ſed illa Græco allato textui reſpondentia protulit: antiquos, qui *Filium Patri coæternum* credi repetiſſent, *nunquam auſos fuiſſe dicere, quod generationis ſuæ aliquod habuiſſet initium*; unde illa locutio dura, & impia, quatenus Dei Filio *initium* temporis tribuat, nunquam, ut Dallæus comminiſcitur, in antiquiſſimorum Patrum libris occurrit; in quibus tamen prior aſſertio legitur, quæ docet, Dei *Filium Patri*, a quo non ut cauſa, ſed ut principio æternam originem ducit, *credi* coæternum: quæ fides ad refellendos Arianos, qui Dei filium æternum non eſſe impie aſſerebant, aptiſſima eſt.

Iſti autem Hæretici et quibuſdam ſcripturis, et non nullis veterum vocibus abutebantur, teſte S.

Atha-

Digitized by Google

Athanaſo; qui a Dallæo tandem appellatus, ipſum cenſorem retudit. Nam objectiones, quas Ariani ex nonnullis tum ſcripturis, tum Patrum dictis perperam eruebant, S. Athanaſius quidem diluit: ſed tamen non ex ſolis ſacris litteris, verum etiam ex Patrum teſtimoniis, ac Traditione liquido oſtendit illud pium Eccleſiæ Catholicæ dogma; quod etiam Cajus Romanæ Eccleſiæ Præsbyter ante ipſum Athanaſium plurium Patrum auctoritate monſtrarat.

Ad hæc SS. Baſilius, Hieronymus, Auguſtinus, concilium Epheſinum, et Chalcedonenſe, ac S. Leo Pontifex ſummus, quorum teſtimonia in ſuperioribus attulimus, ex multorum veterum conſenſione plura orthodoxa dogmata evicerunt. Quò Dallæus intelligat, et illam Sozomeni hiſtoriam nullo modo poſſe refelli, & hanc probandorum dogmatum methodum antiquiſſimam, certiſſimam, ac legitimam eſſe.

Sed jam, ut Vincentium Lirinenſem omni Dallæi invidia liberem ponam in medio illius ſententiam; qui errores hoc pacto coarguendos oſtendit: „ cum primum (a) mali „ cujuſque erroris putredo erumpere „ cœperit, & ad defenſionem ſui „ quædam ſacræ legis verba furari, „ eaque fallaciter, & fraudulenter „ exponere: ſtatim interpretando ca„ noni majorum ſententiæ congregan„ dæ ſunt, quibus illud quodcum„ que exurget, novitium, ideoque „ prophanum, & abſque ulla amba„ ge prodatur, & ſine ulla retracta„ tione damnetur. Sed eorum dum„ taxat Patrum ſententiæ conferen„ dæ ſunt, qui in fide, & commu„ nione catholica ſancte, ſapienter „ conſtanter viventes, docentes, & „ permanentes, vel mori in Chriſto, „ fideliter, vel occidi pro Chriſto „ feliciter, meruerunt: quibus ta„ men hac lege credendum eſt, ut „ quid quid vel omnes, vel plures „ uno eodemque ſenſu manifeſte, „ frequenter perſeveranter velut „ quodam conſentiente ſibi Magi„ ſtrorum concilio, accipiendo, te„ nendo firmaverint; id pro indu„ bitato, certo, ratoque habeatur. „ Quid quid vero, quamvis ille ſan„ ctus, & doctus, quamvis Epiſco„ pus, quamvis Confeſſor, & Mar„ tyr, præter omnes, aut etiam „ contra omnes ſenſerit: id inter „ proprias, & occultas, & privatas „ opinatiunculas a communis, & „ publicæ, ac generalis ſententiæ „ auctoritate ſecretum ſit: Ne cum „ ſummo Eccleſiarum periculo juxta „ Hæreticorum, & ſchiſmaticorum „ conſuetudinem nullius dogmatis an„ tiqua veritate dimiſſa novitium „ ſectemur errorem.

Fruſtra igitur mihi argutias Dallæus exhibet prætermiſſo Vincentii antecedente: in quo is primum ſcriptores catholicos, & quidem antiquiores generatim pro *Maioribus* ita accipit, ut nullo excepto, adverſus novum errorem illorum ſententias congregandas, iiſque iſtum coarguendum affirmet: qua generali ratione Vincentius non æſtuans, docet, non ſolum eorum, qui in Fide permanſerunt,

(a) *Vin. lirin. In Comonit.*

runt, ſed etiam aliorum, qui aliquando catholica dogmata tradiderunt, tam etſi poſtea a fide deſciverint teſtimonia afferri oportere ex iis poſteriorum ſcriptis, quæ, dum orthodoxi eſſent, recte exararunt, ut Tertullianus, ut alii, qui prius, quam in errores laberentur, plura documenta ſcripta dederunt, quæ communiori Sanctorum Patrum doctrinæ conſona ſunt, eos igitur omnes ſic acceptos *Majorum* nomine Lirinenſis appellavit: quippe quorum conſonis *ſententiis allatis error novus damnatur* quod primum hac damnationis ratione Vincentius concludit, *Majorum* neminem excludens. Quare particula dumtaxat, quam dehinc de ſanctis Patribus addit, ſecundum vetuſtos(*a*) latinos idem ſæpe ſonat ac *ſaltem:* qua proinde Vincentius *Majorum* nullum a dogmatum probatione excluſit: ſed Sanctos Eccleſiæ Patres ad eam rem ſpeciatim advocandos voluit, quorum *ſententias* de Catholica doctrina conferendas eſſe ideo animadvertit, quia, cum *iſti in fide, & communione catholica ſancte, ſapienter, conſtanter* vixerint, docuerint, atque permanſerint, magis catholicis dogmatibus Fidem faciunt, & cuique Hæretico *Fidem oppugnanti terribiliores ſunt*, S. Auguſtino tradente; qui etiam de pleriſque ſanctis Patribus (*b*) id affirmat, & dicit, *quod credunt, credo, quod tenent, teneo, quod docent, doceo*. Quæ Dallæi (*c*) argutationes, quibus Vincentium oneravit, refellunt. Non enim is generatim, ſed ſpeciatim eorum teſtificationes adhibendas cenſuit, qui vixerunt, docuerunt, ac ſteterunt in Fide, & aut in Chriſto mortui ſunt, vel occiſi pro Chriſto; eos ſanctos iis particularibus modis ſpectatos S. Auguſtinus jam memoratus ut certiſſimos Fidei teſtes produxit; de quibus Dallæus perperam arguit eo pacto: „ Si vixerint, & non docuerint: „ vixerint, docuerint, permanſerint „ in Fide, ſed non in communione; „ aut in communione, ſed non in „ Fide Eccleſiæ catholicæ; aut ſi in „ ea docuerint ſancte, ſed non ſapienter; vel contra ſapienter, ſed „ non ſancte: non poſſunt teſtimo„ nium in hac cauſa dicere. „ Quibus Dallæus nec Auguſtini, nec Vincentii propoſitum aſſecutus eſt. Quandoquidem iſti loquuntur de iis Patribus, qui in Eccleſia vixerunt, & aut voce, ac ſcripto, aut ſcripto catholica dogmata docuerunt, ita ut de ipſis dici nequeat, quod non docuerint, ut Dallæus falſo ſupponit: qua Auguſtinus abſolute, & uniter dixit, *quod credunt, credo, quod docent, doceo*; Sin autem iidem Patres in Eccleſia quidem vixiſſe, ſed non illo modo, quem explicuimus, aliquid docuiſſe dicantur; jam falſa ſuppoſitione Dallæus laborat, cum ex ea colligit, ab iiſdem Patribus teſtimonium dici in hac cauſa non poſſe. Ex quo enim ſcripto, amabo te, accipies teſtimonium, & afferes, ſi nihil, ut cenſor falſiſſime ſumit, illi docuerint? Has igitur falſiſſimas ſuppoſitiones eſtringamus; quas etiam Auguſtinus evellit illis, *quod docent, doceo*; quam doctrinam e claris ve-

(a) *Nota videſis Teſt. Cic. Niz. in Vocab.* dumtaxat. (b) *Vide diſſer. VI. pag.* 114. (c) *S. Aug. lib.* 1. *contr. Jul. a. cap. IV. ib. cit.*

terum voluminibus adhibet, ac proinde ex eo, quod reapſe *docent*, accipit teſtimonium. Recte igitur Vincentius Patres in Eccleſia *viventes*, ac *docentes* ut fidei teſtes producendos conſtituit; quia ipſi, Auguſtino teſtante, in Eccleſia vixerunt, crediderunt, ac docuerunt. Jam vero Dallæus communionem catholicam ab Eccleſiæ Fide, & Fidelium conſortio a catholica communione ſejungens, admodum errat: quoniam juris catholici communio eſt profeſſio ejuſdem Fidei, quam ſcilicet fideles omnes in Eccleſia Romana & catholica profitentur: ergo, contra quam cenſor, blaterat, ſancti Patres in Fide, & *communione catholica*, quas Lirinenſis optime colligat; & viciſſim in communione catholica, ac Fide Eccleſiæ catholicæ permanſerunt. Unde Auguſtinus pluribus in locis allatis dixit, quod *optimi* atque *doctiſſimi*, ac ſancti *Regulæ catholicæ defenſores credunt, credo:* quia id *apud Eccleſiæ Fidem cuſtoditum eſt*. *Eccleſia* igitur Fides communionem inter ipſos ſanctos junxit; qui proinde & in *Eccleſiæ* communione, & *Fide* ſteterunt, ac Fidem ſapienter docuerunt & ſancte. Unde Juliano Auguſtinus hæc dixit: *ſanctos, & ſacris litteris eruditos nominatim expreſſi, eorumque ſententias digeſſi, ut in eis timeas non ipſos, ſed illum, qui ſibi eos utilia vaſa formavit, & ſancta templa conſtruxit*. Dallæus ergo in *eis ſanctis Deum*, qui *ſibi illos ſancta templa conſtruxerat, minime timuit*, illa aſſeverans, quæ iſti Auguſtini documento adverſantur. Nam ſi, ut is cenſor argutatur ſancti Patres vixerunt, & docuerunt ſancte, ſed non ſapienter, vel contra ſapienter, ſed non ſancte; & ita pro teſtimonio eſſe non poſſent: jam Auguſtinus ex eorum ſanctitate, & doctrina argumentum adverſus Julianum non traheret. Atqui S. Doctor ex eo, quod illi, & *ſancti*, & *ſacris litteris eruditi*, & *doctiſſimi catholicæ regulæ defenſores* extiterint, *eorum ſententias* contra Julianum attulit, atque digeſſit. Ergo iidem Patres vixerunt, & docuerunt ſancte, atque ſapienter; ac ſapienter, & ſancte, non autem e contrario ſapienter, & non ſancte, perhibuerunt teſtimonia de Fidei dogmatibus: quoniam ipſos ut *ſanctos* ſimul & *eruditos* Auguſtinus obiecit eidem Juliano, ut iſte *in eis* Deum, qui illos ipſos ſibi *utilia* vaſa, & *ſancta templa formavit, timeret*. Ut igitur in hoc timore Hæretici attenti eſſent, & converterentur: ſpeciatim Vincentius ſanctorum Patrum ſanctitatem, & ſapientiam ſpectandam eſſe bene propoſuit, iſtorumque *ſententias* ad depellendum quemcumque errorem afferendas prædocuit: qui tamen univerſim ut vidimus, non excluſit eos ſcriptores, qui dum orthodoxi eſſent ſapienter docuerunt, quamvis ſanctam vitam non egerint; qui ſic accepti in hac cauſa teſtimonium dicere poſſunt; dummodo præſeferant eadem dogmata, quæ ſancti Patres communius tradunt.

Tum autem in uno, aut altero ſcriptore Vincentius tuto non conſiſtit; ſed recte in tutiſſimum teſtium numerum venit, atque præſcribit, ut non unus, neve alter Eccleſiaſticus author, tantum appelletur, ſed aut *Majores* plerique omnes, aut *plures* qui ſimul ſapienter, ſancte, & conſtanter fidem docuerunt, dogmatum teſtes ſint ad-

adhibendi. Nam & Conſtantinus(a) Magnus antea memoratus Aſianis *majorem* Eccleſiarum partem oppoſuit: & S. Auguſtinus ad confutandos Pelagianos *multis Sanctis*, ac *doctis authoribus* uſus eſt, quia iſti id, quod *apud Eccleſiæ Fidem magna conſtantia cuſtoditum eſt, poſteris tradiderunt*. Nunc igitur plurium Patrum numerum ponendum, communemque ipſorum doctrinam in confutandis erroribus adhibendam eſſe, Vincentius optime ſtatuit, & doctrinæ conſtantiam ad multos veteres retulit: quoniam *conſtantem Eccleſiæ Fidem* non niſi plerique Eccleſiæ Patres teſtari potuerunt, ac reapſe *manifeſte, frequenter, & perſeveranter conſentiendo, & tradendo* ipſi vel omnes, vel plures Majores ita certe teſtantur, ut, *quicquid unus, vel alter quamvis. Epiſcopus, quamvis ſanctus, & doctus, quamvis Martyr, præter omnes, aut contra omnes ſenſit: id inter privatas opinatiunculas a publicæ, & generalis ſententiæ auctoritate ſecretum ſit; ne ullius dogmatis antiqua veritate dimiſſa, novitium ſectemur errorem:* Quem tamen Dallæus aucupatus, ad hæc Vincentii conſequentia animum non attendit. Siquidem ei ſancto viro, & ſcriptori credendum eſt, qui non modo ſancte vixerit, ſapienter docuerit, & in Fide permanſerit; verum etiam *antiqua* Eccleſiæ *dogmata*, quæ vel *omnes*, vel *plures* Patres *conſentientes* edocent, tradit. At cum unus, ex. c. Cyprianus Sanctus, & Martyr, erranti Baptiſmatis repetendi opinatione contra antiquiorem Eccleſiæ traditionem, contraque alios pleroſque omnes Patres ductus ſit: in hoc non ipſi Cypriano, ſed Eccleſiæ *traditioni* a pleriſque veteribus exhibitæ fidem adhibendam eſſe Auguſtinus jam relatus probavit; qui ex adverſo eidem Cypriano peccatum originale docenti credendum eò declaravit, quia iſtud peccatum S. Irenæus Cypriano antiquior, & plures veteres tradiderunt. Cum ergo Dallæus dicit, quod Vincentius in uno Fideli ſapiente, ac ſancto ſcriptore poterat tuto conſiſtere; eique ſoli credere; ac non anxie teſtium numerum præſcribere: cum inquam, iſta pronunciat: jam pleroſque Patres a catholicorum dogmatum probatione excludendos temere putat & falſo: quoniam antiqui Eccleſiaſtici auctores ſæpe memorati non uni ſcriptori a compluribus aliis diviſo, qui quamvis ſanctus & doctus diviſim falli potuit, ſed pleriſque Patribus vera Catholicæ Religionis dogmata ſimul aſſerentibus, ac ſic minime fallentibus crediderunt. Quamobrem Vincentius antiquitatem Eccleſiaſticam ſecutus, non anxie, ſed accurate conſtituit, vel omnes, vel plures, ſive pleroſque Patres Fidei teſtes adhibendos eſſe: cui legi quiſque cedere debet; ne dimiſſa *ullius dogmatis antiqua veritate*, quæ in plerorumque veterum ſcriptis continetur, in *errorem labatur*; neve aut *contra omnes*, aut contra plures Patres, qui Eccleſiæ *fidem tenuerunt*, ac *tradiderunt ſentiat*, & erret.

Itaque Vincentius de Patribus aut omnibus, aut pluribus *conſentientibus*, Fidemque docentibus agens, exacte proponit, nos iiſdem pleriſque auctoribus & ad Hæreticos refu-

(a) *Leg. diſſer. Jexta adnotationes.*

tandas, & ad catholica dogmata comprobanda uti debere.

Unde quæ de uno ſcriptore in falſum aucta Dallæus refert: ea alio S. Hieronymi exemplo, & allato argumento refellam. Quis enim eſt Chriſtianus, qui in iis, quæ ad Fidem pertinent, ei Doctori, qui ſancte vixit, ſapienter docuit, atque in Fide permanſit, minime credat? Certe is S. Doctor nulla falſa dogmata admiſit, immo iſthæc repulit, & vera ſemper de Religione catholica dixit, ac ſcripſit: cui peccatum originale tradenti S. Auguſtinus Fidem præbuit; qui tamen non ſolum S. Hieronymum verum etiam *multos ejuſdem* rei teſtes diſerte requiſivit, atque produxit ea ratione quod *multi ſancti* Patres traditionem, & *Fidem*, quam *Eccleſia conſtanter* ſervavit, edoceant. Dallæus igitur errans, pleroſque Sanctos Patres Fidei teſtium numero eximit, & Vincentium, qui ipſos plures veteres in teſtium numero, & loco ducendos percenſuit, perperam carpit: cum ipſius Lirinenſis obſervatio & ad Hieronymi documentum, quo is plurium *Majorum ſententiam* in dogmatibus probandis ſecutus eſt, & ad S. Auguſtini regulam, quam de iiſdem credendis habuit, dirigatur. Quo vir ille doctus non ſolum monuit, ne fallamur, neve erremus; verum etiam ſtatuit, ut quæ omnes, aut plures Patres conſentiendo, credendo, ac tenendo tradunt: ea rata habeantur, & certa.

Sed Dallæus antequam aures ſanctis Patribus præbeat, contendit, conſtare debere „ qui qualeſque teſtes ſint „ quos cum Vincentius reponat, ſancte vixiſſe, ſapienter docuiſſe, in Fide manſiſſe, atque adeo teſtes Fide dignos eſſe: tum Dallæus quærit „ quis nobis de eorum ſanctitate, ſapientia, ac Fide in qua „ mortui ſunt, Fidem faciet amabo, „ ſi Patres e ſepulchris excitaveris „ ut nos de Religione doceant, qui „ nobis conſtare poterit.

Exciatur igitur Dallæus ab inferis: & legat S. Irenæum, Euſebium, S. Baſilium, S. Auguſtinum, Epheſinum Concilium, Theodoretum & Synodum Chalcedonenſem; qui omnes teſtantur, tum pleroſque Patres *Beatos*, ac *ſanctos* (a) tum *fideles veritatis teſtes, & ob antiquitatem Fide dignos, atque accurata Traditionis ſcientia ornatos, ac doctiſſimos catholicæ Regulæ defenſores* fuiſſe; tum denique *glorioſiſſime exiiſſe de ſeculo*; quam ſapientiam, bonitatem, ac ſanctitatem de S. Athanaſio, qui a Dallæo hic nuncupatur, affirmant, & S. Gregorius Nazianzenus, & S. Cyrillus Alexandrinus; de quibus ſanctis (b) eorumque doctrina Chalcedonenſis Synodus Marciano Imperatori hæc dixit: „ Ab ipſis Fidei ſermonibus in choris, Sanctorum Patrum.... decreta ſubdentes.... „ atque ut nulla his, qui Apoſtolicum virum per invidiam lacerare „ nituntur, relinquatur occaſio: conſonantia Epiſtolæ ejus ſanctorum „ Patrum teſtimonia ad certiorem „ notitiam veſtræ pietatis ex multis „ pauca ſubdidimus ſancti Baſilii, „ Bea-

(a) *Videſis diſſertationem* 1.

(b) *Con. Chal. in alloc. ad Marcia. ibid. cit.*

„ Beati Ambroſii, Beati Gregorii „ Theologi, ſancti Athanaſii, Beati „ Flaviani, Beati Joannis Epiſcopi „ Conſtantinopolitani, Beati Cyrilli „ ex epiſtola ad Neſtorium. „ Atque (a) eadem de S Cyrillo Eulogius Alexandrinus Antiſtes protulit, dum appellavit ſtudio veritatis ardentem, doctum, pium, minimeque vacillantem Cyrillum. Hunc etiam celeberrimum, (b) & Beatiſſimum Anaſtaſius Sinaita vocavit. Quæ omnia Photius ſæpe alias relatus confirmat.

Advertat ergo Dallæus ſanctos omnes Patres, ac præcipue S. Athanaſium, & S. Cyrillum, Alexandrinos Epiſcopos, ſancte vixiſſe, ſapienter docuiſſe, & in Fide, ac communione catholica manſiſſe, & in Chriſto mortuos eſſe. Quoniam hi *Fidei ſermones* plerumque produxerunt, ac *ſancti*, & *beati* ab Eccleſia agniti fuerunt & crediti: cujus rei fidem faciunt plures illi veteres, & Chalcedonenſis Synodi Patres; qui certe ipſorum *Sanctorum* geſta noverunt, exque ipſorum ſcriptis, quæ etiam nunc ſuperſunt, auctoritatum momenta adverſus Eutychianos quæſiverunt: quod tamen (ait Dallæus) nunc poſt duodecim ſæcula inquirere ſerum eſt, & impoſſibile. Num autem tempus quærendi, & docendi artes ſuſtulit? aut num dogmatum ſcientia nihil eſt, quia poſt duodecim ſæculorum ſpatium ea extantia monumenta Dallæum fugerunt? Nam S. Baſilius, S. Auguſtinus, Synodus Chalcedonenſis, Photius poſt plura Patrum ſæcula notus, aliique ſcriptores, laudatorum Patrum ſanctitatem teſtati; ex *multis* ipſorum *ſermonibus* ſcriptis *pauca* collegerunt.

Ergo & ipſorum ſanctitas credenda eſt; & poſt illa ſecula ex ſanctorum Patrum operibus *Fidei* documenta facillime capi poſſunt, & erui; uti relatis Patribus, & criticis id facillimum, non impoſſibile fuit. Hoc igitur quærere, & diſcere ſerum eſt, & fortaſſe impoſſibile ei, qui in ſumma rerum Eccleſiaſticarum ignoratione, & in maximo errore verſatur. Verum contra Vincentium Dallæus fingit, Patres Fidei teſtes ſupervacanea commemoratione ab eo advocari, apud quem prius, quam ipſi Patres ſancti ſapienter docentes adlegentur, conſtitutum eſt, quæ ſit veritas. Quam tamen Dallæus non reperit. Nam hic non de veritate præciſa, ſed de veritate dogmatum Eccleſiæ Catholicæ, & Apoſtolicæ agitur. Atqui hæc dogmatum veritas nonniſi ex plerisque Patribus antiquis præſertim ſanctis noſci poteſt; utpote qui vel Apoſtolicis temporibus viventes, vel iis proximi, Fidem docuerint. Ergo ad Catholicorum dogmatum veritatem agnoſcendam, atque credendam non uſu ſupervacaneo, ſed neceſſario modo veruſti Patres ut Fidei teſtes adhibentur; ac ſic Vincentii methodo uti debemus. Quate ante omnia neceſſarium eſt, ut quidam veruſti Eccleſiaſtici auctores, & plures antiqui Patres ſancti agnoſcantur; quorum ſanctitas non levi fama, quam Dallæus ſimulat, ſed conſtanti, & ſcripto aliquot Auctorum, & plurium Patrum præſertim Chal-

(a) *S. Eul. Apud Phot. BB. cod.* 213.

(b) *Anaſtaſius Sinaita in Duce Viæ.*

Chalcedonenſium ſermone celebratur Non ergo ante omnia veritas illa præciſa, ſive a veris Fidei dogmatibus abſtracta, quam nuperus cenſor inepte ſupponit, pernoſcenda eſt; nec, quæ iſta præciſa veritas ſit, conſtituendum; quia, ut præmonui, non de ea, ſed de veritate dogmatum Eccleſiæ Apoſtolicæ pertractamus; ad quam veritatem inveniendam idonei teſtes certe adhibendi ſunt; qui non alii eſſe poſſunt, niſi qui aut Apoſtolicis ſæculis noti, aut iis proximi extiterunt: quorum plerique vel auctores Eccleſiaſtici antiqui, ab Euſebio, atque a S. Hieronymo, aut multi ſancti Patres vetuſti a S. Auguſtino, & a Synodo Epheſina, & Chalcedonenſi dubio procul agnoſcuntur: quibus pleriſque proinde ut idoneis teſtibus primitus cognitis, ac deinde ad probanda dogmata advocatis ſane eorum dogmatum, quæ Apoſtolica, & orthodoxa Eccleſia docuit, ac docet, veritas noſcitur, & creditur.

Sed & voluminum, quæ quinque priorum ſæculorum auctores compoſuerunt, pars major nequaquam intercidit, etſi enim illorum aliqua perierint: tamen pleraque adhuc extant, & patent: quibus majorem Veterum teſtium partem conſtitui, S. Auguſtinus ſæpe laudatus oſtendit: quippe qui ex SS. Irenæo, & Cypriano, qui vel ſecundo, vel etiam tertio ſæculo floruerant; atque ex pluribus quarti ſæculi Patribus, quorum multa opera ſuperſunt, peccatum originale monſtravit. Hinc Vincentius (a) Lirinenſis exemplum ſuæ regulæ cæpit ex Concilio Epheſino Oecumenico; quod tum ex nonnullis ſecundi, & tertii ſæculi ſanctis, tum ex pluribus quarti ſæculi Patribus Neſtorii hæreſes eliminavit. Fruſtra igitur & falſo Dallæus dicit, quod Vincentius plerorumque Patrum teſtimonia, quibus hæreſes revincantur, afferenda docens, ad impoſſibile eò nos adigat, quia & Patrum maxima pars, & potiſſima nihil ſcripſit; & ex his illorum operibus, quæ ſuperſunt, multa tempus abſumpſit. Hoc autem cenſor erranti novitate captus obtendit: primum quod Patrum pars maxima atque potiſſima a S. Auguſtino, qui ipſorum ſcripta ſingillatim commemorat, contra Pelagianos adlegetur: deinde quod pleraque eorum, & aliorum veterum opera hodieque ſuperſint: e quibus multis veterum voluminibus auctoritates S. Baſilius, S. Auguſtinus, Theodoretus, & Conciliorum laudatorum Patres adverſus Hæreticos adduxerunt. Non ergo impoſſibile eſt, ut eo modo, quem Vincentius ponit, noſcamus, quæ voluminum, vel plerorumque Patrum fuerit ſententia de Fidei dogmatibus: quoniam eorum permultorum operum pars major, etiamſi ad ea multa veterum ſcripta integra extantia, aut ad quædam fragmenta ab Hiſtoricis antiquis exhibita referatur, ac reſtringatur; facile ab ipſis veteribus adlegata fuit, unde conſentientes plerorumque Patrum ſententias eruditi non promiſcue, ſed diſtribute afferunt, cum & diſtinctorum ſæculorum, in quibus Patres vixerunt, ordinem exacte ſequantur; & ex multis in-

(a) *Vinc. Lirin. in Comm. Cap. penulti.*

integris Patrum voluminibus, exque nonnullis veterum monumentis auctoritates adhibeant; atque ad unum conferant, idque ratum habeant, & certum. Nam ſecundum earum auctoritarum conſenſionem Eccleſia de Fidei dogmatibus non fortuitum, ſed certiſſimum judicium protulit; quod fortuitum, ſive ex variis caſibus pendens Dallæus temere vocat, falſo ſupponens, eas auctoritates ex quibuſdam veterum libris, qui omnino perierunt, exſcribi: quia eædem conſentientes ſententiæ non ex quibuſdam ſcriptis, quibus vel caries, vel ignis, vel aliqui infideles non pepercerunt; ſed ex multis Patrum monumentis extantibus, quæ caſus omnes evaſerunt, proferuntur in medium. Ergo & Eccleſia de Fidei dogmatibus, quæ a Patribus communius traduntur, non fortuitum, ſed certo certius fecit judicium & Vincentii methodus optatum ſuum finem conſecuta eſt. Neque etiam antiqui Hæretici plura S. Clementis, S. Ignatii, S. Juſtini, S. Irenæi, Tertulliani, Clementis Alexandrini, Origenis, S. Cypriani, S. Athanaſii, S. Gregorii Nanzianzeni, S. Epiphanii, S. Gregorii Nyſſeni, S. Cyrilli Hieroſolymitani, S. Joannis Chryſoſtomi, S. Paciani, Titi Boſtrenſis, S. Ambroſii, S. Hieronymi, S. Auguſtini, S. Proſperi, S. Cyrilli Alexandrini, Theodoreti, & Conciliorum generalium ſcripta abſumpſerunt, quæ illi nebulones ſibi adverſari ita intuiti ſunt, ut Synodi generales & Oecumenicæ adverſus ipſos Hæreticos plurium veterum volumina adlegarint. Ac proinde non eo modo, quo quidam ſine teſtibus lites decidiſſe a Dallæo blaterante dicitur, ſed extantibus plerorumque Patrum teſtificationibus Fidei capita olim, & modo definiit Eccleſia. Expende nunc iodes, quanta impoſſibilia, & inania Dallæus confingat. Quantus autem labor eas ob res capiendus ſit, innuit Auguſtinus, qui multos Patres græcos, & latinos in claſſes pro ſæculorum ratione diſtribuit, ſimulque eos contra Pelagianos facile advocavit. Non igitur difficile eſt, vel omnium ſæculorum auctores, adducto ætatum diſcrimine, appellare; vel plerorumque Patrum ſententias diſtributè in unum colligere, & ad probanda Fidei dogmata ſimul afferre. Sed Dallæus errans hic effutit, iniquiſſimum eſſe, Patrum, quorum alius alio ſapientior fuit, æquari ſententias de Fide. Id vero Cenſor ille obtrudit, haud captis Conſtantini Magni, S. Auguſtinii Vincentii Lirinenſis, & Chalcedonenſis Concilii rationibus; qui tum plerarumque Eccleſiarum, ac Sanctorum plurium *concordem ſententiam*, ac *Fidem* tum ipſos Patres æque *doctiſſimos catholicæ regulæ defenſores* collaudant; quamquam alius alio quicquam *melius* edifferat. Etſi igitur ſancti Patres ſapientia, ſanctitate, & merito diſpares extiterunt, & alter altero doctior aliquid *melius* explicuit: nihilominus *Fidei* doctrina diſpares non fuerunt; quia in hacce *concors*, atque adeo prorſus æqualis, fuit ipſorum *ſententia*, utpote quæ ad unam *Fidem* non diſparem, & ad unam, eamdemque catholicam *regulam* directa fuerit: a qua proinde Dallæus maxime aberrat, illud contrarium imprudenter affirmans. Verum au-

tem ejus rei exemplum non modo a S. Hieronymo, & Rheticio, ſed etiam a S. Auguſtino petimus, quorum quidem prior Rheticium in eo, quod Hebraicam linguam, ejuſque ſenſa non calleret, vere excuſavit: ſed tamen ipſum *ſublimi ore diſſeruiſſe* præmonuit. Hinc S. Auguſtinus SS. *Irenæo*, *Cypriano*, *Baſilio*, *Rheticio*, *Hieronymo*, aliiſque ſupra recenſitis, cum Fidei dogmata conſonis teſtimoniis comprobant, idem ſuffragii jus tribuit; quippe qui eos omnes *doctiſſimos catholicæ regulæ defenſores* nuncuparit: ex quo exiſtit & illud, SS. Irenæum, Cyprianum, Baſilium, Rheticium, Philaſtrium, Hieronymum, Auguſtinum, & reliquos cum unius Fidei catholicæ dogmata edoceant, eodem ſuffragii jure gaudere: & Catholicam unius veteris, quamquam eruditiſſimi, ſententiam centum, aliis pretio non antecedere quandoquidem multos Patres utpote *optimos* Fidei *defenſores* in conſonicius ſententiis pronunciandis pares eſſe Auguſtinus ita declarat, ut ab iſtis *alia*, quæ aliquot Patres *verius* quam alii dicunt, & adeo in hoc ſolo aliquantum ſententiæ aliis aliorum veterum dictis veriſimilibus *veriores* ſunt, aperte diſtinguat: qua Auguſtini diſtinctione non cognita Dallæus Vincentio falſa illa obiicit argumenta. Nec vero idem Lirinenſis decernit, Patrum ſuffragia non expendi debere, ſed numerari: & tanti eſſe æreos, quanti aureos nummos: eorumque ſententias aliquas legitime pronunciari, alias tumultuarie effundi, ideoque minime æquari. Quæ Vincentio Dallæus affingit propterea quod is cenſor affert, Vincentium poſtulare, ut unumquodque dogma orthodoxum maximæ Patrum partis auctoritatibus *manifeſte* firmetur. At niſi legitima Patrum ſcripta legantur; niſi ſaltem hæc genuina agnoſcantur; niſi demum eorum ſententiæ perpendantur: certo ſciri nequit, iſtas & legitimas eſſe, & manifeſtas. Ergo tum numeranda plerorumque Patrum ſuffragia, quatenus ſcilicet major ipſorum pars adlegetur, tum, ut eadem cuique *manifeſte conſtent* exponenda eſſe, docuit Vincentius; qui non tanti æreos, quanti aureos nummos: non pecunia Dallæi magnas Patrum perſonas, atque ſententias æſtimavit, ſed quanti iſtæ allato S. Auguſtini judicio æſtimatæ fuerunt: tantidem, non minoris, nec pluris a Vincentio æſtimanda proponuntur. Jam vero ſicuti Auguſtinus aliquas veterum ſententias legitime, alias non tumultuarie pronunciavit, ſed ad unam *Catholicam Regulam* directas jure æquavit: ita Vincentius Patrum auctoritates æquari eò perpendit, quod ad evellenda falſa cujuſque *erroris* firmamenta, atque ad unam *Fidem* docendam *manifeſte* attineant, omni confuſione ſublata.

En nova Dallæo objiicienda. Nam de ipſis Patribus ſanctis & illa, quæ retulimus, & hæc alia S. Auguſtinus illi Juliano dixit: „ Illi Epiſcopi ſunt „ docti, graves, *(a)* ſancti, veritatis a„ cerrimi defenſores.... Si Epiſcopa„ lis Synodus ex toto orbe congrega„ retur, mirum ſi tales poſſent illic

„ fa-

(a) *S. Aug. lib. 2. Con. Jul. Cap. X Num. 37.*

„ facile tot ſedere, quia nec in uno
„ tempore fuerunt; ſed Fideles, &
„ multis excellentiores paucos diſpen-
„ ſatores ſuos Deus per diverſas æta-
„ tes, temporum, locorumque diſtan-
„ tias, ſicut ei placet, atque expedi-
„ re judicat, ipſe diſponit. Hos ita-
„ que de aliis, atque aliis tempori-
„ bus, atque regionibus ab Oriente,
„ & Occidente congregatos vides non
„ in locum, quo navigare cogantur
„ homines, ſed in librum, qui navi-
„ gare poſſit ad homines: quanto ti-
„ bi eſſent iſti Judices optabiliores, ſi
„ teneres Catholicam Fidem: tanto
„ tibi ſunt terribiliores, quia oppu-
„ gnas catholicam Fidem, quam in
„ lacte ſuxerunt, quam in cibo ſum-
„ pſerunt.... quam contra inimicos
„ etiam vos tum nondum natos, un-
„ de nunc revelamini, apertiſſime,
„ ac fortiſſime defenderunt.

Hanc igitur optimam cauſam Dallæus ingenii calumnia ludificatur, quam ipſe Auguſtinus contudit; cujus teſtimonio tutiſſimo comprobatur, nullam novam difficultatem de integro ſuperandam, nec Patres è ſepulchris excitandos eſſe, ut nos de Religionis Catholicæ dogmatibus doceant: quoniam ex ipſorum operibus, atque Auguſtini *libro* conſtat Fidei dogmata, quæ in illis leguntur, ab ipſis Sanctis Patribus, manifeſte, frequenter, & perſeveranter firmata fuiſſe: quippe quia iidem *docti, graves, & Sancti Patres Fidem catholicam* ſuis aut litteris, aut libris, quos S. Doctor recenſuit, *apertiſſime, ac fortiſſime defenderunt*. Unde exemplum Synodi, quæ etiam a Vincentio ſumitur, Auguſtinus hypotheſi iſta propoſuit, quod ſi *Epiſcopalis Synodus ex toto orbe congregaretur; mirum ſi tales poſſent illic facile tot ſedere. Hos itaque non in locum, ſed in librum congregatos* vides, qui quidem orthodoxis ſunt *Judices optabiliores*, ſed *terribiliores* Hæreticis. Illi ergo *docti*, & *Sancti Epiſcopi*, qui a Summo Pontifice dependebant, & tunc judices erant, ex *magno totius* orbis Epiſcoporum numero nunc ſuis in ſcriptis ſuperſunt, quibus tutò ſuffragii jus tribuitur, quia contra oppugnantes *catholicam Fidem Judices terribiles* ſunt, & *acerrimi veritatis defenſores*. Erranti igitur dubitatione Dallæus dicit, quod Fidei dogmata ex eorum libris manifeſte ac firmiter eo evinci non poſſunt, quia ſi in concilio quod Lirinenſis ſumit, iidem Patres ſuffragium ſuum clare expreſſiſſent, vel retinuiſſent Fidem: quis ex tanto numero ſupererit, cui ſuffragii jus, quo vera dogmata probet, tuto deferri poſſit? At ſupereſt Auguſtinus, qui dubitantis Dallæi errorem aufert, vel ex illa Synodi hypotheſi, vel reapſe ex extantibus Patrum Operibus. Primum enim ſi concilium ageretur: in eo plerique Sancti Patres ut *acerrimi veritatis defenſores* tutò ſuffragium ſuum ferrent. Deinceps reapſe *Fidem* conſtanter retinuerunt, quia eam *fortiſſime defenderunt*. Superſunt ergo iidem tutiſſimi *Fidei teſtes*; quia non è ſepulchris, ſed ex ipſorum monumentis excitari, neque in *locum*, ſed in *librum* reapſe *congregati*, frequentibus, ſive multis, ac tutis ſuffragiis catholicorum dogmatum *veritatem apertiſſime* monſtrant, atque *defendunt*: cum ſuum in hoc judicio locum priora quatuor generalia Concilia habeant, fatente Dallæo: tum reliqua omnia Fidei dog-

mata a Patribus tradita, ea lege, quam Vincentius tulit, ut certe ſententiæ credendæ ſunt: quoniam, ut adverſus priorem Dallæi librum demonſtravi, ipſa Concilia ex conſentientibus Patrum teſtimoniis Fidei dogmata comprobarunt. Non ergo impoſſibilis, nec periculoſa, ſed facilis, tuta, ac neceſſaria eſt illa Vincentii regula; qui neque in incommoda a Dallæo conficta ſe induxit; neque ejus ſententia maximis periculis obnoxia, neque ex auctoris ſtudio nata, nec falſa, nec inanis, nec repudianda eſt: certa, & ſolida ratione, atque auctoritate veterum nititur: quippe quorum plures laudati, & generales Synodi, ac maximæ S. Auguſtinus in Fidei rebus illam probandi methodum adhibuerunt. Sane Auguſtinus *veriora*, aut veriſimiliora *dicta* aperte ſecernit a certiſſima *Catholica regula*: & in illis non negat, nos cujuſcumque auctoris Eccleſiaſtici ſententia teneri, quia eadem veriora aliquot Patrum dicta ipſe S. Doctor ſic ſequitur, ut etiam veriſſimilis nonnullorum Veterum ſupra adlegatorum, quos idem Auguſtinus ab aliis ſejunctos accepit, ſententia aliquo pacto conſiſtat. Jam vero *Catholicæ regulæ*, & *Traditioni*, quæ plerorumque Patrum conſentientium teſtificatione confirmantur, credendum eſſe, Auguſtinus prædocuit amota omni dubia opinione. Quare ex *continuata Eccleſiaſticorum* ſcriptorum *notitia*, exque ſucceſſionis orthodoxorum Præſulum ſerie adverſus Manichæos oſtendit, *Canonicas veteris, & novi teſtamenti ſcripturas*, quas hic Dallæus attingit, *Apoſtolicis temporibus firmatas* eſſe. Ita hic ſacrarum litterarum *Canonem* Vincentius commendat, ita ut Dallæus falsò dicat, ſacras ſcripturas non afferri a Lirinenſi: qui tamen contra Hæreticos a quibus diverſæ, & errantes ſcripturarum interpretationes fiunt, optime docet, conſonas *Majorum ſententias*, quibus ii canonicas ſcripturas interpretantur, congregandas eſſe & adducendas. Sicut ergo Auguſtinus divinarum litterarum *canonem* ex *continuata* Patrum notitia firmiſſime probavit: ita Vincentius conſtanti Patrum Traditione canonicas ſcripturas explicandas contra hæreticos monet: qua admonitione, & ratione ſuam ſententiam idcirco firmat quod Auguſtinus ipſe adverſus Manichæos, & Donatiſtas *Traditionem* aperte propoſuit. Hinc non Vincentiana illa methodus, ſed Dallæi argutatio maximis periculis obnoxia eſt, & erronea; quia hic cenſor errans contra Antiquiores Eccleſiaſticos, contra S. Auguſtinum, contraque Concilium Chalcedonenſe temere dubitat de Beatorum Patrum ſanctitate, de firmiſſima eorum *Fide*, deque conſentienti ipſorum Fidei doctrina; quæ cum *cuſtodita ſit apud Eccleſias Fidem* indeficienti *conſtantia*: hanc ipſam *Fidem multi ſancti* veteres adverſus ſuorum *temporum* errores *fortiſſime* tuiti, eam *apertiſſime* poſteris *tradiderunt*, Auguſtino docente; cujus proinde documentis certiſſimis Vincentii methodus omnino conſona eſt; quippe qua is ſtatuit, *conſtantibus*, *frequentibus*, ac manifeſtis ſanctorum Patrum teſtimoniis Fidei catholicæ dogmata comprobanda eſſe, atque tenenda. Cum itaque lege, & praxi Auguſtini, qui ſacris lit-

litteris, & conſtanti Eccleſiæ, ac Patrum traditione Hæreticos confutavit, Vicentianæ methodi ratio firmetur: hæc regula non repudianda eſt, ſed neceſſario ſervanda; quo Dallæi, aliorumque Hæreticorum ſuſpiciones, atque errores funditus amoveantur.

Tranſeo nunc ad ipſum Vincentium, quem immerito Cenſor, Semipelagianorum numero accenſet. (a) Primum enim Lirinenſis (b) de Hæreſium origine hæc ſcribit: „ Quis
„ unquam hæreſes inſtituit, niſi qui
„ ſe prius ab Eccleſiæ Catholicæ
„ univerſitatis, & antiquitatis con-
„ ſenſione diſcreverit? quod ita eſ-
„ ſe luce clarius exempla demon-
„ ſtrant. Quis enim unquam ante
„ prophanum illum Pelagium tan-
„ tam virtutem liberi præſumpſit
„ arbitrii, ut ad hoc in bonis re-
„ bus per actus ſingulos adjuvan-
„ dum neceſſariam Dei gratiam non
„ putaret? „ Dehinc antiquam Fidem ſervandam ex S. *Cæleſtino Primo Papa* ſic probat: „ Ait enim in E-
„ piſtola, quam Gallorum (c) Sa-
„ cerdotibus miſit, arguens eorum
„ conniventiam, quod antiquam Fi-
„ dem ſilentio deſtituerent, & pro-
„ phanas novitates exurgere pate-
„ rentur: *Merito*, inquit, *cauſa nos*
„ *reſpicit, ſi ſilentio foveamus erro-*
„ *rem: ergo corripiantur hujuſmodi:*
„ *non ſit iis liberum habere ſermonem.*
„ Hic aliquis fortaſſe addubitet,
„ quinam ſint illi, quos habere
„ prohibeat liberum pro voluntate
„ ſermonem, vetuſtatis prædicato-
„ res, an novitatis adinventores?
„ ipſe dicat, dubitationem legen-
„ tium ipſe diſſoluat. Sequitur
„ enim: deſinat, inquit, *ſi ita res*
„ *eſt* (ideſt, ſi ita eſt, ut apud me
„ quidam urbes, & Provincias ve-
„ ſtras criminantur, quod eas qui-
„ buſdam novitatibus conſentire no-
„ xia diſſimulatione faciatis) *deſi-*
„ *nat* itaque inquit, *ſi ita res eſt,*
„ *inceſſere novitas* vetuſtatem. Ergo
„ hæc fuit Beati Cæleſtini beata
„ ſententia, non ut vetuſtas ceſſa-
„ ret obruere novitatem; ſed po-
„ tius novitas deſineret inceſſere ve-
„ tuſtatem. Quibus Apoſtolicis,
„ Catholiciſque decretis quiſquis re-
„ fragatur: inſultet primum omni-
„ um neceſſe eſt memoriæ ſancti
„ Cæleſtini, qui ſtatuit, ut deſi-
„ neret inceſſere novitas vetuſta-
„ tem.

Porro autem Semipelagianorum alii ſupernam, & interiorem Dei gratiam prævenientem, quæ fidem antecedit, & ad Fidei, ac ſalutis initium neceſſaria eſt, errore adeò negarunt, ut per ſolas liberi arbitrii vires poſſe hominem & credere, & ſalutis æternæ deſiderio affici aſſeruerint; quam errantem aſſertionem illi ab Hæreſiarcha Pelagio acceperunt; qui hæreſi affirmaverat, Ethnicos per ſolum *liberum arbitrium* ad *Fidem poſſe venire*, ac ſupernam Dei Gratiam interiorem ad ſingu-

O 2 los

(a) *Nota. Quæ hic, & in ſequentibus acrius contra Dallæum aſſerimus præjudicatos ex eis nolumus Auctores illos Catholicos, qui de Vincentio nobiſcum non ſentiunt.*

(b) *Vinc. Lirin. in Common.* 1. *cap.* 34.

(c) *Ib. Cap. Ultimo.*

los actûs bonos neceſſariam non eſſe. uti S. Auguſtinus (a) teſtatur. Alii verò Semipelagiani prioribus duriores errando ajebant, homines non modo ad Fidem, verum etiam ad *Gratiam, qua in Chriſto* renaſcimur, poſſe per naturalem *facultatem pervenire petendo quærendo, pulſando:* quod S. Proſper in Epiſ. ad S. Auguſtinum refert, & improbat.

Ex his adverſus Dallæum liquido apparet S. Auguſtini memoriam, atque doctrinam a Vincentio Lirinenſi non everſam, ſed corroboratam fuiſſe: quoniam is aperte docuit, ac dixit, quod contra *antiquitatis conſenſionem prophanus Pelagius tantas vires liberi præſumpſit arbitrii, ut ad ſingulos actus bonos atque* ad *fidem*, ſive ad primum credendi actum, *neceſſariam eſſe Dei gratiam* negaverit: quam Pelagii hæreſim ex veterum auctoritate S. Auguſtinus refellit; cujus proinde memoriam Semipelagiani quidem in Galliis proſcindebant: ſed Vincentius iiſdem in regionibus magnam illam Auguſtini doctrinam, qua is ſupernæ gratiæ neceſſitatem probaverat, memoriæ mandavit, ac ſic Semipelagianis ſuffragatus non eſt.

Atque ad reliqua Dallæi, aliorumque cenſorum objecta diluenda afferam S. Cæleſtini Primi Romani Pontificis Epiſtolam, (b) quam is de Semipelagianorum cauſa ad Galliarum *Epiſcopos* ſcripſit, iiſque iſta dixit: „ Filii noſtri præſentes Pro-
„ ſper, & Hilarius, quorum circa
„ Deum noſtrum ſollicitudo laudan-
„ da eſt, tantum neſcio quibus
„ Præsbyteris illic licere, qui ſtu-
„ deant Eccleſiarum diſſenſioni, ſunt
„ apud nos proſecuti, ut indiſci-
„ plinatas quæſtiones vocantes in
„ medium, pertinaciter eos dicant
„ prædicare adverſantia veritati. Sed
„ veſtræ dilectioni juſtius imputa-
„ mus, quando iſti ſupra nos ha-
„ beant copiam diſputandi legimus,
„ ſupra Magiſtrum non eſſe diſci-
„ pulum: hoc eſt non ſibi debere
„ quemquam in injuriam Doctorum
„ vindicare doctrinam. Nam & hos
„ ipſos a Deo noſtro poſitos novi-
„ mus ad docendum; cum ſit, di-
„ cente Apoſtolo. (c) eis tertius locus
„ in Eccleſia depurandus. Quæ il-
„ lic ſpei eſt, ubi Magiſtris tacen-
„ tibus, ii loquuntur, qui ſi ita
„ eſt, eorum diſcipuli non fuerunt.
„ Timeo, ne connivere ſit hoc fa-
„ cere. Timeo, ne magis ipſi lo-
„ quantur, qui permittunt illis ta-
„ liter loqui: in talibus cauſis non
„ caret ſuſpicione taciturnitas, quia
„ occurreret veritas, ſi falſitas di-
„ ſpliceret. Merito namque cauſa
„ nos reſpicit, ſi ſilentio foveamus
„ errorem. Ergo corripiantur hu-
„ juſmodi; non ſit iis liberum, ha-
„ bere pro voluntate ſermonem.
„ Deſinat, ſi ita res ſunt, inceſſere
„ novitas vetuſtatem.

Deſinant ergo, ii Vincentium inceſſere, qui pertendunt, hunc de

SS.

(a) *Nota. S. Aug. lib. de Gratia Chr. id refert, & in Epiſt. ad Sixtum pag. 93. part. 1. Rom. edit. contra Pelagianos Probat, Fidem gratuitum donum Dei eſſe.* (b) *S. Celeſt. 1. Ep. ad Gall. Epiſcopos, Venerium, & alios edit. Paris. An. 1724. inter Epiſt. R. Pontip. P. conſtant. p. 1186. & ſeq.* (c) *1. Cor. 12.*

SS. Proſpero, & Hilario, quos Cæleſtinus laudaverat, contumelioſe loqui, dum ait, *ſi ita res (a) eſt, ut iſti criminantur*. Etenim *criminari a crimine, quod in judicio verſatur*, dictum fuit; unde criminatio eſt delicti proprie ſumpti, ſive criminis accuſatio, Tullio, aliiſque indicantibus. Quare tametſi extra judicium criminari aliquo modo minus proprio denotat, contumelioſe reprehendere: nihilominus cum ad aliquem judicem crimen defertur: tum criminari non eſt contumelioſe reprehendere, ſed proprie idem eſt atque accuſare. Atqui Vincentius agit de aliquot Presbyteris, & de quibusdam Epiſcopis Gallis; quorum priores de allati erroris crimine, ac poſteriores de negligentia, qua errantes illos Presbyteros non reprehendebant, Proſper, & Hilarius apud Cæleſtinum ſupremum controverſiarum Fidei judicem accuſarunt; qui ſummus Pontifex etiam edixit, quod illorum error, & culpa iſtis *tacentibus juſtius* imputabatur. Ergo ex Vincentio *criminari* proprie eſt accuſare; quippe quia ea criminatio *juſta* erat illius erroris accuſatio: ac proinde contumelioſa reprehenſio non fuit.

Deſinat quoque Dallæus dicere, quod Vincentius innuat, ea, quæ Proſper, & Hilarius de Maſſilienſium novitatibus apud Cæleſtinum accuſabant, falſa fuiſſe. Falſum eſt hoc Dallæi judicium. Nam Lirinenſis primitus ait, quod *Cæleſtinus in Epiſtola*, quam *Gallorum ſacerdotibus miſit, arguat eorum conniventiam*, qui *antiquam Fidem* ſilentio *deſtituerent*, & *prophanas novitates exurgere paterentur*. Hæc S. Proſper, & Hilarius ad Cæleſtinum detulerunt: hæc Cæleſtinus ipſe teſtatus eſt: hæc ergo vera, non falſa eſſe Vincentius firmavit.

Deſinant alii obtendere, Cæleſtini Epiſtolam a Lirinenſi interpolatam fuiſſe, dum voluit, Cæleſtinum juſſiſſe, ut illi Presbyteri ab Epiſcopis, qui Galliarum *urbes*, & *provincias* illi *novitati conſentire noxia diſſimulatione faciebant, corriperentur*: Quæ omnia Vincentii, non Cæleſtini ſunt dicta.

Sed hanc argutationem cenſores dimittant. Etenim eorum aliqua in Cæleſtini Epiſtola continentur, ubi is ait, *corripiantur hujuſmodi*: quædam vero Vincentii ſunt interpretationes, qui ex *Eccleſiarum diſſenſione* quam ſummus ille Pontifex diudicaverat, & in eadem Epiſtola ſcripſerat, bene collegit, aliquot Galliarum Urbes, & Provincias noxiis ipſis novitatibus conſenſiſſe: neque enim unius Eccleſiæ, ſed *Eccleſiarum*, quæ nonnullas Galliarum Civitates, & Provincias comprehendebant, *diſſenſionem* Cæleſtinus coarguit.

Rurſus quidem obiciunt, quod iſta, *ſi ita res eſt*, Vincentius in Semipelagianorum ſenſa detorquet, & hæc *antiquitati*, quam ſubjungit, conſona vult; ac S. Auguſtini doctrinam novitatis ſubdole arguit.

Verum iſtæ objectiones in obſcuritate latentes facile diluuntur. Nam primum Vincentius ea, *ſi ita res eſt*, retulit ad Cæleſtini Pontificis ver-

(a) *Lege Ciceronis Orationem pro Cæl.*

verba; qui de *Presbyteris neſcio quibus*, ac de eorum Epiſcoporum ſilentio locutus, in illa ſua Epiſtola dixit, *ſi ita res ſunt*: quia ſcilicet iidem *Præsbyteri neſcio qui* ſatis noti non erant; & illud ſilentium ſatis probatum non fuerat: ergo non aliter, quam ſecundum Cæleſtinum iſta, *ſi ita res eſt*, pronunciavit Vincentius; quippe qui eadem verba *Urbibus*, & *Provinciis*, quarum illi aut Præsbyteri, aut Præſules erant; manifeſte alligaverit. Non igitur illud, *ſi ita res eſt*, in Semipelagianorum ſenſa detorſit, ſed ad Cæleſtini pronunciatum omnino direxit: cui reliqua Vincentii dicta de antiquitate, quam Auguſtinus ſecutus eſt, & de prophanis Semipelagianorum novitatibus, cohærent, & congruunt

Hoc ut probem: ex ſuperioribus adverto, aliquos Maſſilienſes *Præsbyteros* eo Semipelagianos eſſe vocatos, quia partim alterum Pelagii errorem, quo is originale peccatum inficiabatur, depulerunt, partim verò alterum ejuſdem errorem, quo ipſe ſupernam Dei Gratiam ad Fidei actum ab Ethnico ſe convertente eliciendum neceſſariam eſſe negabat complexi ſunt, ideoque eandem Dei gratiam ad Fidei & ſalutis initium neceſſariam, errore ſunt inficiati.

Cum igitur Pelagius ſupernam Dei gratiam ad ſingulos bonos actus etiam Fidei neceſſariam eſſe negaverit Hæreſi: cum hanc S. Auguſtinus poſterioribus ſuis libris adverſus eumdem *prophanum* hominem ſcriptis exagitarit: cumque ob eam hæreſim Pelagium a *catholica Eccleſia* & ab *antiquitatis conſenſione* ſejunctum pronunciarit Vincentius: tum is hac implicita ratione firmavit, S. Auguſtini doctrinam, quam hic contra illum errorem adhibuerat, nulla novitate ſcatere, ſed antiquitati *Eccleſiaſticæ* omnino conſonam eſſe. Et quoniam Semipelagiani a Pelagio eumdem novum errorem ceperunt: ideo hunc non antiquitati, ſed *novitati* Lirinenſis attribuit, qui tandem Cæleſtini litteris prorſus correſpondens aſſeruit, a *Cæleſtino argui Gallorum ſacerdotum conniventiam, quod antiquam Fidem ſilentio deſtituerent*, & *prophanas novitates exurgere paterentur*: Cui antecedenti illud Vincentii conſequens omnino cohæret, in quo ait, *Cæleſtinum ſtatuiſſe, ut deſineret inceſſere novitas vetuſtatem*. Atqui in antecedente ullas *novitates* S. Auguſtino attribuendas eſſe Vincentius nec cogitavit, nec ſcripſit: quia eædem *prophanæ novitates*, quas *exurgere Gallorum ſacerdotes ſilentio patiebantur*, quaſque *Cæleſtinus* coarguebat, aliæ non fuerunt, niſi Semipelagianorum errationes; quippe quæ ſolæ tunc in Galliis *exurgebant*. Non ergo S. Auguſtini documenta, ſed ſolas eas *prophanas* Semipelagianorum errationes *novitatis* Vincentius arguit in conſequente, quod ex antecedente illo elicitum eſt, cum eoque connexum. Itaque Cæleſtino, & Vincentio certo certius eſt, & conſtitutum, Semipelagianos *antiquitati* non conſenſiſſe, ſed ſuis illis *prophanis novitatibus antiquæ Fidei repugnaſſe*; quam tamen S. Auguſtinus etiam (a) adverſus Pelagianos defendit

(a) S. Aug. in Epiſt. ad Sixtum pag. 93 Tom. primo Noviſſ. Rom. edit.

dit in Epiſtola ad Sixtum; ubi *Fidem gratuitum donum Dei eſſe*, contra illos probavit. Nunquam ergo Vincentius hanc S. Auguſtini doctrinam improbavit. Nunquam Semipelagianorum opinationes, quas *prophanæ novitatis* accuſat antiquitati reſpondere innuit: nunquam denique iiſdem Novatoribus favit.

Demum Cenſores contendunt Vincentium de SS. Auguſtino, Proſpero, (*a*) & Hilario iſthæc dicere: „ Mi-
„ ro modo incautos homines hære-
„ tici decipere conſueverunt: au-
„ dent enim polliceri, & dicere,
„ quod in Eccleſia, ideſt, in com-
„ munionis ſuæ Conventiculo ma-
„ gna, ac ſpecialis, ac plane perſo-
„ nalis quædam ſit gratia Dei, adeo
„ ut ſine ullo labore, ſine ullo ſtu-
„ dio, ſine ulla induſtria, etiamſi
„ nec petant, nec quærant, nec po-
„ ſtulent, quicumque illi ad nume-
„ rum ſuum pertinent; tamen ita
„ divinitus diſpenſantur, ut Ange-
„ licis evecti manibus, ideſt Ange-
„ lica protectione ſervati, nunquam
„ poſſint offendere ad lapidem pe-
„ dem ſuum, ideſt nunquam ſcan-
„ dalizari.

At, ne incognita pro cognitis habeamus, vitandum: nimirum cognoſcere debemus, qualia ſint iſta connexa, in quibus ſupernam gratiam ad ſingulos credendi, petendi, quærendi actus neceſſariam, quæ gratis a Deo datur, Vincentius non negat: quoniam ejuſdem gratiæ neceſſitatem ante defendit. Hoc igitur poſteriori in loco non Auguſtinum, non Proſperum, non Hilarium, ſed Prædeſtinatianos *Hæreticos* vocabat: quorum prius de illis ſanctis conſtat, qui quidem docuerunt, ſupernam Dei gratiam facere, ut credamus, ut petamus, ut quæramus, ut laboremus: ſed nullibi id, quod Lirinenſis arguit, *dixerunt*, quibuſdam hanc *ſpecialem dari gratiam, ut ſine ullo labore, ſtudio, & induſtria*, quamquam *non petunt*, non quærunt, nec poſtulant, tamen *Angelicis evecti manibus nunquam poſſint offendere* ad *lapidem pedem ſuum*; quæ omnia ſic connexa Dei *gratiam* commendant: ſed tamen hominum orationes, laborem, & ſtudium, quibus eidem Gratiæ, qua adiuvantur correſpondeant, prorſus excludunt: quæ nunquam SS. Auguſtinus, Proſper, & Hilarius excluſerunt: de quibus Sanctis proinde ea Vincentius non dicit, ac ſic de Predeſtinatianis *hæreticis* is loquitur, atque diſceptat; qui Hæretici ejus tempore, ut Proſperi (*b*) Chronicon narrat, oborti, errore aſſerebant, *laborem Humanæ obedientiæ Divinæ gratiæ* non eſſe adiungendum: cui hæreſi addebant, *quod Deus* perſonas hominum (*c*) accipiat: quibus erroribus illos affectos fuiſſe, Fauſtus Reienſis, & Gennadius teſtantur: iis ergo erroribus Prædeſtinatiani pertendebant, a *Deo perſonas hominum accipi* atque a Deo *gratiam perſonalem* ſibi tribui & huic *adiungendam non eſſe* laborem: ſine quo, *etiamſi nec peterent*, nec *quærerent*,

(a) *Vincent. Lirinen. in Comm. cap.* 3 ...

(b) *Proſp. Chron. ad Ann.* Honorii XXIII. *ſive* 415.

(c) *Fauſ. Reien. in Epiſt. Ad luci. Genn. Apud Natal. Alex.* Tom. 9. & 10.

rert, *nunquam poterant*, ad *lapidem offendere pedem ſuum*: quæ proinde Vincrntius non Auguſtino, nec Froſpero, nec Hilario, qui contraria docuerunt, ſed predeſtinatianis Hæreticis, quorum illa erant errata, haud obſcure imputavit. Dehinc S. Proſper non Lirinenſes, ſed *Vincentianas* (*a*) dumtaxar *obiectiónes* appellavit; ac ſic eas non Vincentii *Lirinenſis*, cui ſolum *Commonitorium* Gennadius adſcribir, proles eſſe voluit. Iſtæ igitur obiectiones videntur illius Prasbyreri opera, quem idem (*b*) Gennadius ſolo Vincenrii nomine notat. Hic autem Vincentius edito aliquo in Pſalmos commentario, ipſi Gennadio (*c*) promiſir, *ſe in toto Pſalterio laboraturum*. Cum ergo iſte Vinceutius alia opera adpromiſiſſet, & anno 439, (*d*) quo S. Proſper vivebat, Rhegienſi Concilio interfuiſſet: cumque Gennadii Maſſilienſis, & Semipelagiani amicus eſſet: ſane Vinceutianarum objectionum, quæ Liriuenſis nomen non præferunt, auctor putatur. Non igirur, ut Dallæus perperam arguir, a Lirinenſi Vincentianæ objectiones propterea edira ſunr, quod & ejus eſſe Vincentii nomen clamet; & Gennadius ipſum, atque Ruffinum Pellagianorum Patronum commendet: quæ argumenta ex eodem Gennadio (*e*) refelluntur. Nam ſicut iſte air, quod „ Vincentius narione „ Gallus, apud Monaſterium in Li„ rinrnſi Inſula Præsbyter: compo„ ſuit Commonitorium:„ Ita S. Proſper, ſi illæ obiectiones hujus Vincentii proles erant, eis *Lirinenſis* nomen appoſuiſſet: quod cum minime addiderit: ſequitur, ur ſola *Vincentianarum* vox non clamitet, illas Lirinenſis eſſe obiectiones: quæ proinde opera ſunt alterius Præshyteri, (*f*) quem ſolo *Vincentii* nomine Gennadius collaudat. Is vero Lirinenſem *virum* in *ſcripturis ſanctis doctum*, & *notitia Ecclesiaſticorum dogmatum ſufficienter inſtructum* appellat: quæ laus non excedens, ſed ſufficiens eſt. Sed ramen Gennadius excedendo vocar Ruffinum non *minimam partem doctorum Eccleſia*, & falſe collocat in horum doctorum, numero illum ipſum Novatorem, quippe qui Pelagium, & Pelagianos, (*g*) quos Dallæus hic profert, erroribus imbnerit, atqne deceperit, teſte Matio Mercarore. Atqui Vincentius Lirinenſis *Pelagium prophanum* appellat, ejuſque errorem, quo Semipelagiani ducti fuere, coargnit: ideoque Prlagio, ac Semipelagianis non favit, neque illarum obiectionum, quæ illo errore, aliiſque blaſphemiis ſcatent extitit auctor.

Ac Gennadius quidem plura, quæ Dallæus narrar, falſo criminarur de S. Hieronymo, & S. Auguſtino; quorum poſterior ex antiquorum Patrum auctoritate Pelagianos, & Semipelagianos, quibus Genna-

---

(a) *Genn. in Catal. Vir. ill. Cap.* 64.
(b) *Genn. in Catal. Vir. ill. cap.* 84.
(c) *Genn. ib. Cap.* 84.
(d) *Nota. Vide in Vincentianas obiectiones admonitionem quam nuperus S. Proſperi operum editor fecit.*
(e) *Genn. ib. Cap.* 64. (f) *Ib.*
(g) *Marius Merc. in Præfat. ſubnot. ſub Nomine Juliani.*

nadius ſuffragabatur, ita refellit, ut non nullos Patres ab iſtis Nebulonibus falſe advocari monſtravit. Certe ſi aliquorum contextus veterum, qui ante Pelagium ſcripſerunt, bene perſpiciantur: jam quiſque videbit, ipſos non incaute, ut Dallæus blaterat, ſed recte de ſuperna Dei gratia, ac de peccato Originali locutos fuiſſe; ac ſic Pelagianos illorum vocibus abuſos eſſe: contra quos pleraque conſentientia antiquiorum Sanctorum teſtimonia attulit Auguſtinus: cui Lirinenſis cohærens, & conſonam ejus doctrinæ legem condidit, & Patrum judicia magni fecit, ita ut *propbanum* Pelagium, a quo errorum partem Semipelagiani ſumpſerunt, *antiquitatis conſenſioni* repugnare monſtraret. Standum itaque & judicio S. Auguſtini adverſus illos Hæreticos differentis, & conſonanti Lirinenſis inſtituto; quæ Cenſor miretur, & in probandis Fidei dogmatibus amplectatur, ac falſa de Lirinenſi non ſentiat.

§ VI.

Varia Dallæi Objecta refutantur.

VEtus ſententia eſt plurium veterum antea adductorum conſenſu firmata, pleroſque Patres ea mente ſcripſiſſe, ut vel Infideles, vel Hæreticos refutarent, utque Eccleſiæ Apoſtolicæ dogmata traderent. Quocirca non tantum meditationes ſuas, verum etiam illa, quæ Eccleſia Catholica, & major Chriſtianorum orthodoxorum pars de iiſdem dogmatibus docuit, nobiſcum communicarunt, atque adornarunt communem plerorumque veterum legem; cujus auctoritate Sanctus Auguſtinus communitus, ea, *quæ multi ſancti prædicarunt, & crediderunt, ſic credidit*, ut (a) Juliano Pelagiano iſta, quæ in ſuperioribus adlegavimus diceret: *Nunc primum adſpicis, hoc didiciſſe, & docuiſſe tot Sanctos: muta jam iſtam mentem, & obliviſcere hujus erroris*. Mutet ergo Dallæus (b) mentem, & hujus obliviſcatur *erroris*, quo deceptus affirmat, plerorumque Patrum mentem fuiſſe, ut tantum de variis Religionis partibus meditationes ſuas nobiſcum communicarent ea lege, ut liberum eſſet, eas vel admittere, vel repudiare: repudiavit autem eas *errore* Dallæus. Quæ enim *tot ſancti crediderunt*, & *communiori conſenſu docuerunt*: eadem, uti Auguſtinus præmonuit, & *regulæ Catholicæ*, & ipſorum Teſtium auctoritate nituntur; quippe quia iidem Patres dogmata, quæ apud majorem Chriſtianorum orthodoxorum partem, & *apud Eccleſiæ fidem cuſtodita fuerunt*, certo atteſtantur: quæ dogmata cum ad *Fidem*, atque adeo ad præſtantiſſimæ Religionis *catholicæ Regulam dirigantur*: ab hac *Regula* Dallæus maxime aberrat, dum ſibi liberum eſſe contendit, eas Religionis Catholicæ partes dogmaticas, quas plerique veteres meditando, ac docendo adlegarunt, vel admittere, vel repudiare: quem magnum cenſoris errorem idem Sanctus Auguſtinus ſupra commendatus funditus abſtulit, cum de ſcriptis

(a) *Vide diſſert. VI. Pag. 158.* (b) *Dallæus lib. 2. De Uſu Patrum Cap. 3. & ſequen.*

pleroruimque, ſive *plurium ſanctorum* teſtificationibus affirmavit, & dixit, quod *credunt, credo: Credenda* igitur & omnino ſine dubio admittenda, nulloque modo repudianda ſunt, quæ plerique Patres conſentientes de Religione catholica *docent, ac prædicant: quæ Sanctorum Patrum Regula Catholica, quam ſupra explicavimus*, S. Auguſtinus Juliano Hæretico, atque adeo Dallæo nullum contradicendi commodum dedit, ſed hoc ita expugnavit, ut illum, & iſtum ad *mutandam mentem*, & ad deponendum *errorem* adhortaretur.

Nec vero, ut Dallæus obiicit, probabile (*a*) ſed falſum eſt, a pleriſque ſanctis Patribus libros, quos contra vel Infideles, vel Hæreticos ſcripſere, raptim compoſitos eſſe. Et iſtos auctores in iis operibus ſi recognoſcere licuiſſet, multa emendatiores fuiſſe: quam falſam Dallæi opinionem (*b*) antea ex Auguſtino repulimus, qui affirmavit, *multos ſanctos Patres debellatis ſuorum temporum erroribus glorioſiſſime exiiſſe de ſæculo*; ideoque in confutandarum hæreſum ſtudio operam, curamque conſumpſiſſe; ac proinde hujuſmodi ipſorum ſcripta non corrigenda, ſed celebranda eſſe: præſertim cum iſtis *plures* Patres communius multos *ſuorum temporum* errores coarguerint, atque expugnarint. Non igitur ea multa volumina, ſed alia quidam veteres raptim compegerunt, quæ tamen emendanda minime ſignificarunt; ad quod probandum Sancti Hieronymi auctoritas adiuvat: qui uti prius narravimus, græcos Origenis Periarchon libros erroribus magnis ſcatentes ab Hæreticis non fuiſſe violatos, illiuſque Apologiam non a Pamphilo Martyre, ſed ab Euſebio Cæſarienſi compoſitam eſſe, ita Pamachio, & Oceano ſcripſit:
„ Ipſe Origenes in Epiſtola, (*c*)
„ quam ſcribit ad Fabium Romanæ
„ urbis Epiſcopum, pœnitentiam a-
„ git, cur talia ſcripſerit, & cau-
„ ſas temeritatis in Ambroſium re-
„ fert, quod ſecreto edita in pu-
„ blicum protulerit.... Ecce vos
„ emendatis in Origenis libris, quod
„ ille non ſcripſit; Si edat aliquis
„ librum, quem ille non edidit;
„ Vos in edito opere poteſtis corri-
„ gui.... unum nunc proferam,
„ cui contradicere vel ſtulti ſit,
„ vel impudentis. Sexti libri Euſe-
„ bii ſuper Origenis defenſione
„ principium uſque ad mille ferme
„ verſus liber iſte, qui Pamphili
„ dicitur, continet.... Hæc Fratres
„ chariſſimi, ad Epiſtolam veſtram
„ celeri ſermone dictavi.

Ecce Origenes ea principiorum ſcripta, quæ hæreſibus non carebant, quæque ſecreto edita ab ipſo fuerant, retractavit. Non ergo homilias in Ezechielem, quas ex tempore publicè in Eccleſia recitarat, nec libros contra Celſum ſenſim conſcriptos, neque alias homilias paulatim exaratas, retractandas, & corrigendas

(a) *Nota. Dallæus ibidem iſtud probabile eſſe falſo aſſeverat, & alia plurima, quæ hic refelluntur, adiungit, cujus prolixa verba omiſi, ut brevitati conſulerem.*

(b) *Vide Obſervationes diſſert. VI. Pag. 188.*

(c) *S. Hier. Epiſt. 84. num. 10. cit. in diſſ. 1. pag. 24.*

das putavit. Ac Sanctus Hieronymus quidem aperte refert, Origenem *pœnitentiam egiſſe, quod ea talia maxima erata ſecreto ſcripſerit:* ſed (a) tamen id de illis homiliis in Eccleſia ab Origene pronunciatis minime affirmat: ex quibus proinde Dallæus falſo infert, probabile eſſe, quædam, quæ raptim, aut ex tempore dixerant, emendaturos fuiſſe, ſi ea recognoſcere licuiſſet: quod non probabile, ſed falſum eſſe, ex Hieronymo ipſo probatur; qui diligenter recognovit, illa quidem, quæ Origenes *ſecreto* protulerat, retractata ab eo fuiſſe; ſed tamen hoc numero alia, quæ publicè, vel perorarat, vel ediderat, comprehenſa non eſſe: quippe quæ in illis operibus ſecreto editis non contineantur. Iſta ergo vel ex tempore palam pronunciata, vel ſenſim conſcripta & in lucem edita, corrigenda eſſe, Dallæus falſiſſime putat. Quin etiam Hieronymus eos coarguit, qui illos Periarchon libros ſecreto ab Origene dictatos *emendare* ſtudebant: quippe quia in iſtis errores contineri Origenes ipſe confeſſus erat, eorumque ipſum pœnituerat: multo magis igitur alia Origenis opera emendanda eſſe Hieronymus noluit: quoniam voluminum, aut quarumdam diſputationum aliter inſtitutarum, in quibus ſcilicet errores, & hæreſes neutiquam continentur, Origenes ſe pœnituiſſe non dixit.

Prætereo ſancti Joannis Chryſoſtomi, Sancti Auguſtini, aliorumque ſermones; quos hic Dallæus confusè miſcet, & ex tempore elaboratos perperam vult, ac temere dubitat: quia neque Chryſoſtomus, neque Hieronymus, neque Auguſtinus, nec Poſſidius, nec cæteri Eccleſiaſtici illud Dallæi commentum vel leviter attigerunt. Quin etiam Photius oppoſitum de Sancto Joanne Chryſoſtomo ſignificavit verbis illis antea relatis: (b) Legimus *Chry-*
„ *ſoſtomi* in Geneſim homilias unam,
„ & ſexaginta in tria diſtributa vo-
„ lumina. Concionatus eſt deinceps de
„ S.Cruce: hinc de proditione Judæ,
„ atque ita ordine, prout Feſti
„ dies, ſive argumenta inciderunt,
„ homiliæ quoque aptatæ ſunt....
„ quemadmodum ipſe octavam ſu-
„ pra vigeſimam, quæ ſequitur in
„ Geneſim orationem auſpicatus o-
„ ſtendit.... Cum non quotidie
„ unam, ſed quinto tantùm, aut
„ ſeptimo die, & aliquando rarius
„ etiam eas recitavit; & quidem
„ ut ipſemet tradit, illas a ſe ha-
„ bitas homilias ſermone XXVIII.
„ meminit.... dictio hic illius de
„ more perſpicua, & pura ſplendi-
„ da inſuper, ac fluens apparet;
„ multam interim cum ſenſuum
„ varietatem, tum gratiſſimam ex-
„ emplorum copiam exibens.„ Non igitur ſubito, ſed pedetentim, & aliquando *rarius* ut homilias, ſic ſermones Chryſoſtomus compoſuit, & habuit; utpote qui iſtorum ſermonum in uno homilias commendarit. At ſi concedamus, ſermones aliquos a Chryſoſtomo quampiam ob

(a) *S. Hieronymus Prologo in quaſdam Origenis Homilias, quas e græco in latinum tranſtulit.*

(b) *Vide Diſſer. V. pag.* 40.

ob cauſam ſtatim prolatos fuiſſe: ex hoc minime ſequitur, ut ab iſto illi mature elaborati non fuerint: quia non Dallæus impudens, ſed criticus Photius obſervavit, quod in ipſis Chryſoſtomi *homiliis*, atque *ſermonibus dictio perſpicua, & pura*, atque adeo mature elaborata: *ſimulque ſenſuum varietas*, ac *gratiſſima exemplorum copia, ac ſic bene digeſta appareant, & exhibeantur.* Atque etiam S. Auguſtinus tantos graves progreſſus in ſermonibus habuit ut iſtis verbum Dei *inſtantius*, ſive *enixius*, & ita accurate, ac *ſuaviter* (a) concelebravit, referente Poſſidio. Poſſidius igitur; & maxime Photius qui Chryſoſtomi, Auguſtini, aliorumque Patrum conciones legerunt, adverſus Dallæum teſtantur, earum argumenta, dictiones, atque ſententias non immaturas, ſed concinnas, *puras, ſuaves*, & gratiſſimas eſſe.

Redeo ad S. Hieronymum; qui quidem Epiſtolam illam ad Pammachium, & alteram miſſam ad Fabiolam *celeri ſermone dictavit:* ſed tamen omnia earum, aliarumque argumenta ita exacte compoſuit, ut in ipſis ſit quædam admirabilis rerum ſeries, quæ colligatæ cernuntur & aptæ. Sic in priori Epiſtola allata accurate demonſtrat, in libris Principiorum Origenis errores, quorum iſtum *pæ-nituit*, ineſſe, ac ſic eos ipſos ab Hæreticis violatos non eſſe, atque a Ruffino perperam *emendatos* fuiſſe; ac demum Apologiam pro Origene martyri Pamphilo ſuppoſitam eſſe, quam ſuppoſitionem Sanctus Doctor firmiſſimis illis documentis probavit, quibus ait, *unum nunc proferam, cui contradicere vel ſtulti ſit, vel impudentis; ſexti libri Euſebii ſuper Origenis defenſione principium uſque ad mille ferme verſus liber iſte, qui Pamphili dicitur, continet:* quorum verborum deſcriptus ordo, ac *celeri quidem ſermone*, ſed firma, & matura argumentatione concluſus, oſtendit, rerum intelligentias non tempore, ſed animo, & mente accuratius concipi, qua Sanctus Doctor uti illas litteras *celeri ſermone dictatas*, ſic Epiſtolam longam Fabiolæ de *ſtationibus*, & *manſionibus*, quas Hebræi ex Egypto exeuntes habuerunt, *raptim*, & optime ſcripſit, ita ut hæc Epiſtola non emendanda ſicuti Dallæus fingit ſed laudanda ſit, & commemoranda. Nam in iſta illarum manſionum brevem condens hiſtoriam, & ea quæ ad bella ab Iſraelitis inibi confecta pertinent, complectens, etiam myſticè exponit eaſdem manſiones ex Hebraicorum nominum ſignificatione. Cum itaque Hebraicæ linguæ, & Eccleſiaſticæ Doctrinæ ſubſidia Hieronymus ſibi ab adoleſcentia comparaſſet. Certe brevi tempore potuit poſtea ad enucleanda earum Manſionum myſteria linguam Hebraicam, ingenium, & operam accuratius conferre: quæ ratio cò firmatur, quod deinde Sanctus Doctor ſuas Epiſtolas, libros & ſcripta ſua omnia recenſuit, approbavit, atque adeo recognovit. Ergo Dallæus fruſtra contendit, Hieronymum aliqua, (b) quæ *raptim* dictavit, emendaturum fuiſſe, ſi illa recognoſcere ei licuiſſet. Quod falſiſſimum eſſe ex

(a) *Poſſ. Cit. T. V. Pag. 1.*

(b) *S. Hier. in fine libri de viris illuſtribus.*

ex eo aperte conſtat, quia & allatæ Epiſtolæ firmiſſimas rationes, atque aptiſſimas ſacræ ſcripturæ explicationes, quibus litteralem, ac myſticum eius ſenſum Sanctus Doctor aperuit, continent; quæ proinde cum perfecte omnino ſint; nulla indigent correctione. Et quoniam illas Epiſtolas Sanctus Doctor ex ſe rurſus agnovit; ideo ipſas & ratas habuit, & accuratas eſſe denotavit.

Qua in cauſa nuperus cenſor iterum confutatur, ut nos didiciſſe gaudeamus, quod ipſe Hieronymus(a) præfatione in ſecundum commentarium in Epiſtolam ad Epheſios teſtatur, *ſe in ſcribendo interdum per ſingulos dies uſque ad numerum mille verſuum pervenire*. Hæc Hieronymus narrat: hæc Dallæus ipſe refert: hæc denique iſtum refellunt, qui Hebraicorum Proverbiorum, Eccleſiaſtæ, & Canticorum Salomonis latinam interpretationem, quam Sanctus Hieronymus (*b*) fecerat, ac tridui opus vocarat, perperam carpit. Nam Sanctus Doctor Hebraicam linguam, atque ſcripturam longo uſu cognitam habens, & in ſcribendo *per ſingulos dies interdum ad numerum mille verſuum perveniens*; Hac exercitatione, facilique celeritate, ſimulque *Tridui* ſpatio trium illorum Sacrorum voluminum Hebraicorum, quæ fermè tria verſuum millia continent, verſionem illam apte confecit.

Hinc idem Hieronymus ſuam latinam omnium veteris Teſtamenti Hebraici (*c*) librorum interpretationem defendit, Ruffino ita locutus: „ Reſpondeas, quomodo eorum Præ„ fationes librorum neſcias? Quid „ nocet Eccleſiis noſtra translatio: „ ex quibus omnibus adprobatur, „ & ſeptuaginta interpretum editio„ nem, quæ legentium vetuſtate firma„ ta eſt, utilem eſſe Eccleſiis, & cæ„ teros interpretes non roprobandos.„

Atque etiam Sanctus Auguſtinus, (*d*) cujus integrum textum ſupra retulimus, de eadem Sancti Hieronymi translatione loquens, teſtatus eſt, quod „ ejus tam litteratum labo„ rem Judæi fateantur eſſe veracem.„ Demum Sanctus Gregorius Magnus, (*e*) Sancti Hieronymi verſione propterea uſus eſt, quia ait „ hæc no„ ſtra translatio ex Hebræo nobis, a„ rabicoque eloquio cuncta verius „ transfudiſſe perhibetur: credendum „ eſt, quicquid in ea dicitur:„

Hæc Patrum documenta totam latinam veteris teſtamenti verſionem a Sancto Hieronymo adornatam, quæ Salomonis Proverbia, Eccleſiaſten, & Cantica Canticorum comprehendit, ita comprobant, ut nullam in iis, & reliquis veteris teſtamenti libris latine verſis difficultatem aut vocum, aut rerum ineſſe commonſtrent. Nam Sancti Auguſtini temporibus judæi, qui melius, quam Dallæus Hebraicam linguam callebant, faſſi ſunt. illum Hieronymi *litteratum laborem eſſe* veracem; atque adeo latinas ejuſdem verſionis voces omnes, quæ in divinis Salomonis, cæterorumque ſacrorum auctorum ſcripturis contineu-

(a) *S. Hier. Præfat. in Comment. Epiſt. ad Epheſ. T.* X. (b) *Hier. Præf. in Prov.*
(c) *S. Hier. in lib. cont. Ruf. citat. in diſſer.* 2.
(d) *S. Auguſt. lib.* 18. *de Civit. Dei cap.* 43. (e) *S. Greg. Mag. lib.* XX. *Moral. cap.* 23.

renter, & Hebræo textui, & rebus, quæ in iſto narrantur, omnino congruere. Eos igitur ſacros Salomonis libros prout a Sancto Hieronymo in latinum translatos, totamque ejus verſionem, quam Synodus Tridentina in canonem retulit, vocum, & rerum difficultatibus ſcatere, Dallæus errore contendit; quem errorem Sanctus Auguſtinus, & Hebræi ipſius ævo noti coarguunt, qui nullas vocum, ac rerum difficultates in ea Hieronymi translatione, quæ illa tria ſacra volumina comprehendebat, invenerunt, ut pote quam verſionem *veracem* eſſe faſſi fuerint. Ac proinde nuperus cenſor linguæ Hebraicæ veteris minus peritus in multam fallacem difficultatem delabitur; cujus tamen nihil habet S. Hieronymi verſio, antiquis Hebræis fatentibus, & S. Auguſtino teſtante. Quare tribus illis ſacris voluminibus accurate legendis, & intelligendis, uti eadem ab Hieronymo, atque a reliquis Patribus, & ab eruditis recentioribus orthodoxis explicantur, ſatis ſunt tres dies: quibus Sanctus Hieronymus Hebrææ linguæ peritus, & interpretis ſcientiam adeptus, ac vertendi uſu cum his coniuncto, illam verſionem facile, & accurate ita perfecit, ut ſuas eorum ſacrorum *librorum* ab ſe translatorum *præfationes* legendas monuerit, & alia ſubiunxerit, quæ Dallæo non ſatis cognita, & explorata fuere; cujus commenta Hieronymus ipſe delevit, dum contra Ruffinum ſignificavit; ſuam illorum trium, & aliorum ſacrorum voluminum *translationem* non fuiſſe laborem præcipitem, ſed accuratum, & ab Eccleſiis approbandum, inque hoc comprobationis ordine collocandum; nec in eo elucubrando opuſculo plus temporis ponendum & operæ. Nam Ruffinus eorum, & aliorum librorum translationem *accuſabat*: quam tamen neque *Eccleſiis nocere*, *nec reprobandam* eſſe, ipſe Hieronymus poſtea defendit. Videant ergo omnes falſa Dallæi obiecta, quibus ait „ tum „ Sanctum Hieronymum nec cogitaſ„ ſe, neque ſperaſſe, ut latina illo„ rum trium librorum, aliorumque „ translatio ab Eccleſia approbare„ tur: tum veriſimile haud eſſe, ip„ ſum in eo componendo opuſculo, „ quod tanti olim futurum prævide„ ret, non aliquanto plus temporis, „ & diligentiæ adhibiturum fuiſſe. (a) Quæ figmenta idem S. Doctor delevit, dum aperte ruitus eſt omnium veteris teſtamenti latine verſi *librorum Præfationes*; quotum unam tria illa Salomonis volumina ſpectantem Dallæus adducit, ut eorumdem trium librorum, & reliquorum translationem temerè carpat; cujus commenta Hieronymus ipſe arguit; qui eorum omnium librorum Præfationes unam illam comprehendentes defenſitans recognovit, tria illa Hebræa volumina celeri quidem, ſed accurato labore latine expreſſa, neque adeò in eo vertendi ſtudio plus curæ conſumendum fuiſſe; ideoque ipſorum, & cæterorum ſacrorum operum latinam translationem eo eſſe loco, in quo *ſeptuaginta interpretum verſio* collocatur. Hoc Hieronymus cogitavit, hoc voluit, hoc ſcripſit, ut & iſtorum

(a) *Dallæus ibidem cap. 3.*

rum *verſio*, & ſua omnis *Translatio reprobanda* non eſſet; cujus in partibus, quas Dallæus falſò accuſat, aut præcipitem transferendi modum, aut Hebræa verba minus exacte in latinum translata antiqui *Judæi* minime invenerunt; qui totam Hieronymi verſionem, ut pote *veracem* laudarunt. Hinc Divini Conſilii fontes Sanctus Gregorius Magnus, Pontifex ſummus, aperuit, dum palam edixit *credendum*, atque adeo ut Dei verbum, quicquid *in ea* verſione dicitur, & ad fidem, moreſque ſpectat, habendum eſſe, abiectis Dallæi commentationibus.

Jam verò Sanctus Hieronymus (*a*) in Epiſtola, quæ ab ipſo Dallæo adfertur, cujuſdam Mulieris Vercellenſis Hiſtoriam narravit *tanta facilitate, ut Notariorum manus* ejus lingua *præcurreret*. Non ergo præceps, ſed *facilis illa extemporalis* dictatio Sancto Hieronymo fuit etiamſi *Notariorum manus* ſua tarditate *ſermonem* obrueret. Qui ſermo tamen cum magna *facilitate* a Sancto Doctore productus fuerit; jam in illa Epiſtola ejuſdem Hiſtoriæ narratio non abrupte, ſed *facile* concepta, atque dictata videtur.

Quamquam autem Commentarios in Mathæum aliquantum excuſſet, quod temporis anguſtiis contractus eos dictaverit: nihilominus iiſdem anguſtiis S. Matthæi expoſitio concluſa non fuit: nam ſecundum Theologicum litteræ ſenſum Hieronymus S. Matthæi Evangelium clare, & diſtincte enarravit, partibus inter ſe conſentientibus: quem ordinem in commentario Epiſtolæ Pauli Apoſtoli ad Epheſios ſervavit, in quo declaravit, ſe hujuſmodi celeribus laboribus, ac ſtudiis aſſuetum fuiſſe. Non igitur Hieronymus in pleriſque operibus ſuis dogmaticis, ac polemicis, ſed in aliis laudatis parum quidem temporis, ſed non parum curæ adhibuit. Quandoquidem in illo *celeri* nonnullarum ejus Epiſtolarum *ſermone*, in illa *celeri* trium Hæbraicorum Salomonis voluminum verſione, & in S. Matthæi commentariis criticæ, & dogmaticæ rationes, legitimæ vocum, & ſenſuum expreſſiones acurataque Sacrarum ſcripturarum interpretationes elucent, monente Hieronymo, Eruditiſque fatentibus.

Quod autem tacente eodem Hieronymo pleraque antiquiorum Patrum volumina minus exacte ab iis compoſita fuerint: id ex S. Doctoris ſilentio Dallæus falſiſſime eruit. Nam Hieronymus de (*b*) *extemporalibus* illis non nullis Origenis Homiliis, quas tamen emendandas non eſſe probavimus, minime ſiluit; at verò id ipſum de pleriſque veterum libris, qui ab ipſo in catalogo Eccleſiaſticorum Scriptorum recenſentur, non protulit: ex quo proinde ſilentio fit, ut Patres in ſeri-

(a) *S. Hier. Epiſt.* 47.

(b) *Nota. Iſtæ aliquæ extemporales Origenis homiliæ a S. Hieronymo verſæ e Græco in latinum aptæ ab Origene compoſitæ fuerunt, ejus ex tempore pronunciatæ, uti ipſarum homiliarum argumenta, explicationes, & ſeries oſtendunt. Vide Prologum S. Hieronymi in earumdem translationem.*

ſcribendis ſuis multis libris, qui non uti illæ Origenis Homiliæ, extemporales ſunt, multam curam adhibuerint. Cum ergo id pateat: conſequens eſt, & de levioribus, ac gravioribus nævis, quos Patribus Cenſor affingit, & de eorum conſenſu, diſtinctius agi debere.

§ VII.

OBSERVATIONES

De Levioribus nævis, quos Patribus Dallæus appingit.

PRimum itaque Dallæus (*a*) Patachroniſmum S. Juſtino Martyri affingit, quod is ſcripſerit, Davidem mille, & quingentis annis antequam Chriſtus crucifigeretur, vixiſſe: quæ tamen annorum computatio nec ſacris Hiſtoriis, nec prophanis repugnat. Quamvis enim a Davidis ortu uſque ad Chriſti mortem veriſimiliter mille, & centum anni ducantur: nihilominus in his Anarchiæ, quædam captivitatum tempora, (*b*) ſex Genealogiæ ab Eſdra non relatæ, aliæque ſex a S. Matthæo omiſſæ minime comprehenduntur: quas (*c*) omnes proinde in computationem veriſimilem venire Juſtinus (*d*) optime cenſens, in Dallæi Patachroniſmos non incidit, ſed a Davidis ortu uſque ad Chriſti paſſionem mille, & quingentos annos utique lunares, quos Hebræi olim computabant, effluxiſſe bene conjecit,

Exinde S. Epiphanius contra ac Cenſor adnotat ſignificavit, Moyſem Anno ætatis ſuæ octogeſimo, cum ex Ægypto profectus eſſet, mare rubrum cum Iſraelitis ingreſſum fuiſſe: quod evincitur ex ipſius Epiphanii contextu; (*e*) qui de Annis peregrinationis Filiorum Iſrael iſta conſcribit: „ Deus (*f*) peregrinationis illius Annos bifariam partitus eſt. Quippe CCXV priores „ Annos ab illis in Chananæa compleri voluit: reliquos CCXV iis, „ qui in Ægypto habitabant, attribuit.... Quare a priore Abrahamo, ejuſque LXXV anno ad „ minorem Abrahamum ſumma „ colligitur annorum CCLXXX ex „ quo verò in Ægyptum pervenerunt, anni LXV Abrahamus LXX „ anno genuit Moyſen. Ita fiunt a „ priori Abrahamo anni CCCL „ ex quo verò Ægyptum ingreſſi „ ſunt anni CXXXV Moyſes anno „ λ trigeſimo ætatis ſuæ ex Ægypto profectus; mare rubrum pedibus ingreditur.

Hic a Petavio (*g*) optime animadvertitur, loco grecæ litteræ λ, quæ triginta deſignat, π, quæ littera denotat octoginta, ſubſtitui debere: quippe quia recentiores librarii

(a) *Dallæus lib. 2. de Uſu Patrum cap. 4.*
(b) *Eſdr. 1. Cap. 7.*
(c) *Vide Voſſ. Canonem Chronologicum.*
(d) *S. Juſt. Apol. 1. pag. 68.*
(e) S. *Epiph. in Anc. num. 112. Tom. 2.*
(f) *Monitum. Altera Dallæi argutatio de S. Epiphanio annos Moyſis numerante reſellitur; quod monitum velim de omnibus aliis ſequentibus reſponſis, quæ tanquam obſervationes contra Dallæum adornavi.*
(g) *Petavius ibidem in margine inferiori.*

rii ineruditi litteram π temporis longinquitate corroſam videntes, λ exſcripſerunt, non corrupto tamen S. Epiphanii contextu; in quo is prius ſcripſit, quod *Deus peregrinationis illius annos biſariam partitus eſt. Quippe CCXV priores annos ab illis in Chananæa compleri voluit: reliquos CCXV iis, qui in Ægypto habitabant, attribuit*. De quibus poſterioribus annis addidit, quod alter *Abrahamus LXX anno genuit Moyſen: ita ſiunt, ex quo in Ægyptum ingreſſi ſunt*, Anni CXXXV: quibus proinde non anni triginta, ſed octoginta, in quibus Moyſes ætatem agens mare rubrum pedibus ingreſſus eſt, adiungi debent, ut illa ſumma *annorum CCXV* peregrinationis Iſraelitarum in Ægypto conſtituatur ex Epiphanii ſententia. Non igitur is, ſed librarius in unius litteræ grecæ mutatione levius erravit.

Simili modo librarii alterum S. Epiphanii (a) locum, in quo iſte de Hieruſalem excidio egerat, non corruperunt quidem, ſed in alterum locum tranſtulerunt. Sic enim S. Epiphanius recenſuit Imperatores regnantes: „ Tiberius annos viginti „ tres: cujus anno decimo octavo „ Chriſtus crucifixus eſt. Cajus an„ nos tres, menſes novem, dies vi„ ginti novem. Claudius annos XII, „ menſes duos minus duobus die„ bus. Nero annos XIII, menſes „ *ſeptem*, dies viginti ſeptem. Gal„ ba menſes ſeptem, dies viginti „ ſex. Otho menſes tres, dies quin„ que. Vitellius menſes octodecim, „ dies duodecim. Veſpeſianus annos „ novem, menſes ſeptem, dies duo„ decim, Titus annos duos, men„ ſes duos, dies duos. Hoc tempo„ re ſubverſæ ſunt Jeroſolymæ, ſe„ xageſimo quinto anno, & aliquot „ diebus elapſis poſt Chriſti paſſio„ nem. Dom.itianus annos XV, & „ menſes quinque. Nerva annum „ unum, menſes quatuor. Trajanus „ annos decem, & novem. Adria„ nus annos XXI... Pal.ſtinam, quæ „ Judæa dicitur anno, poſtquam everſa „ fuerat, ſeptimo, & quadrageſimo „ peragrans Hieroſolymam cc eberri„ mam urbem, ac nobiliſſimam con„ tendit, quam Titus Veſpeſiani „ Filius ſecundo imperii ſui anno „ ſubverterat.„ Jam in hocce ultimo loco Epiphanius apertiſſime poſuit, *Judæam*, & *Hieroſolymam*, quam *Titus ſecundo Imperii ſui anno ſubverterat*, poſt paſſionem Domini *anno ſeptimo*, & quadrageſimo everſam fuiſſe; qui annus & ex decimo octavo Tiberii anno, aliiſque Imperatorum annis, exque *Titi ſecundo*, quos Epiphanius antea computarat, efficitur: & Euſebii Chronico in quo is excidil Hieroſolymitani Epocham deſignavit, aliquantum reſpondet, contra quam aliqui Recenriores cum aliis confligentes pertendunt. Cum itaque annus ille *ſeptimus, & quadrageſimus poſt* Chriſti *paſſionem Adriani* Imperatoris temporibus, quæ ſummam illam oppidò excedunt, minime congruat ſecundum priorem Epiphanii computum: cumque Adrianus anno ætatis ſuæ ferme ſexageſimo quinto *Judæam peragraſſe* quibuſdam eruditis videatur; id circo

Q an-

(a) *S. Epiph. in lib. de Pond. & Menſ. num. 15. T. 2.*

annus ille *ſeptimus*, & *quadrageſimus* priori Epiphanii textui, quo is a decimo octavo Tiberii anno ſecundum Titi annum, & excidii Hieroſolymitani *tempus* duxerat, competit: atque annus *ſexageſimus quintus* Adriano attribuendus eſt: in quibus locis ita ſecretis nulla S. Epiphanii erratio, nullaque ipſius textum depravatio, uti Dallæus comminiſcitur, ſed horum tantum tranſlatio, quam imperiti librarii fecerunt, apparet, ac cernitur.

Atenim Dallæus veritatem mendacio contaminavit, dum aliquos S. Joannis Chryſoſtomi (a) de ejuſdem Hieroſolymitani excidii tempore loquentis locos perperam attulit.

Primum enim Chryſoſtomus adverſus Gentiles, & Judæos ex eò, quod Chriſtus templi Hieroſolymitani everſionem prædixerat, ejus potentiam ſic demonſtravit: „ Cum ingreſſus aliquando eſſet in templum „ Judaicum tunc florens, auro fulgens, nec non pulchritudine, magnitudineque ædificiorum; aliaque „ quoque inſtructum omni artificii „ materiæque varietate, mirantibus „ diſcipulis quod dixit? (b) *Nonne* „ *videtis hæc omnia? Amen dico vobis: non manebit lapis ſuper lapidem:* ejus deſtructionem futuram „ declarans, deſolationem, vaſtitatem, ruinam, quæ nunc Hieroſolymis eſt... Quamvis autem „ jam olim deſtructum fuiſſet hoc „ templum; ab iis poſt annos ſeptuaginta reverſis, ſtatim excitatum „ eſt, & priore ſplendidius fuit; „ quod ſane Prophetæ dixerant, & „ antequam fieret prænunciarant. „ Nunc autem pluſquam quadringenteſimus annus eſt, & nulla ex- „ pectatio vel ſpes eſt, illud ultra „ inſtaurandum fore.

Deinde contra Judæos idem probans, ait: „ Cur, quæſo, huic uni „ prædictioni Fidem non adhibent? „ præſertim (c) cum ex ipſo tempore teſtimonium illius ſilentium „ imponat impudentiæ tuæ. Quod „ ſi poſt excidium urbis non tranſiſſent, niſi decem anni, aut viginti, aut triginta: aut quinquaginta: minime tamen decebat, „ vel tum impudenter obſiſtere, „ etiamſi aliqua fuiſſet reluctandi „ occaſio. Jam vero ſi non quinquaginta tantum, & centum, imo „ bis καὶ τρὶς ac ter centum annorum, multoque amplius præteriit „ poſt civitatem captam; nec interim ullum veſtigium, aut umbra „ apparet ejus, quam expectatis „ mutationis: cur fruſtra, nullaque „ de cauſa in impudentia perſeveras?

Denique Chryſoſtomus ex (d) Paulo Apoſtolo Judæum ita coarguit: „ Ad Gentilium inſtitutum te convertiſti ſub Antiocho impio: ſed „ tunc quoque cum per tres annos, „ & Paulo amplius Antiocho traditi „ fuiſſetis, per Machabæos ſplendida „ erexiſtis trophæa. At nunc nihil „ hujuſmodi; ſed contrarium prorſus evenit; id quod maxime admirandum eſt. Quæ enim ad mali-

(a) *S. Joa. Chryſ. in lib. quod Chriſtus ſit Deus Tom. 1. pag. 579.*

(b) *Math. 24. V. 2. 5.* (c) *S. Joan. Chryſ. hom. 11. cont. Jud. pag. 633. Tom. 1.*

(d) *S. Joan. Chryſ. Homil. 19. in Epiſt. ad Rom. pag. 64. Tom. 9.*

„ litiam, pertinent; ceſſarunt; quæ „ ad ſupplicium verò adducta ſunt: „ nec ulla ſpes eſt mutationis; ne- „ que enim ſeptuaginta modò anni „ præterierunt, neque centum, ne- „ que duplò amplius, ſed treceuti, „ & ultra.

Chryſoſtomus igitur Epochæ, quæ Hieruſalem deſolationem ſignificat, unum initium a *Chriſti prædictione*, alterum ab ea *capta Civitate* deſumpſit. Clara ſunt S. Doctoris allata teſtimonia, quorum priore Dallæus abutitur, dicens, quod Chryſoſtomus ab excidii Hieroſolymitani temporibus ad ſuam memoriam putet annos quadringentos. Atqui hos annos a tempore, quo Dominus *Templi deſtructionem futuram* ſæculi primi initiis *prænunciarat*, apertiſſime Chryſoſtomus, qui ſæculo quinto ineunte adhuc florebat, computavit: recte igitur a ſæculo primo ferme incipiente ad quinti ſæculi initia *pluſquam annum* quadringenteſimum effluxiſſe, Chryſoſtomus poſuit; quoniam Chriſti divinitatem oſtendens ab ejus prædictione futuræ cladis Hieroſolymitanæ Epocham duxit.

At Dallæus obiicit, quod Chryſoſtomus in altera homilia contra Judæos conſcripſerit, ſuo tempore annum quingenteſimum agi ab Hieroſolyma capta, & exciſa.

Quis minime perſpicit, hanc cenſoris oppoſitionem ex mendacio conſtare exque fallaciis? nam Chryſoſtomus a *capta* Jeroſolyma alterum illius Epochæ initium capiens, in ea homilia expreſſe ſcripſit, ab ejuſdem Urbis excidio ad ſua tempora non annos quadringentos, ſed *ter centum*, & *multo amplius annorum prateriiſſe*: in quo Sanctus Doctor *ter centum* illorum *annorum* definiit: ac *multo amplius* in iſta, & *ultra* in altera homilia poſuit & addidit; quæ particulæ cum non denotent ſæculum, quod definito centum annorum numero conficitur; tum profecto ad aliquot annos tribus illis ſæculis adiunctos referuntur; quatenus videlicet ab Hieroſolymæ excidio ad Chryſoſtomi tempus non quinque, nec quatuor; ſed tria ſæcula, annique aliqui effluxerint, docentibus duobus poſterioribus homiliis.

At Dallæus opponit aliam Chryſoſtomi homiliam in Pſalmum octavum: ubi is Sanctus Doctor ab Hieroſolymitana clade ad ſua tempora quadringentos annos putare videtur.

Ad hanc oppoſitionem diluendam afferam verba Chryſoſtomi; (a) qui in ea homilia Judæorum, qui in Chriſtum manus injecerant, peccatum maximum fuiſſe, & immedicabile vulnus, ita declarat: „ Poſtquam manus in Dominum injeciſtis, vobis deinceps evaſit vulnus „ immedicabile; & ideo quadringenti jam anni præterierunt, ex quo „ Civitatis vel ipſum ſolum periit; „ ſublatum eſt Sacerdotium Regnum „ abruptum, confuſæ tribus, præclara illa, & magnifica evanuerunt.

Ergo Chryſoſtomus illos quadringentos annos a Chriſti in terris degentis tempore, quo Judæorum *Regnum abruptum* fuerat, & ipſi in Dominum impias manus injecerant, duxit: ac proinde non a capta Hie-

Q a ro-

(a) *S. Joan. Chryſ. Hom. in Pſ. 8. Tom. V. Pag. 84.*

roſolyma eorundem annorum principia deſumpſit: quoniam prius, quam eadem Urbs excideretur, Hebræorum *Regnum*, quod S. Doctor continuò ſubiunxit, *abruptum fuit*. Poſt hæc igitur *abrupti regni* tempora Hieruſalem *ſolo* æquatam Chryſoſtomus voluit, & quoniam a primi ſeculi initiis, quibus ipſum Judæorum *regnum abrumpi* cæpit, ad quinti ſæculi primordia, quibus Chryſoſtomus ætatem agebat, anni quadrigenti effluxerunt: *ideo* S. Doctor a prioribus illis temporibus hoſce annos optime computavit.

Verum enimvero Dallæus omnia miſcens, falſo adducit ejuſdem S. Joannis Chryſoſtomi homiliam in caput IV, & verſum XIV, Epiſtolæ ſecundæ ad Corinthios Apoſtoli Pauli: in qua homilia, quæ XXV a Dallæo dicitur, & in veteri ac nova operum Chryſoſtomi editione IX eſt, legatur, a tempore, quo idem Paulus Apoſtolus vixit, annos præteriiſſe quingentos. (*a*) Atqui iſti anni neque in ea homilia IX, neque in homilia XXV leguntur. Ergo illa quingentorum annorum circumſcriptio a Dallæo conficta videtur.

Is etiam hujus fictionis ſuſpicionem eò auget, quia affert ſub Chryſoſtomi nomine fictam homiliam ſecundam in quinquageſimum Pſalmum: in qua dicatur, Ezechiam mille poſt Davidis mortem annis vixiſſe: (*b*) inter quos tamen anni 400 interceſſerant. Verum prætereo, quod ibi ea dicta de Davidis, & Ezechiæ annis minime appareant. Certe illa homilia ſecunda in Pſalmum quinquageſſimum S. Joanni Chryſoſtomo ſuppoſita eſt, & quia ab ejuſdem S. Doctoris ſtylo admodum differt: & quoniam quidam poſteriorum ſæculorum Græculus ipſam ex Theodoreti commentariis in eundem Pſalmum inepte compoſuit.

En Dallæus fictas homilias adducit, ut effingat, veterum omnium Chronologiam in genere involutam eſſe, & a temporum ratione alieniſſimam.

Alieniſſima verò iſthæc argumentatio eſt a veterum Chronologorum inſtitutis; quorum unus Euſebius in ſuis genuinis operibus certam temporum habuit rationem; cui adductus S. Epiphanii contextus aliquantum reſpondet, non obſtantibus penè innumerabilibus quorundam recentiorum commentis. Et verò S. Joannes Chryſoſtomus ſuis legitimis homiliis veras temporum rationes ſæpe, ac diſtinctæ confecit; quas proinde involutas eſſe, & a temporum ratione alieniſſimas, Dallæus perperam dicit, allatis etiam fictitiis homiliis, quæ ab Eruditis omnibus reprobantur.

Age & producamus illud S. Juſtini Martytis (*c*) teſtimonium, quod is de Ptolomæo Egypti Rege ſacros Prophetarum libros petente ſic protulit: „ Ptolomæus autem Rex Ægy„ ptiorum cum (*d*) Bibliothecam „ con-

(a) *Videſis Tomum X. Chryſoſtomi.*
(b) *Lege ſpuriam Homil. 2. in Pſal. 50. Tom. V.*
(c) *S. Juſti. Apol. 1. pag. 62.*

(d) *Nota. Hæc Verba ſic verti ex iſto Juſtini Græco contextu:* Βασιλευοντι Ηρωδι *qui Grabius, iſta legit:* Βασιλευοντι ἱερει: *regnanti ſacerdoti.*

„ conſtruere, ac omnium librorum „ ſcripta comportare conaretur: „ certior de his quoque vaticiniis „ factus, Herodem in Judæis tunc „ regnantem per Legatos rogavit, ut „ libros Prophetarum ad ſe mitte- „ ret. Rex quidem Herodes ea, quam „ diximus, Hebræorum lingua ſcri- „ ptos miſit.

Nunc a Dallæo ſciſcitor: cur (a) hic Herodes primum *Regnans*, poſtea Rex appelletur, ſi ille, ad quem Ptolomæus Legatos miſit, Rex erat? Nam quemadmodum Juſtinus Ptolomæum Egyptiorum Regem primitus dixit: ita ſi idem ille, ad eum Ptolomæus ſcripſerat, Rex eſſet: certe Judæorum Rex a S. Martyre primum nuncuparetur. Cum autem is non eum Regem, ſed *Regnantem* in ſuo ſcripto ante omnia poſuerit: profecto illum, quem Ptolomæus rogaverat, non Herodem Regem, ſed *regnantem* Sacerdotem fuiſſe ſignificavit: quam ſignificationem Philo Judæus, cui Juſtinus (b) propemodum ſuppar fuit, confirmat, dum narrat, ſummum Pontificem, ad quem Ptolomæus Legatos miſerat, tunc in Judæa regnaſſe.

Itaque recens S. Juſtini operum (c) Editor recte arbitratur, Herodis nomen ex alicujus codicis margine, in qua idem vocabulum ab imperito Amanuenſi poſitum fuerat, in S. Juſtini textum irrepſiſſe: qui Martyr in eo errore, quamvis levi, verſatus non eſt, ut putaret, a Ptolomæo Legatos ad ſummum Hebræorum Sacerdotem ducentis annis, antequam Herodes Judæorum Rex eſſet miſſos non fuiſſe. Quando quidem Juſtinus illum, quem *Ptolomæus rogaverat*, non Hebræorum Regem, ſed in *Judæis regnantem* primitus ſcripſit. Cumque aliqui ſummi Sacerdotes, qui Reges non erant, præcipue poſt Babylonicam captivitatem in Judæa aliquando regnaverint: ſane ex iſtis unum qui a nonnullis Eleazarus dicitur, Juſtinus ſecundum Philonis narrationem adſignificavit.

Tranſeamus ad Philoſophos Ethnicos; quorum errores S. Epiphanius (d) ſic refert: „ Apud Græcos Inachus florebat, cujus Jo „ filia, Athis alias dicta, Atticæ „ Regioni de ſuo nomen impoſuit. „ Ex eadem natus eſt Boſphorus, „ cui cognominis Urbs in Euxino „ mari poſita. Sed Egyptiis Iſin il- „ lam nuncupant, ac pro Dea ve- „ nerantur. Inachi porrò nomen „ etiam Fluvius quidam ſortitus „ eſt. Cæterum illinc Græcorum „ myſteria, religioneſque derivatæ, „ ſunt, quæ apud Ægyptios, Phry- „ ges, Phænices, & Babylonios ma- „ le ante hac excogitata per Cad- „ mum, & Inachum, qui prius „ Apis dictus Memphim Urbem con- „ didit. Ex Egypto tranſlata ſunt „ in Græciam: quin etiam ab Or- „ pheo, aliiſque nonnullis invecta, „ varias in Sectas coaluere poſtmo- „ dum,

(a) *Nota. Dallæus perperam aſſerit S. Juſtinum dicere quod Ptolomæus Legatos ad Herodem, non autem ad Pontificem Habreorum miſerit annis CC, antequam Herodes Rex eſſet.*

(b) *Philo lib. 2. de vita Moyſis.*

(c) *Ib. in Notiſ.*

(d) *S. Epiph. Hæreſ. 5. num. 1.*

„ dum: quarum Epicurus, Zeno
„ ſtoicus, Pythagoras, ac Plato du-
„ ces, atque inventores fuerunt.
„ Tum enim Plato florebat, ac,
„ qui Platonem ætate præceſſit Py-
„ thagoras, &, qui poſt eum vi-
„ xit, Epicurus ex illa, ut dixi,
„ occaſione Græcorum monimenta
„ propagata ſunt. Tum quæ ſecun-
„ dum illud tempus celebratæ fue-
„ runt Philoſophorum ſectæ: ex ta-
„ metſi ſecum invicem in eo con-
„ ſentiunt, quod errorem propu-
„ gneut, paremque, & eandem Ido-
„ lolatriæ, atque impietatis doctri-
„ nam contexant: in illa tamen er-
„ roris libidine ſemetipſas collidunt,
„ ac mutuo repugnant... Quod ad
„ Stoicos pertinet: hæc eſt de Di-
„ vinitate illorum opinio. Deum
„ eſſe mentem aſſerunt, quæ totius
„ aſpectabilis molis, cæli nimirum,
„ ac terræ, cæterarumque rerum
„ velut corporis anima ſit. Rurſus
„ divinitatem unam in plures, ac
„ particulares naturas diſtrahunt,
„ Solem videlicet, Lunam, ac ſtel-
„ las, animam, aerem, reliquæ cæ-
„ teras. Adhæc animarum ex aliis
„ in alia corpora transfuſiones, ac
„ tranſitus admittunt. Eas quippe
„ de corpore, ac rurſus ingredi ite-
„ rumque gigni ſtatuunt: & con-
„ ſceleratum illud dogma quadam
„ erroris abbundantia contexunt:
„ Cæterum particulam quandam
„ Dei, eandemque immortalem ani-
„ mam eſſe prædicant; Porticus
„ Princeps, ſive ſtoicæ ſectæ Zeno
„ fuit, de quo varius eſt ſermo.
„ Nam alii Cleanthis cujuſdam Tyri
„ filium fuiſſe putant: alii Citien-
„ ſem faciunt ex inſula Cypro,
„ quem & Romæ aliquandiu vixiſ-
„ ſe narrant; indeque Athenas pro-
„ fectum in Stoa Porticus dogmata
„ illa públice propoſuiſſe. Non de-
„ ſunt, qui duos Zenones diſtin-
„ guant; Eleathem, & eum, de
„ quo proxime dictum eſt. Ut-
„ cumque ſit, eadem ab utriſque
„ decreta profluxérunt: proindeque
„ materiam æqualem Deo facit al-
„ ter ille, quemadmodum & hære-
„ ſes reliquæ. Tum verò fati, at-
„ que originis neceſſitatem adſtru-
„ it.... Pythagoras ac Peripatetici
„ cum ſe Deum unum profitêren-
„ tur, in aliud Philoſophiæ genus,
„ aliaque dogmata ſunt prolapſi.
„ Et tum ille, tum ejus ſectatores
„ eadem cum Platonicis ſentiunt,
„ quod ad nefandam, impiamque
„ ſententiam ſpectat de mutatione
„ corporum, animorumque tranſi-
„ tione, ac de eorumdem corrup-
„ tione corporum. Ac Pythagoras
„ quidem in Media finivit; qui in-
„ ſuper Deum eſſe corporeum, vi-
„ delicet Cælum, cujus oculos, cæ-
„ teraſque tanquam in homine par-
„ tes, Solem, Lunam, conſtituit, ac
„ reliquas ſtellas, elementaque cæ-
„ leſtia.... Epicurus providentiam
„ Mundo ſuſtulit. Idem Atomis uni-
„ verſa conſtare, atque in atomos
„ reſolui credidit. Adhæc fortuito
„ fieri omnia, mundumque conſi-
„ ſtere generante natura, pereunte-
„ que perpetuo...., Hæc nos de ip-
„ ſorum dogmatibus obiter dumta-
„ xat attigimus. Nunc ut lectori-
„ bus brevitate conſulamus; qua-
„ tuor ſimul hæ ſectæ oratione no-
„ ſtra refellendæ ſunt. Ab his enim
„ primordiis, vel ante hæc etiam,

„ ut

„ ut initio diximus, Poetæ, Hiſto- „ rici, reliqui ſcriptores, Aſtrono- „ mi, cæteri denique erroris Artifi- „ ces, ac Magiſtri, qui ad ſexcen- „ ta rerum ſtatuenda principia, peſ- „ ſimaſque cauſas impulere morta- „ lium animos, communibus gene- „ ris humani ſenſibus denſiſſimas „ tenebras offuderunt.

Hunc igitur Epiphanii textuum ordinem, quem Dallæus abrumpit, adhibeam, reſque a capite arceſſam. Enimverò vir ille Sanctus narravit, falſorum numinum *Myſteria apud Ægyptios*, Phryges, Phœnices, & Babylonios *male excogitata, ac per Cadmum, & Inachum ex Ægypto in Græciam translata, atque ab Orpheo, aliiſque invecta fuiſſe;* è quibus *variæ ſectæ coaluere;* quarum *Zeno, Pythagoras, Pico inventores fuere:* quæ ſectæ tametſi *eandem* Idolatriæ, *atque impietatis doctrinam contexant:* tamen *in illa erroris libidine ſemetipſas* collidunt. Non ergo Epiphanius præter veteris Hiſtoriæ fidem, ut Cenſor ait, ſed ſecundum ejus monumenta ſcripſit, quod impia *Idolatriæ Myſteria* non per Orpheum, ſed *per Cadmum,* & *Inachum ex Ægypto in Græciam derivata ſint,* atque *translata,* ac dehinc *propagata, & ab Orpheo, & aliis invecta:* quæ quamquam varii Ethnici Philoſophi amplexi ſunt: nihilominus ſuorum particularium errorum, quibus ipſorum Philoſophia ſcatet, *inventores* fuerunt: non igitur ſpecialem Ethnicorum Philoſophiam, ſed Idololatriam, quam illi male adoptarunt, ab Ægyptiis ortam, & a Cadmo primum, & poſtea ab Orpheo, aliiſque Athenas invectam voluit Epiphanius; utpote qui eoſdem Ethnicos Idololatriæ, quæ ex *Ægypto in Græciam translata eſt,* ſectatores, & tamen Philoſophiæ illius *inventores* denotarit.

Atque ut S. Epiphanii (*a*) ordinem ſequar: appello Diogenem Laertium de Zenone *Cittico* ſtoicorum fere Principe agentem, atque dicentem; quod „ ſcripſit etiam de vita ſecundum na- „ turam, de Appetitu, ſeu de ho- „ minis natura, de perturbationi- „ bus, vel de vitiis, de Officio, de „ legibus, de Græca peritia, de aſ- „ pectu, de toto, de ſignis, Pythago- „ rica, Univerſalia.

Præterea eodem Diogene (*b*) referente Pythagoras voluit, „ animam „ avulſionem ætheris eſſe.... differ- „ re autem a vita animam, eſſeque „ immortalem: quandoquidem & id, „ a quo avulſa eſt, immortale ſit.

Qua propter „ (*c*) ut Antigo- „ nus Coryſtius in libro, quem nu- „ per de Zenone edidit refert, idem „ Laertius dixit: quæ vero illi pla- „ cuerunt: hujuſmodi fuerunt: im- „ mortalem eſſe animam, & de cor- „ poribus ad corpora perpetuis vici- „ bus migrare.

An hæc eadem Epiphanius de utroque Zenone non protulit? falſa ergo Dallæus dicit. Certe alter Citticus Zeno ſtoicorum defenſor, & alter Eleathes, Bœothicus intelligentem hominis animam aſſeruere *immortalem;* in quo quidem minime errarunt.

(a) *Diogenes Laertius in libro de vita, & moribus Philoſophorum pag. 262. Edit. Lugd. An. 1559.*

(b) *Dioge. Laert. ibidem pag.* 5,44.

(c) *Diog. Laert. ibid. pag.* 144, *& ſeq.*

runt; ſed tamen in errores illos lapſi ſunt, quibus ajebant eandem animam *æthercam* eſſe, & corpoream, ac de *corporibus* ad *corpora vicibus perpetuis migrare:* quod utrumque Epiphanius haud falſo attribuit utrique Zenoni: quippe quorum unus ſtoicorum patronus *Pythagorica ſcripſerat*, atque adeo animam hominis immortalem cum Pythagora, qui tamen errans ipſam æthercam voluit, ſignificarat: alterque id ipſum, ac Metempſicoſin, fatique neceſſitatem ab iiſdem errantibus Ethnicis aſſertam, nefarie adoptaverat.

Nunquam verò Epiphanius Pythagoreorum, & Peripateticorum gentilium unam eandemque ſectam in Philoſophia fuiſſe conſcripſit: ſed tantum retulit utroſque in eo, quod *unum Deum faterentur*, conveniſſe: & tamen in *illud Philoſophiæ genus* aliaque *dogmata prolapſos fuiſſe*. Aliud autem, atque *alia dogmata Philoſophiæ diverſitatem* aperte declarant. Non igitur eandem Pythagoreorum, ac Peripateticorum ſectam, ſed *aliam*, atque adeo in Philoſophia diverſam eſſe, Epiphanius monſtravit: qui etiam *Pythagoræ illi, ejuſque ſectatoribus* (qui Pythagorei, non Peripatetici erant) atque etiam *Platonicis* adſcripſit *nefariam*, atque *impiam ſententiam de corporum mutatione*, & *animorum tranſitione:* (a) quo in errore Pythagoreos, & Platonicos verſatos fuiſſe, Diogenes Laertius teſtatur. Non ergo ſecundum Epiphanium Pythagoreorum, & Peripateticorum ſecta una, atque eadem fuit: quandoquidem Pythagoras, ejuſque ſectatores, ſive diſcipuli *Philoſophiæ genus aliud* ab eo, quod Peripateticis placuit, amplexi fuere.

Sed & S. Auguſtinus *(b)* adverſus Ethnicos cum probaret, ſanctorum corpus poſt reſurrectionem in Cælum aſcendere: tum iſthæc de Ariſtotele ſcripſit. „ Ariſtoteles quin„ tum corpus animam dixit eſſe *(c)* „ & Plato nullum. Si quintum eſ„ ſet; certe ſuperius eſſet cæteris: „ cum verò nullum eſt; multo ma„ gis ſuperat omnia: in terreno er„ go quid facit corpore? in hac „ mole quid agit ſubtilior omni„ bus? in hoc pondere quid agit le„ vior omnibus? in hac tarditate „ quid agit celerior omnibus? Ita„ ne per hujus tam excellentis na„ turæ, meritum non poteſt effici, „ ut corpus ejus levetur in Cælum?

Et verò illud Ariſtotelis dictum Plutarchus ſic innuit: „ (d) Stagyrita „ dicit, elementa eſſe quatuor, quin„ tum præterea corpus quoddam „ æthereum immutabile: ſupremum „ quidem Deum ſeparatam formam „ eſſe univerſi ſphæræ ſupereminen„ tem, quæ ſphæra eſt æthereum „ corpus quintum ab illo vocatum. „ Cum verò corpus ejuſmodi in „ ſphæras natura quidem contiguas, „ ratione verò vel mente ſeparatas, „ atque diſtinctas dividatur: quam„ libet ſphærarum animal eſſe, arbi„ tra-

(a) *Diog. Laert. pag.* 145.

(b) *S. Auguſt. lib.* 22. *de Civit. Dei Cap. XI. Tom. VII.*

(c) *Nota. Dallaus falsò carpit S. Auguſtinum, quod iſta de Ariſtotele narrarit.*

(d) *Plut. in lib. de plac. Philoſoph. pag.* 21. *& ſeq. Noviſs. edit. Florent.*

„ tratur ex anima, & corpore com„ poſitum.... Dicearchus exiſtima„ vit, animam eſſe harmoniam qua„ tuor elementorum.

Primum ergo Ariſtoteles Dicearchi Magiſtri ſui opinationes amplexus: ex ea quatuor elementorum harmonia, quæ ab ipſis quatuor elementis diſtincta anima eſſe ab iſto falsè dicta fuerat, hauſiſſe videtur *quintum illud corpus æthereum*, quod *in ſphæras natura quidem contiguas, ratione verò vel mente diſtinctas*, ac *ſeparatas dividebat*; & *arbitrabatur, quamlibet earum ſphærarum eſſe animal ex anima, & corpore compoſitum*. Quare Ariſtoteles *ſupremum Deum* omnino incorporeum, utpote æthereæ *univerſi ſphæræ ſupereminentem*, bene indigitavit: ſed tamen *ſphæras* illas *ratione, vel mente diſtinctas*, & ſeparatas æthereas eſſe, atque corporeas, falsò quidem, putavit; quia eas ipſas *ſphæras*, natura utique ætheris *contiguas* liquido dixit; ac proinde creatas mentes corporeas, diſtinctas, ac ſeparatas energias (*a*) ætheris eſſe primitus voluit. Hinc eodem Plutarcho referente Ariſtoteles protulit, mentem humanam, ſive animam eſſe *perfectionem*. aut *energiam*, ac *vim corporis phyſici*, & *organici potentia vitam habentis*. Cum autem ipſe Stagyrita antea denuntiaverit, corpus *quintum æthereum dividi in ſphæras natura contiguas* & *mente ſeparatas*: his innuit, humanam mentem *energiam* corporis æthercam eſſe, & a corpore tanquam modum a re diſtingui. Quod falſum eſt, & erroneum, cum hominis anima intelligens non ſitætherea, ſed omnino ſpiritalis, atque incorporea: nec a corpore tanquam vis, aut energia, aut modus ejus; ſed ut res incorporea ac forma hominis: nec ſolum *mente*, & *ratione*, verum etiam reapſe a corpore, quod informat, diſtinguatur. Scio, a nonnullis Ariſtotelem in eo excuſari, quod poſtea intelligentem hominis animam incorpoream docuerit: quam Ariſtotelis retractationem admitto: ſed tamen idem Philoſophus Ethnicus prius eandem ætheream illius quinti corporis vim falsò adſtruxerat: quo proinde errore eum aliquando ductum fuiſſe, S. Auguſtinus optime retulit.

(*b*) Dehinc prætereo, a S. Epiphanio Nabuchodonoſorem pro Salmanaſare, qui Coloniam in Samariam miſerat, poſitum eſſe: quod non vitio, ſed memoriæ tarditate arbitror contigiſſe.

(*c*) Cæterum idem Epiphanius Meletianum ſchiſma narrans: Arii mortem poſt Nicænum primum Concilium eveniſſe ſignificavit hoc modo: „ Paphnutius, Joannes, ac cæteri Conſtantinopoli, & Nicomediæ „ longiorem moram trahentes, cum „ Euſebio Nicomediæ Epiſcopo fami„ liaritatem contrahunt, eique rem „ omnem aperiunt. Noverant enim, „ hunc apud Imperatorem gratia, & „ authoritate valere plurimum. Per „ hunc itaque conciliari ſe Imperato„ ri, ac perduci poſtulant: qui cum „ prolixe his omnia facturum ſe re„ cepiſſet, ut & de illorum cauſa ad

R „ Im-

(a) *Plut. ib.*

(b) *S. Epiph. Hæreſ. 1. pag. 22. tom. 1.*

(c) *S. Epiph. Hæreſ. 68. pag. 721. & ſeq. Tom. 1.*

„ Imperatorem referret, & id quod
„ petebant, impetraret: viciſſim hoc
„ ab illis poſtulat, ut Arium in com-
„ munionem reciperent, qui fictam,
„ ſimulatamque pœnitentiam præſe-
„ tulerat. Quod cum ſpopondiſſent:
„ ad Imperatorem eos adducit Euſe-
„ bius, exponitque, quid illis nego-
„ tii eſſet: ac poſtremo Meletianis ab
„ eo tempore permiſſum, privatim
„ ut ſine ulla cujuſquam moleſtia
„ convenire poſſent. Utinam Mele-
„ tiani iſti, qui exactiſſimam juſti-
„ tiæ, ac veritatis rationem profeſſi
„ fuerant, cum iis, qui lapſi erant,
„ per pœnitentiam conjunctionem ha-
„ bere, quam cum Arianis maluiſ-
„ ſent! contingit enim illis, quod eſt
„ in proverbio, ut, qui fumum de-
„ vitant, in ignem incidant. Neque
„ enim conſiſtere arctius, aut fidu-
„ ciam ullam habere potuiſſet, niſi
„ eam eſſet occaſionem nactus, quæ
„ peſſimam inter illos ad hodiernum
„ uſque diem concordiam devinxit.
„ Siquidem Meletiani ſinceri quon-
„ dam, Fideique tenaciſſimi, cum
„ Arianis commixti ſunt, & plerique
„ falſa Arii doctrina contaminati, a
„ recta Fide hoc tempore degenera-
„ runt. Nonnulli verò etſi conſtan-
„ ter in ea perſeverarunt; ob illam
„ tamen cum Ario, Arianiſque
„ ſocietatem in cæno illo, ac ſordi
„ bus hæſerunt. Hæc fuit mutuæ in-
„ ter Meletianos, & Arianos conjun-
„ ctionis occaſio. Cæterum brevi in-
„ terjecto tempore (jam enim, uti
„ pollicitus ſum, narrationis ſeriem
„ pertexam) cum Alexander Con-
„ ſtantinopolitanus Epiſcopus Arium
„ ad communionem admittere coa-
„ ctus, ad preces, & ſuſpiria confu-
„ giſſet, flexis circa horam nonam
„ Sabbati ante Altare genibus, quod
„ Euſebius ita comminatus eſſet; niſi
„ ſponte in communionem illum re-
„ cipere voluiſſet, craſtino die, ſe
„ etiam invito, mecum ingredietur:
„ inſtabat autem Dominicus dies.
„ Quare cum Alexander, ut diximus,
„ orationi ſe dediſſet, & a Domino
„ ſupplex peteret, ut vel ſe ex hac
„ vita tolleret, ne Arii, qui in Deum
„ contumelioſus fuerat, contagione
„ pollueretur, aut inuſitatum quod-
„ dam prodigium ederet, cujuſmodi
„ certis temporibus efficere ſolet:
„ paulo poſt ſancti viri, quod vole-
„ bat, impetravit oratio. Arius e-
„ nim de nocte levandi ventris gra-
„ tia ad Cellam veniens, crepuit,
„ quemadmodum Judas olim prodi-
„ tor; & in impuro illo, ac fœtido
„ loco finem vivendi fecit. Secundum
„ hæc ab ejus diſcipulis fraudulenta
„ illa contra Eccleſiam inita conſilia
„ ſunt. Alexander verò Alexandriæ
„ Epiſcopus poſt Nicænam Synodum
„ obiit, abſente poſt Arii mortem
„ Athanaſio.

Primum igitur S. Epiphanius de Meletianis dixit, quod *lapſi erant*, videlicet ante Nicænum primum Concilium, a quo damnati fuere: quorum Schiſma S. Epiphanius antea deſcripſit: (a) Ac Socrates teſtatur, quod Meletius, qui illius Schiſmatis anctor extitit, in Petrum, & Achillam, qui ante Nicænam Synodum Alexandriæ Antiſtites fuerant, probra evomuerit, ac Schiſma conflarit.

Dal-

(a) *Socr. lib. 1. Hiſt. Eccleſ. cap. 3.*

Dallæus ergo Epiphanium perperam carpit, quod is Meletiani Schiſmatis initia ante Nicænæ Synodi tempus poſuerit. Quam tamen anteceſſionem is Sanctus recte exhibuit; cum eam omnes Eccleſiaſtici veteres apertiſſime proferant.

Verumenimverò poſt Nicænum Concilium Arii mortem eveniſſe Epiphanius haud obſcure ſignificavit: quippe qui deinceps narravit, Meletianos cum Ario, & Euſebio Nicomedienſi conjunctos fuiſſe, quia ipſe ille Arius *pœnitentiam ſimulabat*: atqui impius idem homo non ante Nicænum primum Concilium, neque in ipſo Concilio, ſed poſt iſtud *pœnitentiam* fingebat, & iſtam ob fictionem Euſebius Nicomedienſis Alexandrum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, ut eum Ario communicaret, inique cogebat, & fruſtra; cum illo orante Arius ſtatim mortuus ſit. Hunc ergo poſt Nicænam Synodum periiſſe voluit Epiphanius: utpote qui poſt *Simulatam* illam *pœnitentiam* addiderit ipſum Hæreſiarcham miſerrime mortuum. Quin etiam idem Epiphanius diſerte ſubjecit, *Alexandrum Alexandriæ Epiſcopum poſt Nicænam Synodum* obiiſſe, *abſente poſt Arii mortem Athanaſio*: qui quoniam poſt *Nicænam Synodum* Alexandria abſens ab Epiphanio ponitur; id circo ab eodem iſto *Arii mors*, quæ illi S. Athanaſii *abſentiâ* ſtatim addita eſt, poſt *Nicænam Synodum*, poſt quam Alexander Epiſcopus Alexandrinus *obierat*, poſita recte cenſetur. Quare cum Dallæus obtendit, Arii mortem a S. Epiphanio prius, quam Concili Nicæni hiſtoriam conſcribat, narrari: illi Hæretico objiciendum eſt, quod etiam ipſe Epiphanius Alexandri Antiſtitis Alexandrini obitum ante Concilii Nicæni deſcriptionem commemoravit; & tamen ipſum poſt *Nicænam Synodum obiiſſe* expreſſe retulit: ſic quoque ante ejuſdem Concilii narrationem Arium mortuum expoſuit, & hoc minime obſtante poſt ipſius Nicæni Concilii celebrationem, poſtque pœnitentiam ab Ario ſimulatam hujus impii mortem eveniſſe indicavit. Itaque Epiphanius ante Nicæni Concilii tempora Meletianum ſchiſma obortum, & poſt idem Concilium Meletianos aliquot cum Ario, & Euſebio Nicomedienſi conjunctos, atque Arium mortuum fuiſſe bene narravit, cujus mortem ideo per illam anteceſſionem nuntiavit, ut in uno conſpectu omnia, quæ Arium, & Meletianos ſpectabant, clarius viderentur.

Tum autem Dallæus inique petit magnum Auguſtinum, haud perſpecto ejus contextu; quo S. Doctor refutat Creſconium Grammaticum Donati Carthaginenſis Epiſcopi itidem Donatiſtæ nomen in Epiſtola illius Concilii inveniri, quod Euſebiani Hæretici Arii ſectatores Philippopoli egerunt, ac ſub Sardicenſis Concilii nomine falſo evulgarunt.

(a) Quare S. Auguſtinus eidem Creſconio hæc dixit: „ Inſeris principium Epiſtolæ Concilii Sardicenſis „ ubi Donati Carthaginis Epiſcopi „ veſtri nomen invenitur adſcriptum. „ Quod ideo factum putas, & affirmas, quod videlicet Orientalibus, „ qui de Concilio ſuo hæc ſcripta

R 2 „ mi-

(a) *S. Aug. lib. 3. Contr. Creſcon. cap. 33. pag. 5. Tom. 9.*

„ miſerunt facinus diſplicuerit tradi-
„ torum, & ab eorum communione
„ retraxerint, & propterea Donato
„ veſtro communicabant. Diſce ergo,
„ quod neſcis. Sardicenſe Concilium
„ Arianorum fuit, quod totum jam-
„ diu eſt, ut habeamus in manibus
„ contractum maxime contra Atha-
„ naſium Epiſcopum Alexandrinum
„ Concilium, qui eorum errorem ex
„ ipſa Civitate præ cæteris acriter ar-
„ guebat, & refellebat. Non igitur
„ mirum, ſi illi Hæretici Donatum ſi-
„ bi adſcribi tentarunt, quos per to-
„ tum orbem Catholica damnabat
„ Eccleſia: quamquam nos ſine Civi-
„ tatum nominibus Epiſcopos, ad
„ quos hæ litteræ datæ ſunt, habea-
„ mus. Aut ergo aliquis Donatus
„ fuit non in Africa Epiſcopus cui
„ nomini Carthago a dextris eſt ad-
„ dita: aut ut diximus, Africanam
„ hæreſim Orientis hæreſis ſibi tenta-
„ vit adiungere. Quod hinc maxime
„ credibile eſt quod ad Carthaginis
„ Epiſcopum Romano prætermiſſo,
„ nunquam Eccleſia Orientalis Ca-
„ tholica ſcriberet, ubi ſaltem veſter
„ ſcribi debuit, quem ſoletis Romam
„ paucis veſtris mittere ex Africa.
„ Sed Deo gratias, quod nec valuit,
„ ſi tamen cæpta eſt illa conſpiratio
„ Hæreticorum orientalium cum Afris
„ Hæreticis prævalere. Tu Arianos
„ jam inter Hæreticos, & nobis, &
„ vobis deteſtandos in tua Epiſtola
„ poſuiſti. Unde mihi tecum nulla
„ neceſſitas eſt etiam de hac Quæ-
„ ſtione confligere. Nam quod tibi
„ propoſuiſti Quæſtionem tanquam
„ a nobis obiectam, ſi hæc ita ſunt,
„ a communione veſtrorum quemad-
„ modum Orientales poſtea ſegregati
„ ſunt, & reſpondiſti, quod in reci-
„ piendis iterum noſtris damnatæ
„ cauſæ non potuerint ſervare con-
„ ſcientiam: numquid mirandum eſt,
„ de tam longinquis terris Epiſcopos
„ tuos tibi narrare impune quod vo-
„ lunt?

Itaque Sardicæ Hæretici aliqui Ariani Orientis Epiſcopi a multis Catholicis Præſulibus *ſegregati*, & poſtea Philippopolim fugientes: impium decretum edidere, quod S. Hilarii fragmenta ſic exhibent: „ (a)
„ Incipit decretum Synodi Orienta-
„ lium apud Sardicam Epiſcoporum
„ a parte Arianorum, quod miſe-
„ runt ad Africam: Gregorio Ale-
„ xandriæ Epiſcopo, Nicomediæ E-
„ piſcopo, Carthaginis Epiſcopo ...
„ occurrimus apud Sardicam ....
„ mandavimus illis, qui cum Pro-
„ togene, & Oſio fuerunt, ut de
„ ſuo cætu damnatos excluderent.

Socrates fere eadem narrat hoc modo: „ Cum (b) ergo Sardicam, om-
„ nes conveniſſent: Epiſcopi qui-
„ dem Orientis conſpectum occiden-
„ talium refugerunt, negantes, ſe
„ in colloquium cum illis venturos
„ eſſe, niſi prius Paulum, & Atha-
„ naſium e ſuo Cætu ejeciſſent. Sed
„ cum Protogenes Sardicenſis, & Oſius
„ Epiſcopus Cordubæ, quæ Civitas
„ eſt Hiſpaniæ, ut ſupradixi, ne-
„ quaquam pati poſſent, ut Paulus,
„ & Athanaſius a conſeſſu excluder-
„ rentur; Orientales illicò diſceſſe-
„ runt,

(a) *S. Hil. in Fragmentis Tom. 2. pag. 847. & ſeq.*

(b) *Socra. lib. 1. Hiſt. Eccl. Cap. 20. pag. 90.*

„ runt: regreſſique Philippopolim „ urbem Thraciæ, Concilio ſeorſum „ habito, vocem quidem conſub„ ſtantialis palam anathemate dam„ narunt.

Non igitur ut Dallæus blaterat, contra omnium Eccleſiaſticorum Hiſtoricorum fidem illa, quæ adlegavimus, ab Auguſtino pronunciata fuerunt; qui quidem aſſeruit, *Epiſtolam* illam Synodicam, quam Creſconius Donatiſta obtendebat, a *Sardicenſi* Concilio *Arianorum*, qui tamen a legitimo plerorumque Catholicorum Præſulum Concilio Sardicenſi *ſegregati* erant, miſſam fuiſſe; quam Epiſtolam S. Hilarii fragmenta vocant *decretum Synodi apud Sardicam a parte Arianorum Epiſcoporum miſſum ad Africam:* in quo iidem *Ariani* dicebant, *occurrimus apud Sardicam mandavimus illis, qui cum Protogene, & Oſio fuerunt, ut de ſuo cætu damnatos excluderent:* a quo *Oſii*, & compluruum orthodoxorum Præſulum S. Athanaſium defendentium *cætu Ariani Epiſcopi apud Sardicam occurrentes* ſeque ſeorſum congregantes, ſecluſi erant; quoniam illum non ſuum, ſed *Oſii cætum* appellarunt; quam ſiniſtram cœtus ſecretionem, & injuſtam S. Athanaſii excluſionem Sardice ab Arianis effectam eſſe, memoratus Socrates confirmat, dum ait, quod cum *Sardicam omnes convenisſent: tum Orientis Epiſcopi conſpectum Occidentalium refugerunt*, atque adeo *Sardice* illi *Orientales* ab hiſce Occidentalibus ſejuncti utpote horum *conſpectum refugientes, negarunt, ſe in colloquium cum ipſis venturos eſſe, niſi prius Athanaſium e ſuo cætu ejeciſſent:* quod cum *Oſius*, & reliqui Epiſcopi Orthodoxi nequaquam *pati poſſent: Orientales* illico *diſceſſerunt*. Ergo non adverſus hanc narrationem, ſed ſecundum ipſam locutus eſt Auguſtinus, qui cum *Arianos ſegregatos* utique ab Orthodoxis Epiſcopis dixerit: certe utrumque, & plerorumque Catholicorum Præſulum, qui S. Athanaſium tuebantur, & Arianorum, qui ab illis *ſegregati* prius Athanaſium excluſum voluerunt, & poſtea inique damnarunt, Concilium diſtinxit: & ideo *Sardicenſe Concilium Arianorum contractum* adverſus eundem Athanaſium pronunciavit; quia iidem Ariani initio *apud Sardicam* ſeſe contrahentes, ſive in unum congentes, ſimulque ab Orthodoxis Præſulibus ſemetipſos *nequiter ſegregantes*, ipſum Athanaſium e Catholicorum Synodo ejiciendum cenſuerunt, & poſtularunt, eamque excluſionem ab Orthodoxis Epiſcopis neutiquam ferri ſentientes, Philippopolim tegreſſi, rurſus S. Athanaſium, & conſubſtantialis vocem impie damnarunt; quod impium decretum *Sardice inceptum*, ac Philippopoli exaratum, atque *impune*, ac partim falſo ſub Concilii Sardicenſis nomine ſcriptum, utpote Philippopoli conditum, atque fictum miſerunt ad *Africam*, & præſertim ad *Carthaginis Epiſcopum:* quo vocabulo Creſconius Donatiſta abuſus, contendit, Donatum Carthaginis Epiſcopum, & Donatiſtam nominatum fuiſſe, a Sardicenſi Concilio: quod tamen eſſe Arianorum a Catholicis pleriſque Epiſcopis, qui pro Athanaſio erant ſegregatorum ſynodum contra Athanaſium *contractam*, in eaque adeo nullam auctoritatem inſidere, Auguſtinus

nus bene reſpondit, concinentibus ſcriptoribus Eccleſiaſticis, ac Dallæum refutantibus.

Idem verò Auguſtinus non ſcripſit, SS. Gregorium Nanzianzenum, & S. Baſilium Cæſareæ Epiſcopum fratres fuiſſe; quemadmodum Dallæus perperam obiicit: ſed S. Doctor id protulit, illos, *ſicut fertur eſſe* (a) *carne germanos*. Germani autem vocabulum per ſe ſe minime denotat fratrem: ſed aliquos quaſi ex eadem ſtirpe ortos ſignificat. Quare Auguſtinus recte ait, Gregorium Nanzianzenum, & Baſilium *carne* germanos ferri, ac ſic eadem de re dubitari; quam rem cum Auguſtinus in dubium vocarit: profecto non de S. Gregorio Nyſſeno, quem S. Baſilii fratrem eſſe certum erat, locutus eſt; neque pro Nyſſeno Nanzianzenum poſuit: ſed dubitando adſignificavit, Gregorium Nanzianzenum, ac Baſilium magnum non fratres quidem, ſed quaſi ex eadem ſtirpe genitos eſſe, *ſicut fertur*: quam affinitatem proinde Auguſtinus ex dubia relatione ſolum habuit, ac protulit.

Idem S. Auguſtinus non de magno S. Epiphanii Panario, (b) quod is adverſus hæreſes ſcripſerat, ſed de ejus compendio hæc dixit: „ Epipha-
„ nius Cyprius Epiſcopus ab hinc
„ non longe humanis rebus exem-
„ ptus, de octoginta hæreſibus lo-
„ quens, ſex libros etiam ipſe con-
„ ſcripſit, hiſtorica narratione me-
„ morans omnia, nulla diſputatio
„ ne adverſus falſitatem pro veritate
„ decertans. Breves ſane ſunt hi li-
„ belli, etſi in unum librum redi-
„ gantur; nec ipſe erit noſtris, vel
„ aliorum quibuſdam libris longitu-
„ dine comparandus.

Videat in his S. Auguſtini verbis Dallæus ſuam falſitatem. Nam S. Doctor non ſolos illos *ſex breves libros* adverſus hæreſum falſitatem ab Epiphanio conſcriptos, verum etiam aliud opus adverſus hæreſes ab eo elaboratum fuiſſe indicavit hoc dicto: Epiphanius de *octoginta hæreſibus loquens*, *etiam* conſcripſit. Cum verò particula *etiam* eadem ſit, ac præterea: iſthæc innuit, præter illos *ſex breves libros* aliud ſcriptum ab Epiphanio compoſitum eſſe. Nimirum Auguſtinus legit Epiphanii (c) Anacæphaleoſim, in qua iſte ſui magni operis, ſive Panarii adverſus hæreſes ſcripti *compendium* fecit, ac memoravit: quapropter Auguſtinus denotavit, non magnum Panarii opus, quod a Dallæo falsè obiicitur, ſed Panarii compendium, ſive Anacæphaleoſim *hiſtorica* hæreſum narratione, & nulla diſputatione inſtructam cum ſuis, & aliorum longis voluminibus comparandam non eſſe: de qua Auguſtinum locutum fuiſſe, eo probatur; quia hic S. Doctor non ſcripſit, ſex libros, ſed ſex *breves* libros de octoginta hæreſibus *etiam* ab Epiphanio compoſitos eſſe: quibus magnum Epiphanii Panarium indigitans, ejuſdem Panarii Anacæphaleoſim ſex *brevibus* libellis diſtinctam apertiſſime nuncupavit.

Atenim ante S. Auguſtinum Ju-
ſti-

(a) *S. Aug. lib. 1. Contr. Jul. Cap. V. Tom. X. pag. 507.*

(b) *S. Aug. lib. de Hæreſ. ad quod vult. Deum pag. 3. Tom. 8.*

(c) *S. Epiph. in Anac. pag. 126. Tom. 2.*

Digitized by Google

ſtinus Martyr (*a*) non Semoni Sanco Sabinorum Regi, ſed Simoni Mago a Gentilibus Romæ ſtatuam erectam fuiſſe ſic ait: „ Dæmones immiſerunt Simonem quemdam Samaritanum è vico Gittim dicto, qui ſub Claudio Cæſare cum magica miracula, Dæmonum in eo operantium arte, in Regia veſtra urbe Roma edidiſſet: Deus exiſtimatus eſt, & a vobis tanquam Deus ſtatua honoratus; quæ ſtatua erecta eſt in Inſula Tiberina inter duos pontes habens hanc Romanam inſcriptionem: „ *Simoni Deo Sancto*. Et poſtea hæc adſtituit: „ Dæmones immiſerunt Simonem, & Menandrum Samaritanos, qui magicis miraculis editis multos deceperunt, atque etiam nunc deceptos tenent. Nam cum apud vos in Regia urbe Roma, ut jam dixi, imperante Claudio Cæſare, Simon verſaretur, & ſacrum Senatum, & populum ita admiratione perculſit, ut Deus exiſtimaretur, & ſtatua velut alii, qui a vobis coluntur, Dii, donaretur. Quapropter oramus, ut & ſacrum Senatum, & populum Romanum una vobiſcum hujus noſtri ſupplicis libelli cognitores adſciſcatis, ut ſi quis ejus doctrina implicatus ſit, veritate cognita, errorem poſſit effugere, & ſtatuam, ſi ita vobis placet, deiicere.

Deinde S. Auguſtinus (*b*) de *Sanco* Sabinorum Rege hæc dixit: „ Sabini etiam Regem ſuum primum Sancum, ſive ut alii, qui appellant Sanctum, retulerunt in Deos.

Tum idem S. Doctor de Simonis magi hæreſi agens ait: „ (*c*) Idemque Jovem ſe credi volebat; Minervam verò meretricem quamdam Helenen; quam ſibi ſociam ſcelerum fecerat: imaginesque & ſuam, & ejuſdem meretricis diſcipulis ſuis præbebat adorandas, quas & Romæ tanquam Deorum ſimulachra auctoritate publica conſtituerunt.

Ecquid nunc Dallæus aliique, proferunt? obiiciunt ſub Gregorio XIII. ſtatuam ex Inſulæ Tiberinæ ruderibus erutam eſſe, in qua hæc inſcriptio legebatur: *Semoni Sanco Deo Fidio ſacrum Sex. Pompeius S. F. E.* Hac inſcriptione Dallæus nititur, & opponit, quod S. Juſtinus in ea perperam legerat *Simoni* pro *Semoni*, & *Sancto* pro *Sanco*.

At primum ſi Juſtini temporibus hæc poſterior inſcriptio in illa ſtatua extabat: profecto Imperatori, Senatui, populoque Romano notiſſima erat: qui proinde Juſtinum, a quo alia, & diverſa ſtatuæ inſcriptio adlegabatur, damnarent, atque contemnerent: quo in contemptu S. Martyr nunquam ſe poſuit; immo ejus rei *cognitores* publice petiit. Ergo Juſtinus illam inſcriptionem, quam adducebat, non perperam, ſed optime legit: quia Auguſtis, Senatui, ac populo Romano *Sancum* Sabinorum Regem in minores Deos relatum ſcientibus, Simonis magi ſtatuam cognoſcendam propoſuit.

(a) *S. Juſt. Apol.* 1. *num.* 26. *pag.* 85.

(b) *S. Aug. lib.* 18. *de Civit. Dei Cap.* 19. *Tom.* 7. *pag.* 502. *Nota: alia MSS. legunt*, Sangum.

(c) *S. Aug. in lib. Citat. de Hæreſ. Tom.* 8. *pag.* 67.

Quo circa hæc ſtatua alia erat ab ea, quæ Gregorio XIII. Pontifice, reperta eſt in Inſula Tiberina: quam carum ſtatuarum diverſitatem S. Auguſtinus ſuaſit; qui *Sancum*, aut *Sangum* Sabinorum Regem *in Deos*, utique falſos, a Romanis relatum, uti etiam illius ſtatuæ nuper inventæ inſcriptio habet, expoſuit: & tamen addidit, quod *Romæ auctoritate publica Simonis Magi*, ejuſque *meretricis* Helenæ *imagines tanquam Deorum* Simulachra ſint conſtituta. Cum itaque inter eruditiores conſtet, ſtatuam jampridem repertam Sanco Sabinorum Regi decretam fuiſſe: atque hunc a Simone mago falſis *Diis* adſcripto Auguſtinus ſecernat; ſimulque *Sancti* nomen *Sanco* illi a nonnullis attributum eſſe commemoret: jam certum eſt, & evidens, ſtatuam ei falsò Deo Sabinorum Regi erectam, & in Inſula Tiberina nuper fere inventam diſerte a *Simulachris Simoni Mago*, & *Helena conſtitutis*, proindeque aliam inſcriptionem Simoni mago adſcriptam Juſtinus bene legit, ac retulit.

Sed Dallæus de ſignis ante bellum, quod Judæi contra Romano geſſerunt, aut auditis, aut viſis quædam falſa Euſebio, & S. Hieronymo appingit.

Nam Euſebius (*a*) de illis ſignis pertractans, Joſephi Hæbræi hiſtorici hæc verba profert: „ Feſto autem die, qui Pentecoſtes appellatur, Sacerdotes nocte Templum ingreſſi ad obeunda ex more miniſteria, primum quidem motum, ac ſtrepitum ſe exaudiſſe dixerunt: tum deinde vocem quaſi conferte multitudinis ſimul clamantis migremus hinc: Quod verò his omnibus terribilius eſt: Jeſus quidam Ananiæ Filius vir plebejus, & ruſticus, quadrienio priuſquam bellum eſſet exortum adhuc pacata Civitate, & rerum omnium copiis abundante cum ad Feſtum diem veniſſet, quo tabernacula in honòrem Dei juxta Templum defigi ab omnibus mos eſt, repente exclamare cæpit; vox ab Oriente: vox ab Occaſu: vox a quatuor ventis: vox in Jeroſolymam, & in Templum: vox in Sponſos, & Sponſas; vox in univerſum populum. Idque nocte, & interdiu clamitans, omnes civitatis vicos circuibat .. Nonnulli vero ex primoribus populi diritatem hominis ægrè ferentes, hominem corripiunt, multiſque verberibus afficiunt. At ille nec pro ſe quicquam locutus, nec eos, qui ipſum verberabant privatim deprecatus, eadem quæ prius, verba inclamare non deſtitit. Proinde Magiſtratus Judæorum rati id quod erat, divinum quemdam eſſe hominis motum, atque afflatum; eum ad Præſidem Romanum perducunt, apud quem flagris ad oſſium uſque denudationem Janiatus nec preces, nec lacrimas ullas effudit: ſed quantum maxime poterat, flebili, ac lugubri modo vocem inflectens, ad ſingula verbera accinebat, Væ, Væ Hieroſolymis.. Aliud etiam majori admiratione dignum ab eodem ſcriptore memoratur: Oraculum ſcilicet quoddam in ſa-

„ cris

(a) *Euſeb. lib. 3. Hiſt. Eccl. Cap. 8.*

„ eris libris repertum fuiſſe quo præ-
„ dicebatur, illis circiter temporibus
„ quemdam ex ipſorum finibus pro-
„ fectum, orbis terrarum imperio
„ poſiturum: quod ille quidem ſcri-
„ ptor in Veſpaſiano expletum eſſe
„ exiſtimavit. Verum Veſpaſianus
„ non totius orbis terrarum ſed Ro-
„ manum dumtaxat imperium obti-
„ nuit. Rectius ergo id referam ad
„ Chriſtum (*a*) cui dictum a Patre:
„ *Poſtula a me, & dabo tibi gentes*
„ *hæreditatem & poſſeſionem tuam ter-*
„ *minos terræ*: & per cujus Apoſtolos
„ circa idem tempus in omnem ter-
„ ram exivit ſonus, & ad fines orbis
„ terrarum verba pervenerunt.

S. Hieronymus in libro de (*b*) viris illuſtribus Joſephi Hæbrei ſcripta hiſtorica referens, ait: „ Hic in decimo octavo antiquitatum libro manifeſtiſſime confitetur, propter magnitudinem ſignorum Chriſtum a Phariſæis interfectum, & Joannem Baptiſtam vere Prophetam fuiſſe; & propter interfectionem Jacobi Apoſtoli dirutam Jeroſolymam.

Ecquis nunc ferre poteſt illas Dallæi narrationes? nam dicit, quod Euſebius, atque Hieronymus non ſemel referunt Joſephum Judæorum ſcriptorem vernaculum aſſeruiſſe, illo tempore, quo crucifixus eſt Dominus, ex adytis Templi Judaici erupiſſe voces virtutum Cæleſtium dicentium: *Migremus ex his ſedibus*. Atqui Euſebius eam *conſertæ multitudinis vocem, migremus hinc*, ex Joſepho refert ad illud *quadrienium*, quod *bellum* Judaicum anteceſſerat, quodque *quadrienium* pluribus annis poſt Domini mortem effluxerat. Non ergo ex Joſepho Euſebius aſſeruit, eo tempore, quo Chriſtus crucifixus eſt, voces illas ex Templi adytis emiſſas fuiſſe: quia cum *his conſertæ multitudinis* ſignis Joſephus, & Euſebius conjunxerunt *voces* illius Plebei qui Hieruſalem *quadrienio prius, quam* bellum exortum eſſet dirutum iri prædixit. Huic tempori igitur, non illi, quod Dallæus comminiſcitur, *clamorem* illum *in Templo exauditum* Euſebius adſcripſit; qui deinceps laudatum Pſalmorum *Oraculum*, quod de Veſpaſiano Imperatore Joſephus Hebræus falſiſſime intelligebat, ad *Chriſti, & Apoſtolorum*, quorum in *omnem terram ſonus exiverat*, tempora referendum eſſe bene prædocuit. Quo circa (*c*) Dallæus illas *conſertæ multitudinis* voces *migremus hinc*, & iſtud Pſalmorum oraculum, in *omnem terram exivit ſonus eorum* ſiniſtrè miſcens confinxit, ab Euſebio eam multitudinis *clamantis* vocem ad mortis Chriſti tempus relatam fuiſſe: cum tamen eumdem clamorem fere ad illius quadrienii initium, ac Pſalmorum oraculum ab illis vocibus in Templo *exauditis* diverſum ad Chriſti, & Apoſtolorum tempora idem Euſebius ſincere retulerit. Præterea Dallæus S. Hieronymi verbis abutitur;

(a) *Pſ.* 2.

(b) *S. Hier. in lib. de Vir. Ill. Cap.* 13. *Tom.* 2. *pag.* 837.

(c) *Nota. S. Hieronymus Epiſt.* 46. *Innuit, quod cum Dominus paſſus eſſet, illæ voces eruperint; quia præmiſit Jeruſalem ab* Exercitu *Romanorum* circumdatam: *quæ obſeſſio poſt Chriſti paſſionem evenit.*

quia S. Doctor Chriſti *ſigna*, & miracula quæ Joſeph Hebræus fatebatur, Domini ipſius in terris degentis tempori, quo vere ea fecerat, rectiſſime attribuit; ſimulque confirmavit, poſt *Jacobi Apoſtoli interfectionem*, ac ſic poſt Chriſti tempus Jeroſolymitanæ cladis ſigna eveniſſe, ac dehinc Hieruſalem dirutam eſſe: quæ rationes omnes præſertim Euſebii comprobant, in ſpecie argutationis, qua Dallæus ſe onerat, nullam firmitatem ineſſe.

Tum autem Aſcetas, quos Philo Judæus in libro de vita contemplativa commemorat, veriſimiliter Chriſtianos (a) fuiſſe Euſebius ſic narrat: „ Primum igitur in eo libro,
„ quem de vita contemplativa, ſeu
„ de Supplicibus inſcripſit, poſtquam
„ nihil a veritate alienum narratio-
„ ni, quam inſtituiſſet de ſuo ſe ad-
„ texturum eſſe profeſſus eſt, viros
„ quidem ipſos Therapeutas, fæminas
„ vero ſimul cum ipſis verſantes
„ Therapeuticas ait appellari, cau-
„ ſamque iſtius appellationis ſubjun-
„ git: ſeu quod tanquam medici qui-
„ dam animos eorum, qui ad ipſos
„ acceſſerant, vitioſis affectibus libe-
„ ratos curarent: ſeu quod ipſi divi-
„ num Numen caſte, ac ſincere cole-
„ rent, porrò utrum Philo ipſe hanc
„ illis appellationem indiderit com-
„ mentus vocabulum, quod eorum
„ moribus, inſtitutiſque congrueret,
„ an revera ab initio ita vocati ſint,
„ cum Chriſtianorum nomen non-
„ dum utique diffuſum, ac pervul-
„ gatum eſſet, nihil opus eſt perti-
„ naciter contendere. Cæterum ante
„ omnia quidem facultates ſuas illos
„ abiicere teſtatur. Ait enim: ſimul
„ atque ad hoc philoſophandi genus
„ ſe contulerunt, omnibus eos bonis
„ ad propinquos ſuos tranſmiſſis ul-
„ tro cedere: deinde abiecta omni re-
„ rum humanarum cura, extra Ur-
„ bem progreſſos in hortis, agelliſ-
„ que deviis degere: quippe qui in-
„ telligant diſſimili propoſito homi-
„ num contubernia, & commercia
„ plurimum obeſſe Philoſophiæ: quod
„ quidem illius temporis Chriſtiani
„ generoſo quodam, ac divino Fidei
„ ardore ſuccenſi inſtituiſſe mihi vi-
„ dentur; cum Propheticam vivendi
„ rationem æmulari ſtuderent. Fe-
„ rtur in actibus (b) Apoſtolorum, qui
„ nihil, præter ſinceram veritatem
„ continent, ſcriptum habetur, om-
„ nes Apoſtolorum diſcipulos, præ-
„ diis, & facultatibus ſuis venditis,
„ pretium fratribus, pro ut cujuſ-
„ que neceſſitas flagitabat, diviſiſſe,
„ adeo ut inter ipſos nemo egenus
„ extiterit. Quotquot enim poſſeſ-
„ ſiones agrorum, aut domorum e-
„ rant, ut ait Lucas, vendentes afte-
„ rebant pretium eorum, quæ ven-
„ debantur, & ponebant ante pedes
„ Apoſtolorum. Dividebatur autem
„ ſingulis, prout cuique opus erat.
„ His plane ſimilia de Therapeutis
„ poſtquam Philo teſtatus eſt: tum
„ iſta ad verbum ſubiungit: Id genus
„ hominum in variis orbis regioni-
„ bus ſparſim reperitur. Græcos enim,
„ & Barbaros tanti boni participes
„ fieri decebat. Floret tamen præci-
„ pue in Egypto per ſingulas ejus
„ Præfecturas diffuſum, maxime ve-
„ rò circa Alexandriam.

De-

(a) *Euſ. lib. 2. Hiſt. Eccl. Cap. 17. pag. 60.*

(b) *Act. IV.*

Deinde *(a)* Euſebius Judæorum ſectas a S. Hegeſippo deſcriptas, atque diſtinctas ita commemorat: „Idem „ præterea ſcriptor ſectas illas, quæ „ quondam apud Judæos invaluerunt, „ recenſet his verbis. Erant inquit, di- „ verſæ ſectæ, atque ſententiæ in cir- „ cumciſione inter filios Iſrael adverſus „ tribum Judæ, & adverſus Chriſtum: Eſ- „ ſæi ſcilicet, Galilæi, Hemerobaptiſtæ, „ Masbothæi, Samaritæ, Saducæi, Pha- „ riſæi.

Atque etiam S. Hieronymus *(b)* de iis, quæ Philo Judæus ſcripſerat, egit hoc pacto: „ Philo Judæus na- „ tione Alexandrinus, de genere Sa- „ cerdotum, id circo a nobis inter „ ſcriptores Eccleſiaſticos ponitur, „ quia librum de prima Marci Evan- „ geliſtæ apud Alexandriam ſcribens „ Eccleſia in noſtrorum laude verſa- „ tus eſt, non ſolum eos ibi, ſed in „ multis quoque Provinciis eſſe me- „ morans, & habitacula eorum di- „ cens Monaſteria. Ex quo apparet „ talem primum Chriſto credentium „ fuiſſe Eccleſiam, quales nunc Mo- „ nachi eſſe nituntur, & cupiunt, „ ut nihil cujuſquam proprium ſit „ nullus inter eos dives, nullus pau- „ per. Patrimonia egentibus dividun- „ tur, orationi vacatur, & continen- „ tiæ, quales & Lucas refert primum „ Jeroſolymæ fuiſſe credentes,

Ex iis conſtat non Eſſenos, ſed *Therapeutas* illos fuiſſe, quos Philo in libro de *vita contemplativa* deſcripſit; quem quidem Philonis librum nunc extare ſcimus: ſed tamen pernoſcimus, Dallæum falsò proponere in eo libro Philonem de Eſſenorum ſecta, quæ una ex ſectis Judaicis fuit, tractaſſe; quod falſum eſſe ex eodem libro monſtratur, ubi Philo ne ullum quidem verbum de Eſſenis, ut *(c)* Valeſius adnotat, fecit; ſed in alio libro, qui ab illo ſcripto de vita contemplativa ſecernitur, Eſſenos expoſuit; quos Euſebius ex Hegeſippo nuncupavit, & in *diverſis Judæorum ſectis* numeravit, iſtoſque a Therapeutis ſecluſit: quorum Therapeutarum genus cum in *Egypto*, & variis orbis regionibus ſparſum eſſet ſecundum Philonem, cumque Eſſenorum ſecta in Judæa ſolum extaret: jam patet, ab Eſſenis *Therapeutas* omnino diſtinctos eſſe: qui Aſcetæ Chriſtiani fuiſſe Euſebio, S. Hieronymo, aliiſque veteribus propterea viſi ſunt, quia primorum Chriſtianorum, quos S. Lucas refert, mores, & inſtituta ſequebantur.

Jam de SS. Ambroſio, Joanne Chryſoſtomo, & Auguſtino non longum eſt dicere; qui Zachariam S. Joannis Baptiſtæ Patrem ſummum Judæorum Sacerdotem fuiſſe non certo, ſed dubie ſignificarunt.

Nam S. Ambroſius *(d)* S. Lucæ Evangelium, quo idem Zacharias exhibetur, ediſſerens ait: „ Videtur „ hic Sanctus Zacharias ſummus de- „ ſignari Sacerdos. Quia ſicut le- „ ctum eſt de priori Tabernaculo, in „ quod ſemper intrabant Sacerdotes „ miniſteria conſumantes: uno ta-

(a) *Euſeb. lib. IV. Hiſt. Eccl. Cap. 22. pag. 156.*

(b) *S. Hier. in lib. de Vir. Ill. Cap. XI. Tom. 2.*

(c) *Valeſius in notis appoſitis relato Euſebii loco.*

(d) *S. Amb. in Lucam Cap. 1. Tom. 2. pag. 86. Edit. Goth.*

„ men anni tempore intrabant in „ Templum: in ſecundo autem ſemel „ in anno ſingularis ſummus Sacer- „ dos non ſine ſanguine; quam offer- „ ret pro ſe, & populi delictis. Li- „ cet ille ſummus Sacerdos, qui ad- „ huc ſorte quæritur, verius ignora- „ tur. Sorte ergo eligebatur, ut in- „ troiret Templum Sacerdos.

S. Joannes Chryſoſtomus (a) ubi oſtendit, ea quæ Dei ſunt, non debere curioſius exquiri: inde ait: „ Zacharias vir quidem erat admirandus, & magnus, ſummo Sacerdotio ornatus, cui a Deo totius populi præfectura commiſſa fuerat, „ is in ſancta ſanctorum, ipſaque „ adyta ingreſſus, quæ ipſi uni fas „ erat aſpicere. Intellige eum univer- „ ſæ multitudini parem fuiſſe; ita „ ut ſupplicationes pro multitudine „ tota offerret Deo... Indignatus eſt „ Angelus, neque Sacerdotii cauſa „ pepercit.

Tandem S. Auguſtinus (b) agit de Caipha, qui anni illius, quo Dominus crucifixus fuit, Pontifex a S. Joanne Apoſtolo nuncupatur: de quo Pontifice Auguſtinus ſic diſſerit: „ Poteſt autem movere, quomodo di- „ catur Pontifex anni illius, cum „ Deus unum conſtituerit ſummum „ Sacerdotem, cui mortuo unus ſuc- „ cederet. Sed intelligendum eſt per „ ambitiones, & contentiones inter „ Judæos poſtea conſtitutum, ut plu- „ res eſſent, & per annos ſingulos „ vicibus miniſtrarent. Nam ut de „ Zacharia hoc (c) dicitur: *factum eſt* „ *autem cum Sacerdotio fungeretur in* „ *ordine vicis ſuæ ante Deum ſecundum* „ *conſuetudinem Sacerdotii, ſorte exiit,* „ *ut incenſum poneret, ingreſſus in* „ *Templum Domini*. Hinc apparet, „ plures eos fuiſſe, & vices ſuas ha- „ buiſſe. Nam incenſum non licebat „ ponere, niſi ſummo Sacerdoti. Et „ ſorte etiam unum annum plures „ adminiſtrabant, quibus alio anno „ alii ſuccedebant, ex quibus ſorte „ eligebatur quis, ut incenſum po- „ neret.

Non igitur nonnulli iſti Patres certè tradiderunt, Zachariam Joannis Baptiſtæ Patrem ſupremum Sacerdotem fuiſſe. Quandoquidem de ea re S. Ambroſius ita adjubet, ut dicat hæc duo: unum quod *videtur hic Sanctus Zacharias ſummus deſignari Sacerdos:* Alterum, quod *ille ſummus Sacerdos, qui adhuc ſorte quæritur, verius ignoratur*. Priori itaque loco dubitandi rationem, quæ *videndi* verbo nititur, attulit Ambroſius; qui potuit; quia *verius ignoratur* idipſum. Ex quo hoc infert quod *ſorte eligebatur, ut introiret Templum Sacerdos*: in quibus vides eum, qui *ſorte eligebatur*, non ſummum Sacerdotem, ſed *Sacerdotem* ab Ambroſio poſtea vocatum fuiſſe, atqui Zacharias Joannis Baptiſtæ genitor *ſorte* electus eſt, ut Templum introiret. Hunc ergo Zachariam non ſummum ſed ſimplicem *Sacerdotem* extitiſſe Ambroſius inde verius putavit. Tum S. Joannes Chryſoſtomus cenſuit, eundem Zachariam *ſummo Sacerdotio ornatum*, ipſique *Populi Præfecturam commiſſam*, eumque tamen *univerſæ multitudini parem* fuiſ-ſe:

(a) *S. Joan. Chryſ. ſerm. 2. de incomprehenſibili natura Dei Tom. prim. pag. 454.*

(b) *S. Aug. Tract. 49. in Joan. pag. 629. Tom. 3.* (c) *Luc. 1.*

ſe: quæ eo concilientur; quia ipſum *ſummo Sacerdotio ornatum eſſe*, Chryſoſtomus prius dubitando arbitratus; poſtea non ſummum, ſed ſimplex *Sacerdotium* ejus protulit, quo ſimplices veteris Teſtamenti Sacerdotes ornati, & *univerſæ multitudini* aliquantum *pares* erant, & ipſa ob ſimplicem *Sacerdotii* gradum quadamtenus ſuperiores. Tum denique S. Auguſtinus de ſummo ejuſdem Zachariæ Sacerdotio anceps locutus eſt, quoniam *apparendi* voce quæ rem in dubium vocat adhibita, ait *forte unum annum plures adminiſtraſſe, quibus alii ſuccedebant*, ex quibus *forte exibat quis ut incenſum poneret*. Quis ergo iſte eſſet ſummus, an ſimplex Sacerdos, dubitavit Auguſtinus; qui cum ſcripſerit, eum, qui *incenſum poneret, poſtea forte exiiſſe*: ipſum Zachariam ſimplicem Sacerdotem denotavit; quia eidem *forte exeunti*, & *incenſum ponenti* Auguſtinus poſtmodum ſummi Pontificis nomen haudquaquam attribuit, ſed ambegit quis eſſet. Hæc itaque nonnullorum Patrum dicta veriſimiliora, non falſiſſima ſunt ſicut Dallæus occentat: cum præſertim S. Ambroſius adſtruat, id *verius* eſſe, quod *S.* Zacharias S. Joannis Baptiſtæ Genitor non ſummus Hæbreorum Pontifex, ſed ſimplex Sacerdos extiterit.

Pergamus nunc ad Paradiſum (*a*) Terreſtrem; quem quidem a Deo conditum eſſe, Fides Chriſtiana non dubitat. Verumtamen *ſalva Fide* quæritur, ubi & idem Paradiſus, & quatuor ejus flumina ſint: de quibus veterum dicta varia ſunt, & veriſimilia.

Imprimis (*b*) aliqui illam Septuaginta interpretum verſionem Hebraici textus Geneſeos, *plantavit Deus hortum in Eden ab Oriente*, intelligunt de India Orientali; in qua Tereſtrem Paradiſum collocatum eſſe arbitrantur. Quo circa Phiſon unus ex quatuor Paradiſi fluminibus, non eſt alius, quam Ganges, narrantibus Joſepho Hiſtorico Hebræo, (*c*) S. Epiphanio, S. Hieronymo, S. Auguſtino, (*d*) & S. Iſidoro Hiſpalenſi. Ganges autem ex Caucaſo Indiæ monte oritur, Teſte Strabone. Præterea *Phiſon* (*e*) *circuit omnem terram Hevilath, ubi naſcitur aurum, & aurum illius terræ* (*f*) *optimum* uti ſacri libri teſtificantur: Hevilath porrò Indiæ Regio eſt ab Hevila Filio Jectan fratre Ophir, & nepte Heber cognominata: de quibus ſacer textus ait: (*g*) *Ophir, & Hevila, & Jobab omnes iſti Filii Jectan: & facta eſt habitatio eorum de Meſſa pergentibus uſque ſephar Montem Orientalem*.

Et quidem *Meſſa* eſt Indiæ (*h*) regio ex Herodoto. In India etiam aurum optimum naſcitur; ibi & Ophir ab altero Filio Jectan nuncupata, & Tharſis eſt; quo Hirami Regis Tyrii, & Salomonis claſſes ſingulis (i) trieniis contendebant, de-

(a) *Vide S. Auguſtini obſervationes allatas in diſſertationis VI. initiis*.

(b) *Gen. 2. V. 4.*

(c) *Joſeph lib. 10. Antiqui: S. Epiph in Anc. num. 38.*

(d) *S. Hier. Ep. 4. ad Ruſt. S. Auguſt. lib. 8. de Gen. ad litt. Cap. 7.* (e) *S. Iſid. lib. 13. Etym. cap. 12. Strab. lib. 15. Geog.* (f) *Gen. 2. V. XI.* (g) *Gen. X. V. 29.*

(h) *Herod. lib. 1.* (i) *3. Reg. cap. 9.*

deferentes aurum, & argentum. Ophir quoque Taprobana inſula dicitur, ubi aurum, & gemmæ naſcuntur. Hinc *Paz*, & *Uphaz* (*a*) in veteri teſtamento nominantur; quarum appellationum veſtigia cernimus in Paſi, aut Phaſi amne Taprobanes a Ptolomæo memoratæ; quæ etiam Taphiris appellatur, & Taphium, quæ Urbs eſt ad primum Nili oſtium verſus Syriam; quæ omnia Samuel Bochartus (*b*) bene obſervavit.

Porro S. Hieronymus de regione Hevilath ita pertractat: „ Hevila: ubi
„ (*c*) aurum puriſſimum, quod He-
„ braice dicitur Zaab, & gemmæ
„ pretioſiſſimæ, Carbunculus, Smarag-
„ duſque naſcuntur: eſt autem re-
„ gio ad orientem vergens, quam
„ circumit de Paradiſo Phiſon egre-
„ diens, quem noſtri mutato nomi-
„ ne Gangem vocant. Sed & unus de
„ minoribus Noè Evila dictus eſt,
„ quem Joſephus refert cum Fratri-
„ bus ſuis a flumine Cephenæ, & re-
„ gione Indiæ uſque ad eum locum,
„ qui appellatur Jeria, poſſediſſe.

(*d*) S. Epiphanius quoque de Paradiſi ſitu, ejuſque fluminibus agens, iſta conſcribit. „ Nomen uni
„ Phiſon, quem nos oculis ipſis in-
„ tuemur. Phiſon enim eſt, qui ab
„ Indis, & Ethiopibus Ganges ap-
„ pellatur, quem Indum Græci no-
„ minant: hic ambit regionem He-
„ vilath, majorem videlicet, ac mi-
„ norem, quæ eſt Elymeorum Pro-
„ vincia. Ac magnam Ethiopiam
„ penetrans, ad auſtrum labitur, &
„ intra Gades ingentem in Ocea-
„ num erumpit. Secundus fluvius
„ eſt Gehon, quem nos perinde ſen-
„ ſibus expoſitum, non allegoriis
„ adumbratum cernimus, Hic eſt,
„ qui per Ethiopiam labitur, & mi-
„ norem Ethiopiam Anumiticum
„ tractum, Blemyas, & Axumiti-
„ dem prætervectus, Thebaidem, &
„ Ægyptum alluens, in mare no-
„ ſtrum influit. Quod ſi quis fidem
„ mihi non adhibeat, Hieremiam (*e*)
„ loquentem audiat: quid vobis, &
„ terræ Ægypti, ut bibatis aquam
„ Gehonis turbidam.

Sed & Strabo antiquus Geographus (*f*) ſcribit: „ quod Nearchus
„ primam de Nilo Quæſtionem, unde
„ ſcilicet augeatur, ait indica flumi-
„ na edocere; quoniam ex æſtivis
„ imbribus id contingit: & Alexan-
„ drum cum Crocodilos in Hydaspe
„ vidiſſet, & Ægyptias fabas in ac-
„ ceſſione inveniſſet, putaſſe id eſſe
„ Nili initium.... Poſt Cophem erat
„ Indus, poſtea Hydaſpes.

Quo circa Joſephus Hiſtoricus, S. Hieronymus, S. Epiphanius, aliique veteres a Geographia minime aberrarunt, dum retulerunt, terram Hevilath, quam Eden Septuaginta interpretes vocant, & in qua *aurum naſcitur*, eſſe Orientalem Indiæ regionem, quæ eo nomine ab *Hevila* Filio Jectan appellata eſt; cujus hominis habitatio fuit in *Meſſa* Indiæ regione, ad *Orientem vergente*, quam *circumit* de *Paradiſo Phiſon* egrediens, qui ab *Indis Ganges* a Græcis Indus vocatur. Jam

(a) *Cant.* 5.

(b) *Boch. in Phaleg.*

(c) *S. Hier. de Loc. Heb. P.* 1.

(d) *S. Epiph. in Ancor. num.* 58. *Tom.* 2. *pag.* 60. (e) *Hier.* 2. *V.* 18.

(f) *Strab. lib.* 15. *de ſitu Orbis pag.* 27.

Jam verò a *Nearchi*, & Strabonis Geographia Dallæus aberrat; qui, ut Epiphanium pulſet, obtendit, terram Hevilath, & Phiſon, ſeu Gangem integro fere Hemiſpherio diſtare a magna Æthiopia, quam etiam ab Indo *penetrari* Epiphanius edocuit. Atqui in Hydaſpe, qui *poſt Indum erat* Alexander Macedo, *vidit Crocodilos*, & in *acceſſione* fabas Ægypti, in qua acceſſione *Nili initium eſſe*, idem Alexander putavit. Ergo Nilus non toto ferme hemiſphærio ab Hydaſpe, & Indo diſſitus erat; quippe quorum in acceſſione & fabæ Ægypti, & Nili initium *putata* fuere. Porrò autem inter Arabiam, & Ægyptum, quem Nilus alluit, magna Æthiopia ſita eſt quæ proinde hemiſphærio propemodum integro ab India non diſtat: atque ita S. Epiphanius bene ſignificavit, Phiſonem eundem eſſe atque Gangem, qui quodam canali magnam Æthiopiam penetrans, intra Gades in Oceanum ingentem erumpat.

Atque ut fluminum, quæ e Paradiſo egrediebantur, ordinem ſequar: jam apparet, S. Epiphanium in Græcis ſacris Hieremiæ Prophetæ exemplaribus ita legiſſe, *quid vobis, & terræ Egypti, ut bibatis aquam Gehonis turbidam:* (a) quod Gehonis nomen in græcis Scripturæ divinæ codicibus eſſe, Petavius fatetur,

Fatemur ſane, illud nomen haud reperiri in Hebraicis, & Latinis ſacræ Scripturæ exemplaribus: ſed tamen cernimus, Dallæum falſò dixiſſe, quod, ſi græcos ſacros codices conſulamus, apud eos de Nilo Paradiſi terras alluente ſit altum ſilentium: de quo tamen fluvio allati Græci codices neutiquam ſilent; in quibus cum *Ægypti Gebon* qui alter fluviorum Paradiſi fuit, legatur: cumque Nilus Ægyptum alluat, atque Hydaſpi, & Gangi, ut vidimus, fere proximus ſit, hinc ſequitur, ut etiam Nilus Paradiſi terras, in quibus Indus extabat, alluerit ſecundum veriſimilem non omnium quidem Patrum, uti Dallæus perperam vult, ſed nonnullorum, & Cardinalis Perronii opinionem, quem Cardinalem ea græca Gehonis lectio nequaquam fefellit. At vero in hac quæſtione, quam difficilem, & perobſcuram eſſe laudatus Auguſtinus denotavit, veriſimilior plurium veterum, qui aut in Armenia, aut in Meſopotamia terreſtrem Paradiſum conditum volunt, opinio exiſtimatur.

Mitto ea, quæ hic Dallæus extra propoſitum ſcribit de Magnò Baſilio; (b) qui S. Doctor homilia tertia in Exaemeron ſub Pyrenæo monte primitus *Tartæſum*, & poſtea Iſtrum ponit; quem fluvium poſterior aliqui Geographi (c) Strabone. antiquiores a magno Iſtro, qui modo Danubius dicitur, diſtinguebant: ſecundum quos vetuſtiores Geographos, *qui terræ circuitum deſcripſere*, Baſilius de Iſtro inibi loquitur, & ita a fontibus Danubii ſecundum illos, qui hunc fluvium magnum ab Iſtro ſecernebant, Baſilius paulo propius non aberravit; qui neque in illa homilia *Eridanum* ſive Padum, qui è Veſulo monte oritur,

(a) *Petav. in not. ad S. Epiphanii opera.*
(b) *S. Baſil. Tom. 1. pag. 27.*
(c) *Strabo: ibid. pag. 15.*

tur, ſed *Rhodanum* e *Ripæis montibus ultra Scythiam intimam ſitis* naſci conſcripſit, quemadmodum vetuſtiores Coſmographi, quos adlegat, *prodiderunt*: Miranda igitur eſt illiùs nominis mutatio, & ſuppoſitio, qua Dallæus veteres futiliter petit.

Exinde is Cenſor ad Philoſophiam iterum rediens, obiicit, quod Tertullianus in libro de anima plantis ſenſum tribuat & mentem.

At enim Tertullianus poſt quam plures libros Orthodoxe ſcripſiſſet: tum falſis cujuſdam mulieris Montaniſtæ viſionibus deceptus, librum de anima exaravit: in quo quamvis aliqua bene poſuerit: nihilominus ibi plura a vero aberrantia, quædam dubia, & nonnulla impropria exaravit. Unde arboribus ſenſum, & intelligentiam non propriam adſcripſit: quoniam ibidem ait, quod arbori (*a*) *ineſt propria vis animæ, ut coaleſcens, natura* fungatur: quo Tertullianus non in mente, neque in ſenſu, ſed in natura, qua arbores *coaleſcunt propriam* earum *animæ* vim poſuit quippe quæ anima vegetans propriè ſit, non tamen propriè ſentiens, nec propriè intelligens: quæ proinde poſteriora Tertullianus improprio modo plantis appinxit.

Tum autem S. Epiphanius veram humanorum corporum reſurrectionem in Judicii die futuram contra Origeniſtas evincit; ac duo genera corporum, alterum apparentium, alterum verè humanorum, hoc pacto diſtinguit; „ (*b*) Scimus, nihil non a Deo „ fieri poſſe, ac non modo anima „ carentia corpora proferre poſſe, „ ſed & extincta penitus illa revi„ viſcere denuo poſſe, ſi velit, ac „ per ſe ſe etiam non animata mo„ veri.... Itaque cum Deus, uti „ demonſtratum eſt ϑομα corpus in„ ſtaurare ſine anima poſſit: corpus „ tamen ipſum per ſe ſe ſine anima „ condemnari non poteſt.... Quo„ circa uti corpus & anima in u„ num conjuncta unum hominem „ conſtarunt a Deo productum: ſic „ juſtus ille judex corpus excitat, „ ac ſuam illi animam infundit.

Hujus textus aliquæ poſteriores partes tum facillimè intelliguntur, cum priores ſcribendo explicantur, ad quas illæ referuntur Epiphanio inſinuante; qui poſteriores partes ita accipiendas eſſe commonuit, ut *demonſtratum eſt*. Demonſtravit autem prius hæc duo, & corpora anima carentia, immo penitus extincta, denuo per Dei potentiam *reviviſcere poſſe*; & *per ſe ſe etiam non animata moveri*. Porro corpora *per ſe ſe non animata ſine ulla anima* exiſtunt, ſive per *ſe ſe* nulla anima conſtant, ut æther, ut aër ut alia hujuſmodi ſunt. Hæc ergo *per ſe ſe non animata poſſe a Deo ſine anima inſtaurari*, ſive in ſola figura humani Corporis tantum apparentis aſſumi, ac *moveri* Epiphanius aſſeruit; qui tamen *Hominem* vero *corpore* & *anima* utique intelligente *in unum conjunctis* conſtare, & ita *a Deo productum* eſſe affirmavit, ſtatim addidit, quod *ſic*, hoc eſt, eo conjunctionis modo Deus *juſtus judex corpus excitat, ac ſuam illi animam* infundit. Dallæus igitur falſe pertendit, Epiphanium docere: „ vi-

„ tam

a) *Tertul. de Anima Cap. XIX.*

(b) *S. Epiph. in Anc. num. XC. Tom. 2.*

,, tam hominis' mortui inſtaurari ſi-
,, ne Anima poſſe:,, Primum enim in Græco Epiphanii contextu quem adduximus non *vita corporis*, *nec vita hominis*, ſed *corpus* legitur: deinde etiamſi vita in eo haberetur; nihilominus non dixit, quod *vitam hominis mortui inſtaurare* ſine *anima* poſſit Deus: ea namque verba *hominis mortui* in Epiphanii libro nequaquam legunturː ac proinde ipſa iſta Dallæus Epiphanio falſe ſuppoſuit. Sed in latina verſione id habetur, quod *Deus uti demonſtratum* eſt, *vitam corporis inſtaurare ſine anima poſſit*: quam *vitam* tametſi in Epiphanii textu legi admittamus: tamen Epiphanius illis ſolum voluit, ſine anima corpora apparentia, quæ in Veteri Teſtamento ab Angelis aſſumpta fuerè, quæque per *ſe ſe animata non erant*, a *Deo inſtaurari* poſſe, & *moveri*. Cæterum vitam hominis mortui a Deo inſtaurari ſine anima poſſe, nunquam Epiphanius ſenſit; utpote qui ſubiunxerit, a Deo humanum *corpus excitari*, eique *animam infundi* eo modo, quo *hominem* primùm produxit; quem videlicer *anima & corpore in unum conjunctis* creavit. Non igitur Deus vitam hominis mortui ſine anima, aut diviſim ab anima, ſed *hominis corpus conjunctum cum anima*, ut hæc *unum hominem conſlent*, excitabit, docente Epiphanio.

Quid Sol, quem S. Ambroſius profert, quo aquarum alimento indigere poteſt? Profecto S. Doctor non iſtud ſignificat, cum contra quoſdam Philoſophos, qui calore Solem carere effutiebant, ita diſceptet:,, Quis igi-
,, tur dubitet, (a) quin ignitus æther,
,, & magno fervens vapore inflama-
,, ret, atque exureret omnia, niſi le-
,, ge quadam ſui prohiberetur Aucto-
,, ris? ut nec flumina, nec lacus,
,, nec ipſa maria vim ejus poſſint
,, reſtinguere: & ideo deſuper aqua
,, impetu quodam deſcendens, in
,, tantos plerumque imbres rumpitur,
,, ut flumina lacus repente replean-
,, tur, & ipſa maria exundent. Un-
,, de frequenter & Solem videmus
,, madidum; atque rorantem: in quo
,, evidens dat indicium, quod ali-
,, mentum ſibi aquarum ad tempe-
,, riem ſui ſumpſerit, tantum au-
,, tem ineſt illis impugnandæ verita-
,, tis ſtudium, ut Solem ipſum ne-
,, gent calidæ naturæ eſſe: eo quod
,, albus ſit, non rubens in ſpeciem
,, ignis, & ideo ajunt, quod nec
,, ignitus natura ſit. Et ſiquid habet
,, caloris ferunt, ex nimio motu
,, converſionis accidere: quod ideo
,, dicendum putant, ut nihil videatur
,, humoris conſumere: quia calorem,
,, quo humor vel minuitur, vel ple-
,, rumque exhauritur, non habeat
,, naturalem. Sed nihil agunt, cum
,, iſta componunt. Quia nihil inte-
,, reſt, utrum ex natura calorem
,, quis habeat, an ex paſſione aliqua,
,, atque ex cauſa. Quare ignis om-
,, nis conſumptor humoris eſt, vel
,, hujuſmodi materiæ, quam flamma
,, conſuevit extinguere.

Dallæus ergo hanc Ambroſii Philoſophiam nequicquam exagitat, haud ſpectatis iſtis ejus conſequentibus; quibus S. Doctor oſtendit, a ſe humores aquarum, quos Sol attrahit,

T ani-

(a) *S. Amb. lib. 2. Exaem. cap. 2. pag. 63. Tom. 1.*

alimentum improprie vocari, proprie pro *materia* illos deſumi, quibus attractis ſol madidus apparet ac rorans, non quod iis tanquam propriis alimentis, ut ſe conſervet, indigeat: ſed quia iidem aquarum humores ſunt apta *materia*, quam Sol attrahit, & attrahendo ſibi tantum *ſumit ad ſui temperiem caloris*, quo ſcilicet Sol *omnia conſumeret*, niſi eundem calorem, attracta *humorum materia*, & aquæ ipſæ interpoſitæ *temperarent*.

Sed & S. Joannes Chryſoſtomus formam Cæli ſphæricam a Deo conditam eſſe non inficiatus eſt in homilia XIV. Epiſtolæ S. Pauli Apoſtoli ad Hebræos. In hac enim homilia, quam Dallæus citat, plura latina verba, præſertim illa, quæ a Dallæo proferuntur, in Græco Chryſoſtomi (a) textu non eſſe teſtatur nuperus ejus operum Editor. Et ſane S. Joannes Chryſoſtomus in eadem homilia de *Tabernaculo* Moyſis agens, hæc dixiſſe fertur: „Quod fixit (inquit) Deus, (b)
„ & non homo ubi ſunt, qui dicunt
„ moveri Cælum? Ubi ſunt, qui
„ pronuntiant, id eſſe ſphæricum?
„ utraque enim hic ſunt ſublata.

Quis nunc minime cernit iſthæc quæ in hocce verborum contextu exhibentur, a Cryſoſtomo ſcripta non eſſe? Nam ſi *Cælum*, & *id ſphæricum ſublata ſunt*: ſequitur, ut ea non fixerit Deus: quæ priori enuntiato aperte repugnant, non ſolum quod Chryſoſtomus nunquam ſenſit, nunquam dixit, nunquam vel innuit *Cælum* a Deo eſſe ſublatum: verum etiam quia idem S. Doctor hic denuntiavit, quod *Deus fixit Cælum*. Cælum ergo, & ipſum *ſphæricum* Deus fixit; ac proinde & *Cælum*, & forma ejus ſphærica ſublata non ſunt. Aliqua itaque allati textus verba S. Joanni Chryſoſtomo vetus latinus Interpres appinxit.

Poſt autem libris adulterinis ac varietate *Cameræ*, quam aquæ Cælis baſis inſtar ſubſtratæ portent, delectatur Dallæus dum opus quoddam S. Juſtino Martyri ſuppoſitum, in quo opere illa dicta inepta, & falſa leguntur, adducit. Verum prætermittenda eſt & illorum dictorum, & ipſius operis falſitas.

Pauci exinde veteres erratione[m] puri facti antipodas negarunt, cum nondum totus Orbis rotundus plene cognitus eſſet.

Tum vero Auctor libri quarti Dialogorum, de quo libro poſtea dicemus, quemque eſſe S. Gregorii Magni fætum Eruditi cenſent, narravit quædam non certa, quorum unum eſt, ab Ethna Siciliæ monte eructari tormentorum Infernalium incendia.

Accedamus modo ad Patrum Grammaticam, de qua Dallæus minus bene diſceptat, & falſo dicit, illos in iſta peccaſſe ob linguæ Hebraicæ imperitiam, propter quam videlicet nonnulli Patres neſciverint, *Cepha* nomen, quo Chriſtus Jeſus S. Petrum Apoſtolorum Principem appellavit Hebraicum eſſe aut Syriacum, quod Petram ſignificat.

Hanc porrò ſignificationem ple-

ri-

(a) *Videſis Paginam 140. Tom. 12. in cujus margine Editoris nota eſt appoſita Homiliæ XIV.*

(b) *S. Joan. Chryſ. in Epiſt. ad Heb.*

rique (*a*) veteres minime ignorarunt. Quandoquidem eam docuerunt Tertullianus, Origenes, Euſebius, S. Epiphanius, S. Gregorius Nanzianzenus, S. Baſilius, S. Hilarius, S. Hieronymus, S. Auguſtinus, ac S. Leo Primus Pontifex Summus: qui plerique Patres ex S. Matthæi Evangelio apertiſſime tradiderunt, S. Petrum *Eccleſiæ Petram* eſſe, & fundamentum. Dallæus igitur errans pertendit, Patres in Grammaticam Hebræam eò peccaſſe; quia a Cephæ vocabulo denotari Petram non viderint. Viderunt tamen hanc notionem illi Patres complures, & ſecundum Hebraicam linguam Petrum Eccleſiæ *Petram* dictum ſcripſere. Non igitur peccarunt, ſed contra peccantem Dallæum veram illius nominis ſignificationem, veram ipſius rei notionem, veramque traditionem diſerte attulerunt.

At Dallæus perperam obiicit, quod S. Optatus Milevitanus, ac S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus Petri nomen a græca voce κεφαλῆ quæ caput ſignificat, derivarint.

Afferamus ergo adverſus hanc oppoſitionem S. Optati teſtimonium; qui contra Parmenianum Donatiſtam oſtendit, illum, qui adverſus Cathedram Romani Pontificis aliam Cathedram collocat, Schiſmaticum eſſe ac Peccatorem: quod Optatus ita probavit: „ (*b*) Negare non potes, „ ſcire te, in urbe Roma Petro pri„ mo Epiſcopalem Cathedram eſſe „ collatam; in qua ſederit omnium „ Apoſtolorum Caput Petrus: unde, „ & Cephas appellatus eſt: in qua „ una Cathedra unitas ab omnibus „ ſervaretur, ut jam Schiſmaticus, & „ peccator eſſet, qui contra ſingularem „ Cathedram alteram collocaret.

Præterea S. Iſidorus Hiſpalenſis (*c*) de S. Petri nomine hæc ſcripſit, „ Petrus a Petra nomen accepit... „ Cephas dictus, eo quod in capite „ ſit conſtitutus Apoſtolorum κεφαλη „ enim græce caput dicitur, & ip„ ſum nomen in Petro Syrum eſt.

Optatus igitur S. Petrum *Cepham* appellatum aſſeruit ex S. Joannis Evangelio, in quo legitur Petrum a Chriſto *Cepham* vocatum fuiſſe: (*d*) quod Cephæ nomen Syrum eſſe, affirmavit Iſidorus. Uterque igitur ex Joannis Evangelio Syriacum Petri, qui *Petra* a Domino nuncupatus eſt, nomen didicit.

Atque Optatus in ſumma Hebraicæ linguæ ignoratione verſatus non eſt, quippe qui non græcam, ſed Syriacam Cephæ vocem adhibuit; atque ita non ex *capite* Petrum Cepham appellatum ſignificavit: ſed quoniam *Petro primo Epiſcopalis Cathedra collata* fuit; atque adeo in illo ut Petra, ac fundamento Eccleſia a Domino ædificata eſt, ut in eodem Petro, qui *Cephas* Syriace *appellatus* fuerat, *unitas ab omnibus Apoſtolis*, & Fidelibus ſervaretur: idcirco ex hac appellatione Optatus collegit, Petrum *omnium Apoſtolorum caput* a Chriſto conſtitutum fuiſſe: quia ſicut

(a) *Nota: Horum omnium teſtimonia vide in diſſertatione de S. Petri Primatu apud Natal. Alex. Tom. III. hiſt. Eccle.*

(b) *S. Optat. lib. 2. Cont. Parm.*
(c) *S. Iſid. lib. 7. Ethym. cap. 9.*
(d) *Joan. 1. ver. 42.*

ædificia in fundamento, ita membra in capite ſervant unitatem; quam tamen vel illa a fundamento, vel iſta a capite diviſa non habent: ac ſic *Schiſmaticus*, & *Peccator* eſt, qui a Romano Pontifice Petri ſucceſſore ſejungitur, & *contra* Petri *Cathedram collocat alteram*. Ex iſta igitur Anal gia, aut ſimilitudine, quæ in fundamento & Petra, quæ Syriace *Cephas* vocatur, atque in capite ineſt, Optatus bene deduxit, S. Petrum *omnium Apoſtolorum caput* fuiſſe, eandemque *capitis* rationem a Romano Pontifice Petri ſucceſſore habitam eſſe; a quo Donatiſtæ ſejuncti & *Schiſmatici* erant, & *Peccatores*.

Jam verò *Petri nomen Syrum* eſſe, Iſidorus non ignoravit, ſed contra imperitiam a Dallæo temere exaggeratam diſertius illud ipſum expoſuit, dum dixit, quod *Petrus* a *Petra*, quæ, a *Syro Cephas* nuncupatur, *nomen* acceperit: ex qua proinde Syriaca voce Petrum dictum, & ex græco κεφαλη vocabulo caput vocatum fuiſſe, Iſidorus voluit, diſtinctis *Syris*, & *Græcis* nominibus.

Quare in Hebræam grammaticam (*a*) neque Optatus, nec Iſidorus, nec Vigilius, qui eos ſecutus videtur, peccarunt, recte Petri nomen, ac rem eo nomine ſignificatam interpretantes.

Dehinc Paſchatis nomen conſideremus; a quo tranſitum ſignificari (*b*) S. Paulus Apoſtolus Hebræus optime novit; qui tamen de eodem Paſchate agens, hæc protulit: *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*.

(*c*) Ac Lactantius idem Paſcha pertractat, aitque: „ Cum Ægyptiorum Primogeniti una nocte interiiſſent: Hebræi ſoli ſigno ſanguinis tuti fuerunt: non quia cruor pecudis tantam in ſe vim gerebat, ut hominibus ſaluti eſſet; ſed imago fuit rerum futurarum. Agnus enim candidus ſine macula Chriſtus fuit, id eſt, innocens, & juſtus, qui ab eiſdem Judæis inmolatus ſaluti eſt omnibus, qui ſignum ſanguinis, id eſt, crucis, quæ ſanguinem fudit, in ſua fronte conſcripſerint. Frons enim ſummum limen eſt hominis, & lignum ſanguine delibutum crucis ſignificatio eſt. Denique immolatio pecudis ab iis ipſis, qui faciunt, Paſcha nominatur, ἀπὸ τοῦ πάσχειν

Atque etiam S. Ambroſius Myſterium Paſchatis (*d*) explicans, ait: „ Quod quidem ſacrum nomen ab ipſius Domini Paſſione deſcendit, Paſcha enim Paſſio eſt Salvatoris, ſicut Beatus Apoſtolus dicit, *Paſcha* (*e*) *enim noſtrum immolatus eſt Chriſtus*: ad hoc enim humanum corpus Chriſtus accipiens, ſe in Paſſionem Paſchæ Myſterio conſecravit, ut quiſque hujus muneris per fidem particeps eſſet.

Principio Apoſtolus, ut à primis, & ultimis auctoritatem repetam, docuit, *Paſca noſtrum*, hoc eſt Chriſtianorum, eſſe *Chriſtum* prius *immolatum* utique in ſua Paſſione: quibus idem Paulus denotavit, Judæorum Paſcha a Chri-

(a) *Vig. Ep.* 2.
(b) *S. Paul. Apoſt.* 1. *ad Cor. cap. V. V.* 7.
(c) *Lactan. lib. V. de vera Sapientia cap.* 26.
(d) *S. Amb. in Serm.* 1. *de Paſch. Myſt. Tom.* 3. *Fol.* 63.
(e) 1. *Cor. V.*

a Chriſtianorum Paſchate eò diſtingui, quod Judæi ex Ægypto exeuntes in transitu pecudem immolarint: Chriſtianorum, autem Paſcha ſit *Chriſtus immolatus* in Cruce, quippe in qua Paſſionem ſubiit, & *tanquam Ovis* aut veluti Agnus innocens *immolatus* eſt, & occiſus.

Erroriſne Dallæus Apoſtolum arguet, an potius ſeipſum? nempe ut impie adverſus Apoſtolum, ac temere adverſus Veteres minime argumentetur.

Et quidem Apoſtolus ſcivit, Judæorum Paſcha ſonare tranſitum; quem tamen illud nomen haud precise, ſed comparate ad pecudem, quam in illo tranſitu Hebræi ſcilicet ex Ægypto egredientes immolarunt, certe ſignificat. Sic ergo ex Apoſtolo *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*; nimirum in tranſitu illo Agnus ab Judæis immolatus, ideoque Paſchalis ab ipſis vocatus, figura fuit Chriſti in Cruce Immolati, qui proinde eam ob cauſam, quam Lactantius affert, *Paſcha noſtrum* eſt, quatenus videlicet ab illo Agno Paſchali, qui in tranſitu immolatus ejuſdem Chriſti *imago* erat, ſignificatus fuerit. Ergo Lactantius bene affirmat hæc duo: unum, quod *pecus* in tranſitu ab Hebræis: qui ſuum *Paſcha* faciunt, immolati *Chriſti* imago fuit: alterum, quod *Chriſtus* ipſe *Agnus innocens*, & *juſtus ab eiſdem Judæis in Cruce immolatus ſaluti omnibus eſt*. Priori igitur enuntiato Lactantius voluit, Paſcha tranſitum eſſe, quatenus Judæi *Ægyptiorum* loca tranſeuntes Paſchalem Agnum immolarint.

Altera vero Lactantii enuntiatio allato Apoſtoli textui reſpondet, ac ſic innuit, quod Agni *immolatio* ab Hebræis olim facta, ut *Chriſti* in Cruce *immolati imago*, *Paſcha* ab eo verbo Græco, quod pati ſignificat, *nominetur*, quippe quia hoc pacto denotat, *Paſcha noſtrum* eſſe Chriſtum in Cruce patientem, & *immolatum*; utpote cujus immolationem *Paſcha noſtrum* eſſe Apoſtolus ſignificarit, quem ſectatus Ambroſius, ex ejus documento id intulit, quod Chriſtus *humanum* ſuum corpus in *Paſſionem Paſchatis Myſterio conſecravit*. *Myſterium* autem *Paſchatis* Agnum ab Hebræis in tranſitu Immolatum, dum ſcilicet ex Ægypto egrederentur, ita adſignificat, ut agnus ille Chriſti in cruce poſtea immolati figura certiſſime extiterit: quo nomine Ambroſius denotavit illius *Paſchatis*, ſive tranſitus, in quo Agnus immolatus fuit, *Myſterium* ſimulque expoſuit, *Paſcha eſſe Salvatoris* Paſſionem prout ab *Apoſtolo* expreſſam, cujus verba ab Ambroſio deſcripta monſtrant, *Paſcha noſtrum Chriſti paſſionem* eſſe, & *immolationem*: quippe quæ vox ab eo Pauli enuntiato, quo *Paſcha noſtrum immolatum eſſe* Chriſtum prædocuit, denotetur: quia *Chriſtus immolatus* cum idem ſit ac Chriſti immolatio & Paſſio: ſane hæc Paſſio & immolatio, quam Agnus in Hebræorum *Paſchate*, aut tranſitu immolatus ſignificaverat, *Paſcha noſtrum* eſt. Non igitur Lactantius, & S. Ambroſius, quos (a) Innocentius III. bene ſecutus eſt, in ea Paſchatis ſignificatione exprimenda erraſſe dicendi ſunt, atque cen-

(a) *Innoc. III. Serm. 1. in Conc. Later.*

cenſendi; quippe eunam notionem Paulus Appoſtclus indicarat, & præmonuciat.

Sed incredibilior eſt Dallæi hallucinatio, qui injuſta cenſura vexare auſus eſt S. Gregorium Primum Pontificem. Is enim Cornuſtibium, quod unius ex Jobi Filiabus nomen eſt, (*a*) hoc modo notavit: „ At vero in Cornuſtibii quamvis non cornus, ſed cornu dicitur, nec cantantium Fiſtula Tibium, ſed Tibia vocatur: in latina tamen lingua ſermonis genere minime cuſtodito, rem, credo prodere maluit, atque in cjus linguæ, de qua transferebat, proprietate perdurare.

In hac porro veriſimili expoſitinne S. Gregorius Magnus hallucinatus non eſt, uti Dallæus impudenter obloquitur, & ſibi blanditur, dum omnia Gregorii Magni verba non profert; qui ſummus Pontifex ad *corru* vocabulum, quod in *cornus tibio* prius eſt, potiſſimum attendens, *Cantantium Tibiam* propterea expreſſit, quia mos canendi *cornu* apud Hebræos fuit, quem morem plures veteris teſtamenti (*b*) loci narrant: ex quo Gregorins veriſimiliter intulit, cornus tibium latine ſonare *cornu Tibiam*, quia *nec cantantium fiſtula Tibium, ſed Tibia vocatur:* hæc *cantantium* vox, hoc inſtrumentum, hic Hebræorum mos Gregorium movit, ut illud cenſeret. Ergo Papam ad id quod eſt latine ſtibium, non attendiſſe, Cenſor inepte pronuntiat; cum Gregorius non egerit de ſtibii ſignificatione, ſed *cantantium cornu*, aut *Tibiam* ſpectarit, ad quæ verba Dallæus æquo animo minime attendit: attendat autem ad ea, quæ conſequuntur, in quibus ſummus ille Pontifex ait, latinum ſacri libri Job interpretem *in ejus* linguæ, *de qua transferebat, proprietata perdurare*: quo enuntiato S. Doctor indigitavit, ſuam quidem interpretationem veriſimilitudine non carere: ſed tamen *Cornuſtibium* non ſolum in hoc latino vocabulo, ſed etiam *in li ua* Hebrææ, de qua translatum eſt, *proprietate perdurare*, aut manere: de qua proprietate Gregorius non diſcepeavit, ſed proprie, & certius innuie, idem vocabulum *cornuſtib*ii retineudum eſſe, quamvis variis modis exponi poſſit, & delarari.

Rurſus Dallæus paucioribus verbis eadem peccat, dum ait, quod *Botrum Cypri*, qui in Sacris Canticis legitur, de Cypri vino Gregorius Magnus expoſuerit, neſciens: id plantæ odoratiſſimæ nomen eſſe. Neſciit autem ipſe Dallæus, Tractatum illum in Cantica Canticorum, in quo ea vini expoſitio reperitur, S. Gregorio primo Pontifici ſummo falſe adſcriptum fuiſſe: nam & de ipſo Tractatu Paterius eidem Gregorio Magno coæuus, qui alia legitima ipſius ſummi Pontificis opera adlegat, ſiluit: & Tractatus ipſe in antiquiſſimis melioris notæ Codicibus minime extat: & Per phraſis illa de *Inſula Cypri vineis*, & *vino* in libro ſecundo expoſitionis Canticorum, quem librum

Be-

(a) *S. Greg. 1. lib. 35. Moral. in Job. Tom. 1. pag. 1163.*

(b) *Vide P. Calmet diſſertationem de re Militari Veterum Hebraeorum Pag. 462. Tom. 3. Coment. In Sac, Scrip.*

Bedæ eſſe aliqui ferunt, invenitur: quas ſuppoſititiis notas Cenſor ignorans, S. Gregorium Magnum *neſcientem* improbe dixit.

Tum alibi idem Gregorius de compeſcenda (a) *loquacitate* qua nonnulli in exponendis Scripturis Divinis abutebantur, ſic egit. „ Per ſacra eloquia ab eorum Tractatoribus infructuoſæ loquacitatis levitas ſtudioſe compeſcitur, dum in Templo Dei nemus plantari prohibetur ... quia indignum vehementer exiſtimo, ut verba cæleſtis Oraculi reſtringam ſub regulis Donati.

Idem Gregorius de quodam Andrea Monacho, qui ipſi Pontifici aliquos ſermones falsò ſuppoſuerat, hæc Euſebio Theſſalonicenſi Epiſcopo ſcripſit: „ (b) Inter diverſa mala aliquos „ etiam ſermones ſcripſit, atque eos „ ex noſtro nomine titulavit; & ſuſpecti ſumus, ne eos alicubi tranſmiſerit. Fraternitas veſtra ſolicitudinem gerat, & ſi quid tale reperit, eos & reſcindi, & continuo faciat aboleri; ut quod imperitus litterarum, & Scripturæ Divinæ neſcius, noſtro, ſicut diximus, nomine prænotavit, quorumdam animos non poſſit inficere. Nam nos nec græce novimus, nec aliquod opus aliquando græce conſcripſimus.

Itaque Dallæus ſuis in libris *infructuoſæ loquacitatis nemus plantavit*, de grammatica disputans: cum tamen *cæleſtia Oracula*, de quibus hic agitur, non ſecundum Donati regulas, ſed ſecundum Prophetarum, Apoſtolorum, ac Patrum doctrinam ſint explicanda: qua doctrina, atque etiam humanis litteris S. Gregorius ornatus ſic fuit, ut illum impoſtorem *litterarum imperitum*, & *Scripturæ Divinæ neſcium* arguerit. Quare priori Epiſtola S. Doctor ſolummodo edixit, in Divinis Scripturis enucleandis *infructuoſam loquacitatem*, & vocum confuſionem, quas aliqui adhibent, & *Donati regulis* abutuntur, devitandas eſſe & compeſcendas. Non ergo linguarum eruditionem, ſed abuſum, & *loquacitatem* Gregorius contempſit: qui quamvis græcam linguam nequaquam attigerit: nihilominus Divinæ ſcripturæ, Traditionis, & Criticæ ſapientiam adeptus, & Donatiſtarum, aliorumque Hæreticorum etiam errores coarguit, & illos græcos *ſermones* quos ei Monachus ille litterarum imperitus falſe ſubdiderat, plane detexit. Talium igitur rerum difficilium facultatem, atque etiam ſanctitatem Dei gratia conſecutus Gregorius, etſi græcam linguam minime *callens*, tamen ob eas res in Eccleſia Catholica magnam auctoritatem potiſſimum habuit.

At Dallæus confuſo ordine, inani ſtupore, & falſis argutiis S. Irænæum adductis veteribus antiquiorem perſequitur.

Nam is Apoſtolicus ſcriptor de Sanctiſſimo Jeſus nomine contra Valentinianos, qui græco litterarum ejuſdem nominis numero abutebantur, ita ſermocinatus eſt: „ (c) Je„ ſus.

(a) *S. Greg. M. Epiſt. ſive Præfat. in lib. Moral. in Job. pag. 6. Tom. p.*

(b) *S. Greg. M. lib. 12. Epiſt. 74. Tom. 2. pag. 1173.*

(c) *S. Iren. lib. 2. Adv. Hære. cap. 24. Tom. 1. pag. 149.*

„ ſus enim nomen alterius linguæ e-
„ xiſtens ad Græcorum numerum
„ transferentes, aliquando quidem
„ Epiſemon eſſe dicunt ſex habens
„ litteras: aliquando autem plenitu-
„ dinem ogdoadum DcccLxxv: ut
„ numerum habens. Græci autem no-
„ men ejus, quod eſt Sator, ideſt Sal-
„ vator, quia non convenit figmen-
„ to eorum nec ſecundum numerum,
„ nec ſecundum litteras, tacuerunt.
„ Et quidem ſi ex Providentia Pa-
„ tris Dominica nomina accepiſſent
„ per numerum, & per litteras, ſi-
„ gnificantia numerum in pleroma-
„ te, Sator nomen græcum exiſtens
„ ſecundum græcitatem, & per lit-
„ teras, & per numeros pleromatis
„ debuit oſtendere Myſterium. Sed
„ non ita habet, quia quinque qui-
„ dem eſt litterarum: numerus au-
„ ctus Mccccviii. Hæc autem in
„ nullo communicant pleromati eo-
„ rum. Non ergo vera eſt in illa,
„ quæ ab eis in peromare dicitur,
„ negotiatio. Jeſus autem nomen ſe-
„ cundum propriam Hebræorum lin-
„ guam litterarum eſt duarum, &
„ dimidiæ ut periti eorum dicunt,
„ ſignificans Dominum eum, qui
„ continet Cælum, & Terram, quia
„ Jeſus ſecundum antiquam Hebrai-
„ cam linguam Cælum eſt: Terra au-
„ tem iterum ſura uſar dicitur. Ver-
„ bum ergo, quod Cælum, & Terra
„ habet, ipſe eſt, Jeſus. Falſa eſt
„ ergo & Epiſomis eorum redditio;
„ & numerus eorum everſus eſt ma-
„ nifeſte: ſecundum enim propriam
„ eorum linguam quinque litterarum
„ eſt græco vocabulo Sator. Jeſus au-
„ tem iterum ſecundum Hebraicam
„ linguam duas, & dimidiam habet
„ litteras. Corruit ergo numerus
„ calculi, qui eſt, in DcccLxxviii.
„ & per omnia autem Hebræorum
„ litteræ non conveniunt numero
„ græcorum, quæ maxime deberent
„ antiquiores, & firmiores exiſtentes
„ ſalvare ſupputationem hominum.
„ Ipſe enim antiquæ, & primæ Hæ-
„ bræorum litteræ, & Sacerdotales
„ nuncupatæ, decem quoque quidem
„ ſunt numero; ſcribuntur autem per
„ quindecim, noviſſima littera copu-
„ lata primæ, & ideo quidem quæ-
„ dam ſecundum ſubſequentiam ſcri-
„ bunt, ſicuti & nos; quædam au-
„ tem retrorſum a dextera parte in
„ ſiniſtram retorquentes litteras. Et
„ Chriſtus autem ſupputationem nu-
„ meri convenientem Æonis plero-
„ mati eorum habere debuit, qui
„ ad ſtabilitatem, & correctionem
„ pleromatis eorum prolatus eſt,
„ ſecundum quod dicunt. Et Patet
„ autem ſimiliter & per litteras, &
„ per numerum continere debuit nu-
„ merum eorum, qui ab eo prolati
„ ſunt, Æonum. Sed & Bythus ſi-
„ militer: nihilominus autem, & U-
„ nigenitus, & maxime autem ſu-
„ per omne nomen, quod dicitur
„ Deus, quod & ipſum Hebraice Ba-
„ rach dicitur, & duas ac dimidiam
„ habet litteras.

Idem Iræneus quandam objectionem, Gnoſticorum, qui plures Deos ex nominum diverſitate impie proferebant, hoc modo diſſoluit: „ Si autem quidam
„ (a) ſecundum Hebræam linguam di-
„ verſas dictiones poſitas in Scripturis

„ op-

(a) S. Iren. lib. 2. adv. Hær. cap. 35. pag. 171.

„ opponant, quales & Sabaoth, & Eloe,
„ & Adonai, & alia, quæcumque
„ ſunt talia: ex his oſtendere elabo-
„ rantes diverſas virtutes, atque Deos:
„ diſcant quoniam unjus & ipſius ſigni-
„ ficationes, nuncupationes ſint omnia
„ hujuſmodi. Quod enim dicitur Eloe
„ ſecundum Judaicam vocem, Deum ſi-
„ gnificat: & Eloe verum, Eloeuth ſe-
„ cundum Hebraicam linguam hoc, quod
„ continet omnia, ſignificat. Quod au-
„ tem ait Adonai, aliquando quidem
„ nominabile, & mirabile ſignificat:
„ aliquando autem duplicata littera
„ Delta cum aſpiratione, ut puta Ad-
„ dhonai, præfinientem, & ſeparan-
„ tem terram ab aquis, ne poſſit a-
„ qua inſurgere in eam. Simili lit-
„ tera autem & Sabaoth per ω qui-
„ dem Græcam in Syllaba noviſſima
„ ſcribitur, voluntarium ſignificat;
„ per H autem Græcam ut puta Sa-
„ baoth, primum Cælum manifeſtat.
„ Eodem modo & Jaoth extenſa
„ cum aſpiratione, noviſſima Sylla-
„ ba menſuram præfinitam manife-
„ ſtat. Cum autem per ο græcam
„ corripitur, ut puta Jaoth, eum,
„ qui dat fugam malorum, ſignificat.
„ Et cætera omnia unius, ejuſdem-
„ que nuncupationis ſunt: ſicut ſe-
„ cundum latinitatem Dominus vir-
„ tutum, & Pater omnium, & Deus
„ omnipotens. & Altiſſimus, & Domi-
„ nus Cælorum, & creator, & fabricator
„ & ſimilia his non alterius, atque
„ alterius hæc ſunt, ſed unius, ejuſ-
„ demque nuncupationes, & prono-
„ mina, per quæ unus Deus, & Pater
„ oſtenditur, qui continet omnia.

Ecquis modo, perlectis S. Irenæi antecedentibus, & conſequentibus ferre poteſt Dallæum falſitate oneratum? is namque obiicit, quod S. Irenæus priora de nomine Jeſus protulerit, quaſi in ipſo Evangelii, cujus S. Matthæus ſcriptor fuit, initio Angelus diſerte non docuiſſet, Chriſtum ideo Jeſum appellatum, quod populum ſuum a peccatis ſervaturus eſſet, ob idque Salvator eſſet nuncupandus. Atqui Irenæus contra Valentinianos, qui græcum Jeſus nomen ſex litteris conſtare, ab eoque ogdoadum ſuorum numerum confici effutiebant, primum aperte dixit, quod *Jeſus nomen Græce eſt Sator, ideſt Salvator*. & *Sator græce quinque litteras* continet; ac ſic eorum Hæreticorum *figmento*, quod ſcilicet *ſex* multiplicantes triginta Eones efficiebant non *convenit*: quia *ex providentia Patris Sator græcum nomen exiſtens*, non ſex, ſed quinque litteras habet, ac ſervandi *Myſterium* ſignificat; ac proinde denotare non poteſt illud pleroma, quod Valentiniani illis ex litteris efficiebant, & comminiſcebantur. Jam vero *Patris Providentia*, qua videlicet per Angelum Sanctiſſimæ Mariæ Virgini, ac Deiparæ locutus, Chriſtum Jeſum vocandum edixit, legitur in græco, & latino S. Matthæi Evangelio: e quo proinde illam ejuſdem nominis ſignificationem, qua Jeſus *Græce Sator*, ac latine *Salvator* appellatur, hauſit, & ſecundum Angeli documentum explicuit, & contra Valentinianos Irenæus manifeſte concluſit: contra quem Dallæus falſiſſime obſtrepere monſtratur iiſdem Irenæi argumentis.

(a) Eademque Irenæus contra Valen-

V tinia-

(a) *Nota. Hebraice ſic Jeſus nomen ſcribitur.* ישו

tinianos ex Hebræa lingua argumentatus eſt; ſecundum quam tribus litteris Jod, Sin, & Vau Jeſu nomen conſcribitur: & quoniam litteta Jod cum ſin & vau conjuncta veluti dimidia littera apparet: idcirco Irenæus bene pronuntiavit, Jeſu nomen Hebraice *duarum litterarum eſſe*, ac *dimidiæ*. Tum quia ſin Hebraice ſcripta ferme Cæli figuram oſtendit; ac littera Vau ſive V initium eſt nominis uſar, quod pulverem, aut terram denotat, quod tamen vel latinus operum Irenæi Interpres, vel Amanuenſes perperam uſar pronuntiarunt: ideo ex *antiquis peritis Hebræis* Irenæus protulit, Jeſus nomen Hebraice quidem *Cælum*, ſive Cæli figuram eſſe; ab eo tamen *Cælum, & Terram contineri*; ac ſic non ſex litteris, quas Valentiniani confingebant, ſed duabus, & dimidia littera Hebraica compoſitum eſſe, ac proinde eodem nomine etiam Hebraice ſcripto illud eorum Hæreticorum figmentum everti: cum idem ſanctiſſimum Jeſus nomen non triginta Æones, ſed unum Cæli, & Terræ Dominum, qui ea continet, profecto adſignificet. Hæc ergo Dallæi ſtupentis, & falſa obiicientis commentum arcent: quippe quæ & Hebraica, ac græca lingua, & res ipſa, & Scriptura Sacra prædoceant.

Sed quis ſine ſtupore legere poteſt Dallæi librum, ubi ipſe & omnia, & priorem, & poſteriorem Irenæi textum confundit? Nam in priore allato textu Irænæus de Dei nomine *Barach*, quod Deum *Benedictum* ſignificat, locutus eſt. Et verò Dallæus non modò id ad poſteriorem textum refert, verum etiam *Baraet* perperam legit: cum in antiquiſſimo Claromontano S. Irenæi codice non *Barnet*, ſed Barach perlegatur.

Præterea in illo priori contextu extant altiſſimi nominis Jehovæ *litteræ*, quæ primæ, & *Sacerdotales* ab Irenæo ideo nuncupantur, quia eas primis, & vetuſtiſſimis characteribus, quos ſcilicet Judæi ante Babylonicam captivitatem adhibebant, exaratis in aurea lamina fronti appenſa ſummus Sacerdos geſtabat. Tum autem Hebræi quoniam in priori ſua litterali numerorum columna novem litteras antiquitus deſcribebant; idcirco, ut *decem* efficerent, *noviſſimam* ejus columnæ *litteram primæ*, quæ Aleph eſt alligabant: quo computandi modo Græci protinus carent. (a) Altiſſimum verò Jehovæ, hoc eſt Dei nomen Hebraicum quatuor litteras habet qua ex nota Irenæus deducebat, græcam ſex litterarum ſupputationem, quas Valentiniani multiplicantes trigintra Æonum, ſive Deorum numerum efficiebant, Hebraico illi quatuor litterarum nomini neutiquam coreſpondere, atque adeo triginta illos Deos fictos agnoſci, & unum eſſe verum Deum Jehova nuncupatum.

Cum autem ex pluribus nominibus, quibus unum Deum Sacræ litteræ notant iidem Gnoſtici plures Deo falſo colligerent: tum Irenæus eadem nomina Hebraice, Græce, ac Latine deſcribit, ab iiſque unum Deum ſignificari commonſtrant. Impri-

(a) *Nota. Hoc nomen Hebraice ſic ſcribebatur:* י *in quo Littera* יהוה *Dimidia apparet.*

primis Adonai vocabulum *nominabile* aſſerit, quoniam Hebræi, ne ſacrum Jehove nomen continua pronuntiatione viluſceret, ei Adonai ſubſtituebant, quo unum ipſum Deum *Dominum*, qui in omnibus operibus ſuis admirabilis eſt, appellabant. Ac ſecundum Scripturas divinas Iræneus addit, quod adhibitis quibuſdam Græcis litteris nomen & Adonai, & Sabaoth, & Jaoth ſignificat *Dominum præfinientem menſuras*, *ſeparantem aquas a terra*, ac *mala fugantem*. Quid plura? Ipſe Irenæus apertius ſcribit, quod illis nuncupationibus *Dominus* virtutum, & Pater *omnium*, & *Deus omnipotens*, & *altiſſimus*, & *Dominus Cæli*, & *Terræ*, *omniumque creator*, *atque unus Deus* qui continet omnia, liquido *oſtenditur*: quæ claræ, & certæ S. Irenæi explicationes & plures Deos a Valentinianis confictos, & nuperum cenſorem ficte ſtupentem evertunt.

Exinde Clemens Alexandrinus libro IV. Stromatum, quem Dallæus citat, trium Patriarcharum, atque etiam Rebeccæ notiones ita ediſſeruit:
„ (a) Accipiamus Enoch, qui in obe
„ dientia juſtus inventus, fuit tran
„ slatus: & Noe, qui cum credidiſ-
„ ſet, fuit ſervatus: Et Abraham qui
„ propter fidem, & hoſpitalitatem
„ Dei amicus, Pater autem Iſaac eſt
„ appellatus.... Sapientiſſimus Mo-
„ ſes pulchrè (b) Epanalepſi, ſeu re-
„ petitione uſus ſignificavit caſtit -
„ tem in corpore, & anima, corpo-
„ ris, & animæ incorruptionem deſ-
„ cribens in Rebecca hoc modo: *Vir-*
„ *go autem erat* pulchra: *Vir non* (c)
„ *cognovit* ipſam. Rebecca autem ex-
„ ponitur Dei Gloria: Dei autem
„ gloria eſt incorruptio. Hæc eſt,
„ quæ vere eſt juſtitia nolle rei al-
„ terius plus, quam par ſit, habere;
„ ſed totum eſſe Templum Domini
„ ſantificatum.

(d) Idem Clemens in ſequenti libro quinto Stromatum Abrahæ Fidem, & cognitionem commendat his verbis: „ Abrahæ autem, qui credi-
„ dit reputata fuit juſtitia. Is cum
„ ſublimem eorum quæ in aere eve-
„ niunt, & excelſam eorum, quæ in
„ Cælo moventur, perſequeretur Phi-
„ loſophiam, vocatur Abraham;
„ quod exponitur Pater ſublimis.
„ Poſtea autem cum in Cælum ſuſ-
„ pexſit, ſive viſo in ſpiritu Filio,
„ ut quidam exponunt, ſive glorioſo
„ Angelo, ſive etiam alias cognito
„ Deo, creatura preſtantiore, quoli-
„ bet, ut eſt in ipſo, ordine aſſumit
„ Alpha nempe cognitionem unius,
„ & ſolius Dei, & dicitur Abraham,
„ ut qui pro naturæ indagatore ſa-
„ piens, piuſque in Deum, & ejus
„ amicus factus eſſet. Exponitur
„ enim Pater electus ſonitus. Ver-
„ bum enim voce prolatum ſonat. Hu-
„ jus autem Pater eſt mens: ejus au-
„ tem, qui eſt virtute præditus, eſt
„ mens electa. Mihi autem lubet A-
„ gragantinum Poetam laudare; qui
„ Fidem laudibus ſic celebrat: dile-
„ cti: Scio, quia verum ſermonibus
„ inſit,.... Atque ægre mentem Fi-
„ dei ſubit impetus ipſam.

(a) *Clem. Alex. lib. IV. Strom. pag. 506. & ſeq.*

(b) *Inibi pag. 539.*

(c) *Gen. 24.*

(d) *Clem. Alex. lib. V. Strom. pag. 549.*

Nihil in iſtis veluti mirificum, ac non rectum, quod Dallæus carpat, invenitur. Nam *Abraham propter Fidem Dei amicus, & Pater Iſaac, ac Pater ſublimis Hebræorum* (a) nimirum, & *gentium*, quas Clemens antea expreſſerat, *appellatus* eſt: ob eamque *Fidem* quam Abraham a Deo acceperat, & ore confeſſus fuerat, Clemens ibidem pronuntiavit Abraham exponi etiam *Patrem electum* non ſoni, quem Dallæus a nat, ſed *ſonitus verbi* quod videlicet *voce prolatum ſonat*; cujuſque *Pater* eſt *electa mens* ejus, qui *virtute præditus* eſt, itaut *mentem Fides ſubeat*, & verum in *ejus ſermonibus inſit*. Hoc igitur modo Abraham *exponitur Pater electus ſonitus verbi*; quatenus Abraham *Fidem*, quam Dei gratia, & *mente* ſua conceperat, *voce protulerit*, ideoque *propter unius*, ac *ſolius Dei Fidem vocatus fuerit ſublimis Pater* Iſaac, *Hebræorum*, ac *Gentium*. Id Clementis verba præſeferunt, & contra Dallæi cenſuram recte ſignificant.

Ad hæc Clemens Rebeccam, quæ prius quam nuberet, *Virgo* erat, Dei *Gloriam* interpretatur. Atqui Fidelis virgo *ſantificatum* eſt *Dei Templum* utique Deo Gloriam afferens, & honorem. Clemens itaque Rebeccam, cum virgo eſſet, Dei Gloriam exponi bene affirmavit.

Hoc loco Theophilum Antiochenum qui Clementi Alexandrino coævus fuit, adducam; ejuſque verba hæc, quæ de Melchiſedecho, & Hieruſalem fecit, nunc proferam: „ (b) „ Erat, inquit, illo tempore Rex juſtus nomine Melchiſedech in Urbe „ Salem, quæ nunc Jeroſolyma. Hic „ primus fuit omnium Sacerdotum „ Dei altiſſimi, ab eoque Hieruſalem appellata eſt ea, quam paulò „ ante diximus, Hieroſolyma.

Hinc mirum non Theophili, ſed Dallæi figmentum liquido apparet; quo is recentior ait, quod „ Theophilus Antiochenus ante Melchiſedechum Jeruſalem dictam Jeroſolymam, ab eoque deinceps Jeruſalem dictam; conſcribat „. Iſtæ ſunt nuperi Cenſoris fictiones; quas Theophilus ipſe conceptis verbis eliminat; quibus id protulit, quod *erat illo tempore* Abrahami nimirum *Rex Melchiſedech in Urbe Salem, quæ nunc Jeroſolyma*. Non igitur Theophilus ſcripſit, Hieruſalem ante Melchiſedechum Jeroſolymam nuncupatam; ſed id apertiſſime enuntiavit, *Melchiſedechum fuiſſe Regem Urbis Salem*, quæ *nunc*, atque adeo non ante Melchiſedechum, ſed multo poſt ipſum dicta eſt Jeroſolyma. Et verò Dallæus *particulam ante*, quam Theophilus ultimo loco poſuit, de temporibus, quæ Melchiſedechum anteceſſerant, ficte ſumit, & falſo. Nam Theophilus expreſſe affirmavit, ab *eo Hieruſalem apellatam eſſe eam, quam paulò ante diximus, Jeroſolymam*. Hanc ergo particulam *paulò ante* non ad tempora Melchiſedechum antecedentia, ſed ad ſua *paulò ante dicta* Theophillus apertiſſime retulit: in quibus cum etiam *dixerit*, quod *erat Rex Melchiſedech in Urbe Salem*: jam hoc nomine *Salem* Hieruſalem vocabulum ſpeciatim compoſitum eſſe, & primitus hoc modo a Melchiſedecho eam appellatam fuiſſe Hieru-

(a) *Clem. Strom. 3. pag. 430.*

(b) *Theoph. Antioch. lib. 2. ad Antol.*

ruſalem Theophilus voluit, quoniam ipſius Hieruſalem nomen à potiori parte *Urbis Salem, quam Paulò ante dixerat*, duxit, ac propterea nihil effinxit.

Nunc veniam ad S. Hilarium Pictavienſem Epiſcopum Theophilo (a) Antiocheno poſteriorem, qui *Sehon* improprie voluit *infructuoſam* arborem dici, & proprie *infructuoſum*, & infidelem *Amorrhaeorum* Regem *Sehon* in Pſalmo 134. ſignificari.

Hanc porro ſignificationem S. Hieronymus in Epiſtola ad Marcellam non improbavit; ſed in illa egit de alterius Pſalmi, in quo Propheta de *Excuſſorum filiis* loquitur, explicatione, quam S. Hilarius hoc pacto adornarat: „ (b) Pharao in mari rubro in interitum ob crimen „ impietatis excuſſus eſt. Excuſſum „ quoque Apoſtolicis pedibus pulve„ rem ſcimus ſententiam eſſe maledi„ cti. Et quia ſive Prophetæ ipſi, „ qui excuſſorum, ideſt, peccato„ rum, & maledictorum filii, tan„ quam volantes, & fideles ſagittæ „ doctrinæ cæleſtis emiſſi ſunt: vel „ Apoſtoli Eccleſiarumque Doctores „ de excuſſis per impietatem ſuam „ in maledictum gentibus credide„ runt: ideo ait, *tanquam ſagittæ in* „ *manu potentis*, ita *filii excuſſorum*.

Nec vero iſtam celebrem expoſitionem S. Hieronymus repulit Epiſtola ſua ad Marcellam: quæ cum argute dixiſſet, *Apoſtolos excutientes* pulverem potius, quam excuſſos ab Hilario dici oportuiſſe: (c) tum primum Hieronimus ei ita reſpondit: „ Tan„ tum virum, & temporibus ſui„ diſertiſſimum reprehendere non aus„ deo; qui & confeſſionis ſuæ meri„ to, & vitæ induſtria, & eloquen„ tiæ claritate ubicumque Romanum „ nomen eſt, prædicatus: niſi quod „ non ejus culpæ adſcribendum eſt, „ qui Hæbræi ſermonis ignarus fuit, „ græcarum quoque litterarum quan„ dam aurulam ceperat. Sed ab He„ liodoro Presbytero, quo ille fa„ miliariter uſus eſt, ea quæ intel„ ligere non poterat, quomodo ab „ Origene eſſent dicta quærebat, qui „ quia huic Pſalmo commentarium „ Origenis invenire non potuit, opi„ nionem magis inſinuare ſuam, „ quam inſcitiam voluit.

Deinde Hieronymus ea veluti retractans iſtud ſubjunxit: „ Legi & „ cujuſdam librum & elegantem in „ eo ſenſum reperi excuſſos Judæos „ dici a Templo, & lege, & gratia „ Domini pro eo, quod eſt, repro„ bos; & eorum eſſe filios Apoſto„ los, qui ex ipſorum ſemine pro„ creantur, & in ſimilitudinem ſa„ gittarum manu Domini continean„ tur.

Itaque Dallæus fingit, Heliodorum in eo negotio parum ingenue verſatum fuiſſe. Atqui id Hieronymus non dixit, ſed primum ſolummodo arguit illius inſcitiam: deinde verò hæc verba quaſi retractare videtur, cum aperte admittat S. Hilarii explanationem ab Heliodoro partim inſinuatam; qua ille edifferuerat, infide-

(a) *S. Hil. Tract. in Pſal. 134. Tom. 1. pag. 134.*

(b) *S. Hil. Tract. in Pſal. 126. Tom. 1. pag. 474.*

(c) *S. Hier. Ep. 34. Ad Marcel. Tom. 1. pag. 154. & ſequent.*

fideles Judæos *excuſſos*, aut *maledictos* aut *reprobos* nuncupari; quorum *filii*, ſive ex eorum *ſemine procreati Fideles Prophetæ*, & Apoſtoli fuerunt; qui tamen *emiſſi ſunt tanquam* ſagittæ *Doctrinæ Cœleſtis in manu potentis Domini contentæ*, *Gentibus impiis in maledictum excuſſis*. Ecce Hilarii expoſitio alteri interpretationi, quæ Hieronymo admodum placuit, apte reſpondet, cujus proinde approbatione Hieronymus priora ſua dicta, quibus Hilarii, & Heliodori enodationem excutere videbatur, haud obſcurè retractavit. Quamobrem Hilarius optime docuit, *excuſſum pedibus Apoſtolicis pulverem eſſe maledicti ſententiam*. Ergo hic *Apoſtolos excutientes pulverem*, ſive proferentes *maledicti ſententiam* in *Gentium* aliquarum *impietatem*, qua iſtæ verbum Dei non recipiebant, diſerte intellexit. Quamvis igitur Hilarius *Hebræi ſermonis ignarus* extiterit, & quamdam Græcæ linguæ *aurulam caperit*: nihiloſecius ſacras litteras recte enodavit, cui illius Pſalmi interpretationem facienti Heliodorus quædam ingenue inſinuavit.

Sed & Dallæus abrupto ordine ad nominum quorumdam interpretationem iterum tranſit, quam de Chorath, & Oreb Hebraicis nominibus S. Ambroſius fecit, ac priori nomine intellectum, & poſteriori *quaſi* cor ſignificari denotavit. Cum autem particula *quaſi*, quam ipſe Dallæus refert minus ſtrictam illorum nominum expoſitionem ſignificet: hæc ſenſu minus ſtricto, & improprio ab Ambroſio ſumpta videtur; ideoque non eliminanda putatur. Simili fere modo Ambroſius Pſalmum 118. enarrans, voluit non ſecundum litteralem Alphabeti Hebraici ordinem, ſed ſecundum arithmeticum, numerum Hebraicorum elementorum ſingulos illius Pſalmi verſiculos a ſe expoſitos eſſe, quia adſignificavit, ex Octonariis, quæ numerum arithmeticum exprimunt, Pſalmum illum conſtare.

Atque etiam contra quam Dallæus oggerit, ferri poteſt Ambroſius, dum *exiſtentis* nomen *ὤντα* a græco verbo, quod ſubſtantivum vocant, bene duxit: atque addidit, quod cum *a* & i obviam continentur, hoc nomen ſenſu quidem minus ſtricto *ſemper exiſtens* ſignificet.

Tum S. Petrus Chryſologus (*a*) de Deipara Virgine protulit, *Mariam Hebræo ſermone*, *latine Dominam* eo nuncupari, quod *Dominatoris Genetrix* ſit: qua ex re Domini Manet Maria apte *Domina* nominatur.

Tum S. Philaſtrius Pagani (*b*) nomen prius a *Pago*, ſeu villa duxit: & poſt a *Pagano* Rege Deucalionis, & Pyrræ filio, ut ait *Heſiodus* illud quidem nomen derivarit; ſed hoc *mendacium* eſſe inde vicit, quod *Helles Græcus homo fuit Deucalionis filius*, eruditis utique cognitus. Quo Philaſtrius voluit, falsè Pagani nomen a Pagano Rege ſecundum Heſiodum duci; & vere idem vocabulum a *Pago*, ſive *loco*, derivari.

At Dallæus ludit, & errat, dum S. Hieronymum vocat non tam impru-

(a) *S. Petr. Chryſ. ſerm.* 142.

(b) *Phil. Her.* 900.

prudentem, (a) quam ludentem, cum aliquas Hebræas Prophetæ Sophoniæ voces latinè profert, & explicat. Atqui S. Doctor nec imprudens, nec ludens, ſed ſerio agens, Judæos, qui plura vana de quibuſdam Sophoniæ textibus loquebantur, exagitat: „ & inde iſta ſcribit: *nugas*, ſive ut a- „ quila interpretatus eſt, *tranſlatos*, „ qui a te receſſerunt congregato, „ quia ex te erant; hoc eſt hi, qui, „ per vitia, atque peccata de tuo ſinu „ fugerunt, & facti erant ſub Dæmo- „ num poteſtate, redintegrato om- „ nium ſtatu venient ad te; & ne „ quaquam ultra ſuper perditis filiis „ tuis patieris opprobrium. Id, quod „ diximus *nugas* ſciamus in Hebræo „ ipſum eſſe latinum ſermonem, & „ propterea a nobis ita, ut in He- „ bræo erat, poſitum; ut noſſe poſ- „ ſimus, linguam Hebraicam omnium „ linguarum eſſe matricem.

Ergo Dallæus imprudenter, ac temere appellat ludentem Hieronymum, & nugas a voce Hebraica *Noghè* derivantem. Quid autem tam temerarium, tamque indignum, quam aut falſum ſentire, aut, quod non ſatis cognitum eſt, ſine ulla dubitatione defendere? velut in hac cauſa Dallæus dicit, quod Hieronymus ab Hebraico illo vocabulo noghè nugas latine duxerit: quam falſiſſimam Cenſoris objectionem idem Hieronymus confutavit, dum ſcripſit, *Nugas in Hebræo ipſum eſſe latinum ſermonem; & propterea a nobis ita, ut in Hebræo erat, poſitum*. Non igitur noghè, uti Dallæus perperam legit, in Hebræo extabat: ſed in eo *nugas* erat, quod indeclinabile, ut ajunt, Hebraicum nomen Hieronymus latinè non tranſtulit *Nugas*: *Nugas* enim latino ſermoni reſpondens *erat* in Hebræo: quæ vox Hebraica latinè non nugas, ſed, ut Aquila *interpretatus* eſt, *Tranſlatos* ſignificat; ac proinde non luſit Hieronymus, quippe qui *nugas* indeclinabile Hebraicum nomen non in latinas declinabiles nugas, quas Dallæus ſumit, ſed id latinam tranſlatorum vocem recte tranſtulerit.

Præterea Hieronymus nominis Pauli ſignificationem ab Hebraica lingua bene petiit: quoniam S. Paulus Apoſtolus antea Saulus vocabatur; quod nomen ab hebræis acceperat; cujus nominis prior littera in aliam poſtea mutata fuit. Hac ergo litterarum commutatione quædam græca Cemonis, Oneſimi, Timothei, aliorumque vocabula fieri hebraica; ab iiſque aliquando illorum ſignificationem repeti Hieronymus docuit.

Alia videamus. Et quidem Juſtinus ex memoriæ tarditate, in qua aliqui etiam Eruditiſſimi quandoque verſantur, ut Sophoniæ locum, qui tamen apud Zachariam habetur, adduxit, & Hieremiam pro Daniele adlegavit: ſed tamen ea ut Sacræ Scripturæ teſtimonia optime attulit.

Verum S. Hilarius non ex memoriæ lapſu, ſed ex varia Codicum græcorum lectione protulit, (b) S. Paulum Apoſtolum quædam verba ex primo Pſalmo, quæ tamen in ſecundo leguntur, attuliſſe. At vero Paraphraſtes apud Corderium monuit, apud Hebræos *primum*, & ſecundum Pſalmum eſſe conjunctos; quam conjun-

(a) *S. Hier. Comment. in cap. III. Soph. Tom. VI. pag. 726.* (b) *Act.* 13.

junctionem nonnulli Græci Codices exhibent: quibus motus Hilarius, & utriuſque Pſalmi verba, & Oracula amplexus, putavit, ſecundum (a) *Pſalmum cohærentem primo, veluti primi extimum* ab Apoſtolo Paulo in Apoſtolorum Actis adlegatum fuiſſe. Non igitur Hilarius negavit, eum Pſalmum, quem *ſecundo* loco plerique græci, & latini Codices certò referunt, eſſe ſecundum; ſed id voluit, ob conjunctionem illam ab Apoſtolo Paulo ſecundum Pſalmum *veluti primi extimum*, atque adeo velut priore poſteriorem laudari.

Jam S. Epiphanius bene (b) enarravit, Divinas Scripturas, cum de quibuſdam hominibus loquuntur, eorumque *animas* dinumerant, de potiori parte exponendas eſſe, ob quam videlicet animæ nomine, *totus homo*, cujus pars potiſſima anima intelligens eſt, accipiatur, id Epiphanius ita probavit: „ Jacob in Ægyptum deſcendens animas ſecum LXXV „ duxit: nec illas (c) quidem corporibus ſolutas, ſed cum ipſis conjunctas. Item *erant*, inquit Lucas, „ qui Apoſtolorum Acta conſcripſit, „ *in navigio animæ circiter octoginta*. (d) In cujus loci margine ponitur numerus CCLXXVI, ut legitur in capite XXVII: verſu XXXVII: Actorum Apoſtolorum. Sive igitur Epiphanius in Codice hunc poſteriorem integrum numerum non habente legerit *octoginta*; ſive operum Epiphanii exſcriptor aliquem numerum omiſerit: jam & certus eſt ille numerus CCLXXVI; utpote in pleriſque ſacris Actorum Codicibus græcis, ac latinis exiſtens: & recta eſt illa explicatio de qua, ut præmonuimus, Epiphanius tantum agebat. Huic vero excidit, illa, *noli me tangere*, a Chriſto dicta eſſe non ſuæ Matri, ſed Mariæ Magdalenæ.

Dehinc S. Hieronymus de (e) illo Habacuc teſtimonio, quod Apoſtolus Paulus adlegarat, ſic loquitur: „ Porro quod Apoſtolus ſeptua„ ginta Magis teſtimonio abuſus eſt „ ad Romanos ſcribens, *juſtus autem* „ *ex fide mea vivet*: & non eo, quod „ habeatur in Hebraico cauſa perſ„ picua eſt. Scribebat enim Roma„ nis, qui Scripturas Hebraicas ne„ ſciebant: nec erat eis cura de „ verbis, cum ſenſus eſſet in tuto; „ & damnum ex eo præſens diſputa„ tio non haberet: aliqui ubicumque diverſus eſt ſenſus. Et aliter „ ſcriptum eſt in Hebræo, aliter in „ Septuaginta.

Porro in veteri Græco Epiſtolarum Apoſtoli Codice, quem Victorius exhibet, ea, quæ ex Habacuc, & Septuaginta verſione Apoſtolus in Epiſtola ad Romanos adduxit, ita leguntur: (f) *Juſtus autem ex Fide mea vivet*: tum in Epiſtola ad Hebræos illud Habacuc teſtimonium ſic attulit: *Juſtus autem meus ex Fide vivit*. Quamvis ergo in latina Epiſtolæ ad Romanos, & Epiſtolæ ad Galatas verſione vox *mea* certe non ha-

(a) *S. Hil. Tract. in Pſal. 2. pag. 31. T. 2.*
(b) *S. Epiph. in Ancor. num. LIX.*
(c) *S. Epiph. in Ancor. num. LIX. pag. 61. Tom. 2.* (d) *Ib.*
(e) *S. Hier. Comm. in Habacuc lib. 1. cap. 2. pag. 612. Tom. V.*
(f) *Nota. Hæc in antiquiſſimo codice Vaticano eodem modo græce habentur.*

habeatur: tamen & in græca Septuaginta interpretum verſione Prophetarum Oracula continente, & in vetuſtiſſimo græco Epiſtolarum Pauli codice eadem vox mea, & in latina Epiſtolæ ad Hebreos verſione *meus* dubio procul reperiuntur. Itaque Hieronymus optime ſcripſit *Apoſtolum* Septuaginta teſtimonio uſum fuiſſe; ejuſque *ſenſum*, quo Fides juſti donum Dei creditur, *in tuto* ſic eſſe, ut Dominus juſtiſſime dicat, *Juſtus ex Fide mea vivet*. Quem ſenſum tenet, & eadem enuntiatio ex Hebræo textu ita prolata, *juſtus ex Fide vivet*, & illa, *juſtus meus ex Fide vivet*: quas lectiones latinus Pauli Epiſtolarum interpres ſecutus, S. Hieronymo, qui in concilianda priori Apoſtoli adlegatione, & *ſenſu* laboraverat, admodum favit.

Cum autem Dallæus ſuas commentationes a legitimis Hieronymi Operibus modo laudatis abiectas videret: tum ad ſcripta Patribus ſuppoſita, quæ Cenſor antea adductus eliminarat, ſiniſtre recurrit, ac librum Synopſeos S. Athanaſio Alexandrino Epiſcopo adſictum citavit, cujus Auctor tertium Eſdræ librum apocryphum pro primo, quem omnes agnoſcunt, evidenter accipiat. Sed his dictis Cenſor evidentius fallit, & fallitur. Nam primus, & ſecundus Eſdræ liber tanquam unus, in antiquiſſimo Hebræorum canone recenſetur: quos ut duos libros Canonicos Eccleſia Apoſtolica ſemper novit, & credidit: quæ tamen tertium, & quartum librum, qui ſub Eſdræ nomine circumferuntur, uti apocryphos repulit. At vero tertius apocryphus Eſdræ liber in nonnullis exemplaribus græcis primum ſcriptus invenitur: & deinde in iiſdem primus Eſdræ liber Canonicus, & tertio loco ſecundus Eſdræ Canonicus liber exhibetur. Quibus poſitis extruditur Dallæi fallacia. Etenim græcus ille Synopſeos ſcripturarum Auctor tertium Eſdræ librum apocryphum primo loco in ſcripturis numeravit: & ſecundo in loco primum Eſdræ librum, quem ut Canonicum & Hebræi (*a*) vetuſtiſſimi, & Catholici omnes agnoſcunt, perperam poſuit. Non ergo nothus ille ſcriptor tertium illum apocryphum librum pro primo, quem univerſi Orthodoxi Canonicum eſſe credunt, accepit: ſed tertium ipſum apocryphum priori Eſdræ libro Canonico antepoſuit, eundemque tertium Canonicum eſſe falsò putavit: quoniam ipſe tertius liber in Hebræorum, & Eccleſiæ Canonicæ Canone nunquam poſitus fuit, ob idque apocryphus certè cenſetur contra illius nothi exploſam Dallæi fallaciam, qui & ſcripta Patribus ſuppoſita minus bene profert in medium, & ipſa ſiniſtre interpretatur.

Sed hic Cenſor errore ductus Leonis Iſauri Iconoclaſte erratum, & alia commenta Gregorio II. Pontifici Maximo falſiſſime imputat. Cum (*b*) enim Leo ille Sacras Imagines impie rejiceret, atque ænei ſerpentis è Templo Judaico ejecti exemplo abuteretur, ipſi Gregorius ita reſpondit: „Sic ad nos ſcripſiſti: Ozias Rex Judæo-

(a) *Vide P. Calmet. diſſertationem de libris Apocryphis Eſdræ Tom. 3. Comm. in ſac. Script.*

(b) *Greg. II. Epiſt. prima ad Leon. Iſaur. Tom. VIII. Concil. pag. 634.*

„ rum poſt Annos octingentos ſerpentem æneum è Templo ejecit:
„ Ego verò poſt annos octingentos
„ Idola ex Eccleſiis ejeci, verè &
„ Ozias Frater erat tuus, & eadem
„ erat qua tu pertinacia præditus,
„ illiuſque Templi Sacerdotibus vim
„ afferebat, ut Tu facis.

Non ergo Gregorius II. ſed Leo Iſaurus *ſcripſit* quod *Ozias è Templo ſerpentem æneum ejecit*, quem poſtea Ezechias ejus nepos confregit: quem ſerpentem proinde ab Ozia non confractum, ſed *ejectum* ille ex futili Judæorum, quos nequiter ſequebatur, relatione contendit, & ſacras imagines impie vocavit idola; quæ certe non erant Sacræ Chærubim, & Seraphim imagines ſuper Dei Arcam, & in Templi interioris parte etiam poſitæ. Eam porrò narrationem, & Leonis errorem, ac *pertinaciam* Gregorius ſecundus haud obſcure coarguit, dum *Oziam ſacerdotibus vim attuliſſe* ſolum reſcripſit, (a) quod verum ac ſceleſtum Oziæ facinus narrat Scriptura Divina: ubi legitur, Oziam in Templo tentaſſe, ut in Altari thymiamatis incenſum ipſe adoleret: cui cum Azarias Pontifex, ac reliqui Sacerdotes obſiſterent, clamitantes, munus illud incenſi adolendi ad Sacerdotes ſpectare: tum eis minas intentans Ozias, lepra correptus eſt. Dallæus itaque fingit, Gregorium acriter invehi in Oziam propter ſerpentem æneum comminutum, eumque Regem Leonis Iſauri Fratrem ob fractum ſerpentem a Gregorio vocari, ac ſceleſtiſſimis accenſeri: quæ ratio a Cenſore ideo ficta eſt, quia Gregorius non ob Serpentem æneum aut ejectum, aut comminutum, ſed ob illam *vim*, quam Ozias *Sacerdotibus attulit*, *Leonem* Iſaurum, qui ad ejiciendas ex Eccleſia Imagines vim Catholicis Sacerdotibus afferebat, Oziæ *Fratrem* appellat, & Dallæi figmenta difertis verbis eliminat. Non ergo Gregorius probro vertit Oziæ, quod comminuerit æneum Serpentem quem inde Ezechias a ſacra Scriptura laudatus perfregit: ſed quia idem Ozias *vim Sacerdotibus attulit*, Divinis litteris id facinus referentibus, ac reprobantibus.

Prætereundum eſt, quod S. Gregorius Nanzianzenus, (b) & in *carminibus*, & in Jambicis ſcrible, Davidem in eum animadvertiſſe, qui Abſalomi cædem ipſi nunciaverat. Hoc enim Nanzianzenus in verſibus ab Aldo correctis dixit, ut modo minus ſtricto ſignificaret, quod David Joabum, a quo Abſalom interfectus eſt, morte premendum poſtea voluerit. Non igitur Nanzianzenus de eo, qui Saulem interemit, ejuſque mortem Davidi retulit, loqui videtur.

Tum autem Dallæus S. Ambroſio falſe appingit, quod antiquatam de Phœnice narrationem comprobavit ſacrarum Scripturarum authoritate contra quod Dallæi figmentum Ambroſius (c) de Phœnice hæc ſcripſit:
„ Hoc relatione crebra, & ſcriptorum authoritate cognovimus, memoratam avem quingentorum
„ annorum ſpatia vitali uſui habere. Vi-

(a) *Reg.* 1. (b) *S. Greg. Nanzian. Carm. St. Tom.* 2.

(c) *S. Amb. lib. V. in Exam. Cap.* 23. *Tom.* 1.

Videlne? non ſcripturarum, ſed *ſcriptorum* nomen hic Ambroſius exaravit: a quo proinde ea, quæ apud auctores vel Ethnicos, vel certe Eccleſiaſticos de Phænice legeret, ſcripturis imputata fuiſſe, Dallæus falſiſſime affirmat, cum S. Doctor non ſcripturas, ſed *ſcriptores* expreſſe adlegarit: (*a*) qui ſi alibi id, quod de Phænice dicebat, Aquilæ tribuit: hoc non ejus memoriæ tarditati, ſed ſcriptoribus Ethnicis deputandum eſt: aliqui enim Patres eo exemplo, quod apud ſcriptores prophanos legebatur, uſi ſunt ad ipſos incredulos revincendos, qui futuræ hominum mortuorum reſurrectioni nequaquam credebant. Quare ſicut quidam Ethnici auctores falsò narrarunt, Phænicem mortuam ex ſuis reliquiis renaſci; ita alii Ethnici hoc ipſum Aquilæ falsò tribuerunt: quia eorum *Relationem*, & ſcripta Ambroſius adduxit; qui proinde non ex memoriæ lapſu, ſed ex Ethnicorum vel relatione, vel libris, ea, quæ prius *Phænici* imputarat, Aquilæ poſtmodum tribuit nulla facta Scripturarum mentione.

Sed Dallæus inde ait, quod (*b*) Innocentius III. velut ex divinis libris citat, quæ in Auguſtinianis habentur. Ad quæ oſtentanda Cenſor affert ex corpore juris canonici, & conſtitutiones extravagantes, & earum Titulum XI. de *Celebratione Miſſarum*: quo tamen in Titulo, ejuſque capitibus non reperiuntur illa verba quaſi ab Innocentio III. prolata, cum *Sacra Scriptura dicat auctoritas, quod injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre*; quam poſteriorem enunciationem S. Auguſtinus (*c*) ex certa traditione protulit. Sed tamen cum iſtius effati adlegatio ex ſacra Scriptura in illo extravagantium Titulo, & capitibus minime extet; hæc Innocentio III. ſuppoſita eſt.

Afferam dehinc ea S. Ambroſii (*d*) teſtimonia, quæ Heterodoxus Cenſor ſubleſta Fide producit.

Primum itaque S. Ambroſius de Pharaone ſic loquitur: „ Pharao cum „ populo ſub fluctibus merſus Mun„ danæ converſationis exemplum eſt; „ ne quis Dei populum perſequatur. „ Denique potuit eum Deus volun„ tati ſuæ facere obedientem. Sed ejus „ pœna omnes voluit emendari; deo„ que dicit ad eum Dominus, quod (*e*) „ *ad hoc ipſum te excitavi, ut oſtende„ rem in te virtutem meam.*

(*f*) Idemque Ambroſius dum exponit illa Evangelica verba: „ *Hic pec„ cavit, an parentes ejus, ut cæcus „ naſceretur:* (*g*) hæc ait: Diſcipuli in„ terrogant, *Hic peccavit, an paren„ tes ejus.*

Demum Ambroſius (*h*) Fratrum Machabæorum Martyria enarrans, de Antiocho Rege; qui eos cruciandos inique juſſerat, hæc dicit: „ *Juſſit* „ quartum vinciri ad rotam, ut ejus „ vertigine membris omnibus ſolve-

 re-

(a) *S. Amb. lib. 2. de Tranſit. Cap. 2.*

(b) *Nota. Legendus eſt libri tertii extravagantium Titulus XI. de Celebratione Miſſarum pag. 372. & ſeq. juri Canonici Edit. Lugd. an. 1661.*

(c) *S. Auguſt. Serm. 17. de verbis Apoſtoli.* (d) *S. Amb. pag. 149. Tom. 2.*

(e) *Exodi IX.* (f) *Joan. IX.*

(g) *S. Amb. Epiſt. 45. lib. VI.*

(h) *S. Amb. lib. 2. de Jacob Cap. XI.*

„ retur immaniter. Diſſoluis inquit, „ Corporis membra, ſed adiungis „ gratiam paſſioni: nec eripis ſolatium meriti. Eſt enim vox Tonitrui in Rota: quia in bono, & inoffenſo vitæ iſtius curſu celeſte reſultat Oraculum: ſicut in Joanne, „ & Jacobo filiis Tonitrui reſultabat.

His Dallæi fallaciæ exploduntur; quibus primitus falſiſſime effutit, S. Ambroſium dixiſſe, quod Dominus illa, *in hoc ipſo ſuſcitavi te, ut oſtenderem in te virtutem meam*, Moyſi dixerit: Quis Dallæum falſa pronuntiantem non intuetur. Nam & Ambroſius in toto illo textu non de Moyſe, ſed de Pharaone ſermocinatur, & in conſequentibus connexis tractat de *pœna*, qua ipſe *Pharao*, non Moyſes, *ſub maris fluctibus merſus eſt*, *Dei virtute*, ac potentia: *ideoque* ad *eum Pharaonem*, non ad Moyſem, Deus dixit, *te excitavi*, ſive *ſuſcitavi*, *ut oſtenderem in te virtutem meam*; quam *virtutem in Pharaone ſub fluctibus merſo Deus oſtendit* ſecundum Sacras Litteras, & Sanctum Ambroſium; qui proinde non Moyſi, ſed Pharaoni ea verba a Deo facta eſſe commonſtrat.

At Dallæus incepta falſitate non abſtitit, ajens, quod relatam Diſcipulorum interrogationem Judæis Ambroſius attribuat; qui tamen Dallæi enuntiatum mendax eſſe oſtendit, cum apertiſſime dicat, *Diſcipuli interrogant, Hic peccavit*, an Parentes ejus?

Rurſus Cenſor fruſtra Ambroſium appetit in illa oratione in qua mentio fit Joannis, & Jacobi Filiorum *Tonitrui*, qui longe poſt Machabæos fratres vixerunt, quorum orationem uni ex illis Machabæis Fratribus, qui multo ante Jacobum, & Joannem ſub Antiocho paſſi fuerant, ab Ambroſio tribui, Cenſor perperam aſſerit: cum Ambroſius non Joannis, & Jacobi orationem, ſed ſimilitudinem vocis *Tonitrui* in *Rota*, qua unus ex Machabæis Fratribus dilacerabatur, ei tantum adſcripſit: *Vox*, inquit, *Tonitrui in Rota. Quia in bono, & inoffenſo vitæ iſtius curſu celeſte reſultat Oraculum, ſicut in Joanne, & Jacobo Filiis Tonitrui reſultabat*. Atqui particula *ſicut* non orationem, ſed ſimilitudinem expreſſe declarat; quia ſcilicet *ſicut in bono & inoffenſo vitæ curſu cæleſte reſultat* Oraculum, quo Joannes, & *Jacobus* appellati ſunt *filii tonitrui*; ita in *Rota*, in qua vox quædam *Tonitrui* erat, unus ex illis Machabæis Fratribus *bonum vitæ*, ac paſſionis *curſum* peregit. Multas autem ſimilitudines immo Oracula ex Novo Teſtamento ad explicandum, & defendendum Vetus antea conditum, antiqui Patres doctiſſimi, & recentes Theologi adducunt. Hinc Ambroſius orationem, ſive appellationem *Filii Tonitrui*, quo nomine Novum Teſtamentum laudatos Apoſtolos donat, uni illi veteris Teſtamenti Martyri non adſcripſit: ſed de Novo Teſtamento ſimilitudinem *Tonitrui* deſumpſit, ut agitatæ *Rotæ*, ac velut Tonantis *vertigine bonam*, & inoffenſam ab illo Machabæorum Fratre vitam peractam, & glorioſum Martyrium in *Rota* ab eo ſuſceptum fuiſſe deſcriberet.

Sic è Novo Teſtamento Tertullianus, cujus teſtimonium minus bene a Dallæo adfertur, documenta cepit, ut illud veteris Teſtamenti Oraculum novo conſonum, quo Deus Moy-

Moyſi uti ſuo miniſtro dixerat *non te contempſerunt, ſed me*, contra Marcionem enuclearet; adverſus quem Tertullianus ita diſſeruit; „ (a) Porro „ cum etiam Creator in Deuterono- „ mio Amonitas, & Moabitas prohi- „ beat recipi in Eccleſiam, quod po- „ pulum in Ægypto profectum inhu- „ mane, & inhoſpitaliter copiis de- „ fraudaſſent: ergo in Chriſtum inde „ manaſſe conſtabat communicatio- „ nis interdictum, ubi habet for- „ mam, *qui vos ſpernit, me ſpernit*: „ Hoc & Moyſi Creator, *non te con- „ tempſerunt, ſed me tamen* enim Apoſto- „ lus Moyſes, quam & Apoſtoli Pro- „ phetæ: æquanda erit auctoritas „ utriuſque Officii ab uno, eodem- „ que Domino Apoſtolorum, & Pro- „ phetarum.

Non igitur Tertullianus, ſed Dallæus memoriæ lapſum paſſus eſt, oblitus eorum Evangelii verborum, *qui vos ſpernit, me ſpernit*, quæ Chriſtus Apoſtolis dixit, quæque Tertullianus contra Marcionem, qui unum, eundemque veteris, ac novi Teſtamenti Dominum eſſe impie negabat, non ex memoriæ tarditate, ſed appoſite protulit; non ſolum, ut unum utriuſque legis Deum oſtenderet, verum etiam ut *Moyſem, Prophetas*, & Apoſtolos colendos, ac non ſpernendos eò probaret, quia, cum illi a Deo miſſi fuerint, & *officii* auctoritatem habuerint: tum qui eos ſpreverit, ipſum Deum impiè aſpernabitur; qua de cauſa Tertullianus dixit, quod *Ammonitæ*, qui Moyſem ſpernebant, Deum, qui Moyſi auctoritatem dederat, *contempſerunt*: quem ſenſum proinde ille ſcriptor non ex memoriæ lapſu, ſed ex illo Evangelii textu evicit, atque ediſſeruit.

Pergit Dallæus, & S. Joannem Chryſoſtomum (b) falſa vexat cenſura, quod videlicet pro Habacuc Sophoniam S. Doctor laudarit: qui tamen adverſus Cenſoris figmenta non Sophoniam, ſed *Habacuc* expreſſe allegavit, dum de S. Paulo Apoſtolo Sermonem hunc habuit: „ a Prophe- „ tis rurſus ſermoni fidem conciliat, „ in medium adducens Habacum „ clamantem, & dicentem, non poſ- „ ſe vivere eum, qui victurus eſt, „ niſi per Fidem. Nam *Juſtus*, in- „ quit, *ex Fide vivit*.

(c) Idem Chryſoſtomus acta Apoſtolorum a S. Luca conſcripta ediſſerens, *Soſthenem* apud Gallionis Achajæ Proconſulis tribunal fuiſſe verberatum diſerte ſic ſcripſit: „ Gallione „ autem Proconſule Achajæ inſurre- „ xerunt uno animo Judæi in Paulum, „ & duxerunt eum ad Tribunal.... „ apprehendentes autem omnes Græ- „ ci Soſthenem Principem Synagogæ, „ percutiebant eum ante Tribunal, „ & nihil eorum Gallioni curæ erat.

Cum igitur ex Luca Chryſoſtomus aſſeruerit, Soſthenem *percuſſum* a Græcis fuiſſe ante Gallionis Tribunal: „ (d) inde in argumento Ho- „ mi-

(a) *Tertull. lib. IV. Cont. Marcio: cap. 24. pag. 439.*

(b) *S. Joan. Chryſ. Hom. 2. in Epiſt. ad Rom. Tom. IX. Pag. 440.*

(c) *S. Joan. Chryſ. hom. 39. in Act. Apoſt. pag. 296. Tom. IX.*

(d) *Nota. Chryſoſtomus in argumento Homiliarum in Epiſt. 1. Ad Corint. pag. 2. Tom. X. utitur verbo* τύπτειν *quod & verberare, & pulſare denotat, explicante Schrevelio.*

„ miliarum in Priorem Epiſtolam „ Pauli Apoſtoli ad Corinthios air, „ quod Gallione Proconſule in Tribu- „ nali ſedente Paulus *verberatus eſt:*

Horum autem poſtremorum verborum verſio ex Græco verbo, quo Chryſoſtomus utitur quodque etiam pulſare ſignificat, ſic rectius efficitur: *Paulus pulſabatur:* quam pulſationem Chryſoſtomus ex his S. Lucæ verbis veriſimiliter deduxit: (a) *Gallione autem Proconſule Achaja inſurrexerunt uno animo Judæi in Paulum,* & *adduxerunt eum ad Tribunal:* quam aggreſſionem cum Judæi ſine ulla vi manuum compellente, atque pulſante non fecerint: ex hacce aggreſſione Chryſoſtomus intulit, Paulum pulſatum fuiſſe, ſimulque ab Judæis adductum ad Gallionem Proconſulem in Tribunali ſedentem: quo quidem argumento Chryſoſtomus non inficiatus eſt, Soſthenem percuſſum, aut verberatum eſſe apud Gallionis Tribunal: quippe quem Soſthenem ibidem *percuſſum* fuiſſe, S. Doctor ex Apoſtolorum actis certò affirmaverat: ſed præterea veriſimiliter putavit, Paulum etiam ab Judæis vi pulſatum eſſe, & adductum ad illud Tribunal.

Quod verò attinet ad Judaicum Templum poſterius priori præclarius: primum ponam in medio Divinum Oraculum, quod Deus Judæis hæc dixit: (b) *Magna erit Gloria domus iſtius noviſſimæ pluſquam primæ, dicit Dominus exercituum.*

Dehinc S. Joannes Chryſoſtomus de eodem poſteriori Templo ita ſermocinatur: „ Secunda autem Ædificatio fuit præclarior (c) & pro- „ pter alia omnia: nec propterea „ ſolum eſt magnificum, & vene- „ randum: ſed etiam quod eſſet „ unum, & omnes pulchritudine „ attraheret. Nam a finibus terræ „ illuc veniebant.

Ac S. Hieronymus (d) illud Aggæi Prophetæ vaticinium interpretaturus, Deum loquentem adducit hoc pacto: „ Ego in ornamentum Tem- „ pli aurum, argentumque donabo, „ ut major fiat hujus domus gloria, „ quam prioris: & quia difficile vi- „ detur, quod polliceor, & huma- „ na infidelitas ad majora promiſſa „ ſemper hæſitat: propterea qui pro- „ mitto, Dominus Omnipotens ſum. „ Porro quia ſcio ad ædificationem „ inclytæ Domus, & quæ ſuperatu- „ ra ſit Domum priſtinam, nihil „ ita facere, ut pacem: idcirco & „ hanc ipſam dabo.

His etiam Hieronymus alludit ad ea, quæ Eſdras de quibuſdam Hebræis, qui (e) prius Templum viderant, ſic retulit: „ Plurimi etiam „ de Sacerdotibus, & Levitis; & „ Principes Patrum, & Seniores, qui „ viderant Templum prius, cum „ fundatum eſſet & hoc Templum „ in oculis eorum flebant voce ma- „ gna; & multi vociferantes in læ- „ titia levabant vocem.

Illi itaque ex humana infirmitate flebant, non quo majorem Templi...

(a) *Act.* 18. v. 12.
(b) *Aggæi* 2. v. 10.
(c) *S. Joan. Chryſ. Hom.* 17. *in Epiſt. ad Heb. pag.* 164.
(d) *S. Hier. lib. Comm. in Agg. cap.* 2. *pag.* 755. *Tom. VI.*
(e) *Eſdra* 1. *cap.* 4. *ver.* 12.

Digitized by Google

pli Salomonici gloriam putarent; id enim ſacro Aggæi Oraculo repugnat: ſed quia ſuum cenſum comparatum cum opibus Salomonis anguſtum eſſe arbitrabantur, quo ad poſterioris Templi, cujus fundamenta jacebant, ædificationem pervenirent. At *multi in lætitia vociferantes levabant vocem:* qua *lætitiæ voce* non ad fletum illum, ſed ad *majora Dei promiſſa* animum attenderunt, quibus Deus *auri*, & *argenti* copiam ſe *donaturum pollicebatur*, *ut major fieret hujus domus gloria, quam prioris*, Hieronymo explicante.

Fruſtra igitur Dallæus objicit, quod Chryſoſtomus poſterioris Templi ædificationem *præclariorem* dixerit contra diſertum Scripturæ teſtimonium: cave, ne id putes, quod Cenſor ipſe contra diſertum Aggæi Prophetæ vaticinium, cui Eſdræ voces *lætitia* affectæ conſonæ ſunt, dicere audet. Chryſoſtomus namque poſteriorem *ædificationem præclariorem:* hoc eſt celebriorem aſſeruit & *propter pulchritudinem*, & *propter alia omnia*, quæ videlicet illam pulchritudinem ſuperantia denotant, Templum poſterius priore præclarius ac pulchrius fuiſſe nedum ob aurum, & argentum: ſed eo magis, quod Meſſias (*a*) Aggæo, & cunctis *gentibus deſideratus* poſteriorem ſacram domum advenit, eamque majori gloria, quam prius Templum celebre erat, implevit: atque etiam ad Templum poſterius a *finibus* terræ omnes gentes venerunt: Ob haſce igitur cauſas Templum poſterius Priore *præclarius* Chryſoſtomus ſecundum ſacras litteras affirmavit.

Denique idem S. Doctor (*b*) ut inimicis ignoſcendum eſſe demonſtret; ex veteris Teſtamenti ſcripturis Davidis afferr exemplum, qui Sauli in ſpelunca extanti, & in Tentorio dormienti bis pepercit; quare Davidis verba ex primi Regum libri capite XXVI. Chryſoſtomus ſic adducit, atque declarat: „ *Non enim injiciam manum meam*, inquit, *in Chriſtum Domini*. Sic ab ira mundus „ erat, & ab injuriarum omni memoria. Chriſtum Domini vocat „ eum, a quo tot affectus erat injuriis, qui ſanguinem ejus ſitiebat, „ & poſt innumera beneficia multoties illum aggreſſus eſt interimere. „ Non ſpectabat, quid ille pati commeruiſſet, ſed ſpectabat, quid ipſum facere, vel dicere conveniret, „ qui ſupremus limes eſt Philoſophiæ. Quodnam illud tandem tanquam in carcere tenens inimicum „ duplici vinctum compede, vel triplici potius, & anguſtiis loci, & „ auxiliatorum inopia, ſomni neceſſitate, non exigis ab illo pœnas „ nec ſupplicium? Nequaquam, inquit.

Rurſus Chryſoſtomus de Davide (*c*) & Saule, deque illius tolerantia ſpeciatim agens, ſic fatur: „ At „ Saul imprudens poſt incidit in retia „ Davidis. (*d*) *Erat enim*, inquit, *ibi ſpelunca*, & *ingreſſus eſt Saul*, *ut exoneraret alvum;* David autem cum

„ co-

(a) *Aggæus ib.*

(b) *S. Joan. Chryſ. Hom. in Illud: ſi eſurierit inimicus tuus: Tom. 3. pag.* 168.

(c) *S. Joan. Chryſ. Homil.* 1. *de Davide, & Saul. Tom. IV. pag.* 754.

(d) *Reg.* 24.

„ comitibus ſuis in interiore ſpeluncæ parre ſedebat. Dixeruntque viri David ad illum: *Ecce dies de quo dixit Dominus: tradam inimicum tuum in manus tuas; facieſque illi quod placitum erit in oculis tuis. Et ſurrexit David, ſuſtulitque laciniam Clamydis Saulis clanculum. Et poſt hac percuſſit Davidem, cor ipſius, quod abſtuliſſet laciniam Clamydis.*

Vidit hæc omnia Dallæus, qui perperam air: „ quod Chryſoſtomus „ non ſemel narrat, Saulem a Davi„ de in ſpelunca dormientem reper„ tum fuiſſe; eum longe alia Saulem „ in ea egiſſe Scriptura moneat?

Has autem Cenſoris ſuppoſitiones ipſe Chryſoſtomus eliminavir, affirmans, *Saul in ſpeluncam ingreſſum eſſe ut, exoneraret alvum*: quæ eadem ſunt (*a*) atque illa, quæ in primi Regum libri capite XXIV ſacra Scriptura ſic exhibet: *eratque ibi ſpelunca, quam ingreſſus eſt Saul, ut purgaret ventrem*. Non ergo Chryſoſtomus longe alia narrat, quam quæ monet Divina ſcriptura. Cum autem Hebræus illa de Saule ita referat, *ingreſſus eſt ad tegendum pedes ſuos*; quia ſcilicet antiqui Hebræi dum ventrem purgarent, pedes ſuos aliquo ornamento tegebant: tum græcum illud ſeptuaginta interpretum Verbum a Dallæo prolatum quamvis ſubobſcurum, tamen ambiguum non eſt; quoniam ornare, atque adeo tegere corpus ſignificat. At verò Chryſoſtomus nulla vocum ambiguitate deceptus eſt, ut qui illa verba ſacra ſecundum vulgatum Interpretem clarius expreſſerit. Quocirca S. Doctor *Saulem a Davide vinctum* retulit *duplici compede*: primum quod Saul ſecundum allatum primi Regum libri caput XXIV, dum in Spelunca extabat, *loci anguſtiis*, & *Auxiliatorum inopia teneretur*: deinde quod Chryſoſtomus laudarit ejuſdem ſacri libri caput XXVI; ubi (*b*) Saulem a Davide, & viris ejus dormientem repertum fuiſſe narratur his verbis: *invenerunt* eum *jacentem* & *dormientem* in Tentorio: in hoc igitur veluti *umbraculo Saul dormientem*, Chryſoſtomus voluit, quippe qui illius *loci*, ſive ſpeluncæ, in qua Saul *Auxiliatorum* inopiam habebat, *anguſtias* a *ſomni neceſſitate* qua Saul in *Tentorio* premebatur, haud obſcure diſtinxit. Proinde S. Doctor ſecundum ſacras litteras adſignificavit, *Saul in Speluncam, ut alvum exoneraret*, primum *ingreſſum*, & poſtea in *Tentorio* veluti umbraculo *dormientem* a Davide repertum fuiſſe.

Nec vero eadem in cauſa Severus Sulpitius erravit, utpote qui illum ſacræ Scripturæ textum, in quo Saul in *Speluncam*, (*c*) ut purgaret *ventrem*, ingreſſus dicitur, aperte admiſerit, iſque verbis expoſuerit, quibus ait, quod Saul *in primo Spelunca aditu reficiendi corporis gratia ſeceſſerat*. Quare cum iſtis Sulpitius adjecerit, (*d*) Saulem *ibi ſomno captum eſſe*, cui David *Diploidem abſtulit*.. hæc conjeciſſe videtur ex eo ſacro contextu: *ſurrexit ergo David*, (*e*) & *præcidit oram clamydis Saul ſilenter*: ex quo Sulpitius

tius

(a) 1. *Reg.* 24. *v.* 4.
(b) *Reg.* 1. *cap.* 26. *v. VI.*
(c) *Seve. Sulp. lib.* 1. *Hiſt. Sac.*
(d) *Sulp. lib.* 1. *Hiſt. Sac. Tom.* 2.
(e) 1. *Reg.* 24. *v.* 5.

Digitized by Google

tius veriſimiliter eruit, a Davide *Saulis diploidem ſilenter præciſam* fuiſſe, ne Saul excitaretur a ſomno. Hac conjectura Sulpitium ductum videri ; idcoque in hac parte excuſandum pu tavi ; præſertim cum latinam illius ſacri Textus verſionem ex Hebræo rectius effectam diſerte adprobarit.

Venio nunc ad celebrandam perpetuam Mariæ Deiparæ Virginitatem ; quam multi Apoſtolici Patres & S. Epiphanius aſſeruerunt ; qui adverſus Hæreticos illam perpetuam virginitatem impudenti errore negantes de Maria Deipara hæc ſcripſit : „ Hæc (a) enim perpetuo incorrupta „ permanſit ... imprimis itaque cum „ Beata Virgo Joſepho tradita eſt, „ quo illam ſortis neceſſitas adduxe- „ rat, nequaquam ei ad copulatio- „ nem eſt conceſſa ... (b) Evangelium „ narrat ... *Non cognovit illam*, im- „ primis homo ſenex ſupra LXXX „ annos natus Virginem ad unum „ corporis non accepit ; ſed Divin. „ potius providentia ad illam cuſto- „ diendam eſt appoſitus.

Dehinc S. Hieronymus contra Helvidii oppoſitionem, qua is Deiparæ Virginitatem poſt partum hæreſi inficiabatur, hæc dixit : „ nunc (c) „ illud eſt differendum, quomodo „ Scriptura dicat, *Exurgens autem* „ *Joſeph a Somno fecit, ſicut ei præ-* „ *cepit Angelus Domini, & accepit* „ *uxorem ſuam*, & *non* (d) *cogno-* „ *ſcebat eam, donec peperit filium*, & „ *vocavit nomen ejus Jeſum* : in quo „ primum Adverſarius ſuperfluo la- „ bore deſudat cognoſcendi verbum „ ad coitum magis, quam ad ſcien- „ tiam referendum quaſi hoc quiſ- „ quam negaverit : & eas ineptias, „ quas redarguit, aliquando prudens „ quiſpiam potuerit ſuſpicari : dein- „ de vult docere, quod *donec* ſive „ *uſque* adverbium certum tempus ſi- „ gnificet : quo completo fiat id, „ quod præſcriptum eſt, non fiebat, „ velut in præſenti, & non cogno- „ ſcebat eam donec peperit filium. „ Apparet, inquit, cognitam eſſe poſt „ partum ... Ad quod nos breviter „ reſpondemus, & *cognoſcebat*, & *uſ-* „ *que* ſermonem in Scripturis ſacris „ dupliciter intelligi, & de eo qui- „ dem quod ſcriptum eſt, *cognoſce-* „ *bat*, ad coitum eſſe referendum „ ipſe diſſeruit : nullo dubitante, „ quin ad ſcientiam ſæpe referatur, „ ut ibi, *remanſit* puer Jeſus in *Jeruſa-* „ *lem*, & non cognoverunt Parentes „ ejus.

Itaque Dallæum Epiphanii, & Hieronymi documenta fugerunt, quibus illius Cenſoris calumnia aperte contunditur, qua vult, a S. Epiphanio cognoſcendi verbum, quo S. Matthæus uſus ait de S. Joſepho, *non cognoſcebat eam*, ad alia omnia, quam *ad* actum conjugalem minime habitum diſerte referri. Quæ Dallæi calumnia eo coercetur, quia Epiphanius aperte ſſime ſcripſit, quod *Beata Virgo Joſepho tradita ; ſed nequaquam ei ad copulationem eſt conceſſa* ; quam copulationis negationem Epiphanius probavit illis Evangelii verbis ita prolatis, *non cognovit eam* : quo ex textu Matthæi Epiphanius concluſit,

(a) *S. Epiph. Hæreſ.* 74. *Tom.* 1. *pag.* 1038. *& ſeq.* (b) *Math.* 1. v. 18.

(c) *S. Hier. in libro contr. Helu. num. V. Tom.* 2. *pag.* 210. (d) *Math.* 1. *V.* 18.

quod Joſeph *ſenex Virginem ad uſum corporis non accepit, ſed Divina potius providentia ad illam cuſtodiendam eſt appoſitus*. Non igitur Epiphanius ad alia omnia, quæ a Dallæo finguntur, teſtimonium Evangelicum retulit: neque Epiphanii teſtificatio illam *copulationem* negans, S. Hieronymo in mentem non venit; qui adverſus Helvidii ineptias aſſeruit, Sanctorum Patrum *nullum negaſſe*, nec dubitaſſe, quin non *cognoſcendi* Verbum a S. Matthæo in prioris capitis fine prolatum ad coitum ita referatur, ut Virginem S. Joſeph nunquam actu conjugali cognoverit: quo proinde ſenſu Epiphanius illum Matthæi textum intellexit, ut videlicet *non ad copulationem Joſeph acceperit* Deiparam *Virginem*; cujus *Virginitas perpetuo incorrupta permanſit*, quemadmodum etiam Hieronymus eundem Matthæi locum enucleat, illudque fidei dogma Patrum traditione confirmat.

Demum ad allegorias tranſeamus; quæ utiles ſunt, & plerumque neceſſariæ ea lege, ut non textui ſacro vim faciant, ſed ex divinis litteris eruantur: quo pacto ſobriæ noſcuntur & ſolidæ. Hinc Origenes Cantica Canticorum enucleans, eas allegorias. quæ in ipſis ſacris Scripturis fundatæ ſunt ac nullam hiſce vim afferunt optime quidem adhibuit: ſed alibi prætermiſſo litterali Theologico aliquarum Scripturarum ſenſu, ipſas ſolis allegoriis explicare fruſtra conatus eſt; qua licentia etiam quidam ejus diſcipuli abuſi fuere; quem abuſum S. Hieronymus ſæpe coarguit, dum Prophetarum Oracula, & litterali Theologico ſenſu, & myſtico in illis innixo recte ediſſeruit.

Hujuſmodi rectarum Hieronymi explicationum exemplum unum, ne longior ſim, ex ipſius Commentariis in S. Matthæi Evangelium capiam; ubi allatis illis Domini (*a*) verbis, *ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi, & alteram*, Hieronymus (*b*) ita locutus eſt: „ Ec-
„ cleſiaſticus vir deſcribitur, imita-
„ tor ejus, qui dicit, *diſcite a me,*
„ *quia mitis ſum*, & *humilis corde*; & (*c*)
„ pollicitationem ſuam percuſſus ala-
„ pa comprobavit: *ſi male locutus ſum*
„ *argue de malo*; (d) *ſin autem bene, quid*
„ *me cædis?* Tale quid, & David
„ loquebatur in Pſalmis: *ſi reddidi*
„ *retribuentibus mihi mala*. (e) Et Jere-
„ mias in Lamentationibus; *bonum eſt*
„ *homini*, (*f*) *cum portaverit jugum ab*
„ *adoleſcentia ſua*; *dabit percutienti*
„ ſe *maxillam. ſaturabitur* opprobriis.
„ Hoc adverſum eos qui putant al-
„ terum Deum legis, alterum Evan-
„ gelii: quod & ibi, & hic manſue-
„ tudo doceatur. Secundum Myſti-
„ cos intellectus percuſſa dextera no-
„ ſtra; non jubemur ſiniſtram præbe-
„ re, ſed alteram, hoc eſt alteram
„ dexteram: juſtus enim ſiniſtram
„ non habet. Si nos Hæreticus in diſ-
„ putatione percuſſerit; & dexterum
„ dogma voluerit vulnerare: oppo-
„ natur ei alterum de Scripturis te-
„ ſtimonium, & tamdiu verberanti
„ ſuccedentes ſibi dexteras præbea-
„ mus,

(a) *Matt. V.*
(b) *S. Hier. Com. in Matt. lib. 1. Cap. V. pag. 31. Tom. 7.*
(c) *Matt. XI.*
(d) *Joan. 15.*
(e) *Pſal. 7.*
(f) *Thr. 3.*

„ mus, donec inimici ira laceſcat:

Hactenus Dallæi tarditatem admiror, qui hæc a S. Hieronymo ſubtiliter diſputata eſſe argute contendit, cum ea plana ſint, atque clariſſima. Liquidò enim S. Doctor declaravit, illis ſubobſcuris, & quadantenus tropicis veteris, ac novi Teſtamenti locutionibus *manſuetudinem doceri*, ita ut illa mandata, quæ in utroquè Teſtamento leguntur ſibi conſona ſint, contra quam *Hæretici* Marcionitæ, & Manichæi impie aſſerebant. Unde S. Doctor collegit, *ſecundum Myſticos intellectus dexteræ* nomine dexterum fidei dogma intelligi, exempli cauſa illud, quo juſtus Eccleſiaſticus defendit, non eſſe alterum Deum Legis, alterum Evangelii: quod dexterum, ſive bonum dogma ſi Hæreticus ſiniſtre percuſſerit, aut arguerit: *ei alterum de Scripturis teſtimonium opponatur*, & tamdiu *verberanti ſuccedentes ſibi dexteræ* Catholici *dogmatis præbeantur*, donec *inimici Hæretici ira laceſcat manſuetudine*, ſcilicet *Eccleſiaſtici diſputantis*, *ac dextera* dogmata defendentis: in quibus dogmatibus explicatis cum nulla ſubtilitas, nullaque difficultas, ſed veritas inſit, uti ex dextero unius Dei dogmate patet: tum de hoc Hieronymum ſubtiliter diſputaſſe, Dallæus perperam adſtruit.

Verum cernantur ejuſdem Hieronymi commentaria in Matthæi Evangelium; in quibus ſenſus litterales & myſtici ejuſdem Evangelii ita bene oſtenduntur, ut omnes Dallæi calumnias retundant.

Exhibeam autem S. Hilarii Pictavienſis Epiſcopi explicationes: qui de Hebræis (a) ſuper flumina Babylonis ſedentibus, & flentibus iſta diſſeruit: „ Babylon Civitas eſt irrationabili motu turbulenta; quæ ut Geneſis docet, a confuſarum linguarum hominibus nuncupata Babylon eſt: illic enim loqui univerſarum gentium linguis, cum unus omnium eſſet ſermo, cæperunt. Et ipſum illud Babylonis vocabulum interpretationem habet confuſionis .... *ſuper flumina Babylonis ſedimus, & flevimus, cum recordarentur Syon... in ſalicibus in medio ejus ſuſpendimus organa noſtra*. Eos, qui ſecundum litteram intelligenda omnia exiſtimant, interrogare vellem, quæ flumina Babyloniam prætermeant, ut illic captus Populus conſederit, & non potius aut in plateis, aut in turribus, aut in domibus captivitatem ſuam fleverint: deinde cum quibus Tympanis, aut Cytharis, aut Organis captus ſit; quæ hiſtoria iſta locuta ſit, cum omni muſico apparatu Jeruſalem victoribus ſerviſſe: poſtremo quæ unquam Salices in media Urbe fronduerint, ut illic tanquam in publica Muſicorum Apotheca organa ſuſpenſa penderent? quæ ſi omnia geſtis negotiorum corporalium inania ſunt: ſequenda ea ratio eſt; quæ ex Propheticis auctoritatibus ad ſpiritualem nos ſcientiam cohortatur. Flent omnes, qui ſe captos in Babylonia ſentiunt, & ſedent ſuper flumina .... Omnia enim ſæculi, & corporum opera modo fluminum ſine aliqua curſus ſui ſtatio-

Y 2 „ ne

(a) *S. Hilar. Tractat. in Pſal. 136. Tom. 1. pag. 549. & ſeq.*

„ ne præterfluunt.... Neque ſolum
„ ſedent, atque flent; ſed etiam in
„ medio ejus organa ſua in Salicibus
„ ſuſpendunt. Lignorum ſalicum na-
„ tura ea eſt, ut areſacta licet, ſi
„ modo aquis adluantur, vireſcant;
„ deinde exciſa, atque in humido
„ fixa radicibus ſe ipſa demergant.
„ Et ſub hujus arboris natura ſan-
„ ctos, & Fideles ſignificari prophe-
„ tiæ auctoritas eſt, Iſaja (a) di-
„ cente, *exorientur*, inquit, *tanquam*
„ in *medio aquæ fœnum, & tanquam*
„ *ſalix ſuper defluentem aquam*.«

Et poſtea de illis ejuſdem Pſalmi (b) verbis, *Filia Babylonis miſera: beatus qui retribuet tibi retributionem tuam*, Hilarius (c) hæc addidit: „ Vel-
„ lem percontari eos, qui otioſas
„ eſſe ſpirituales Pſalmorum intelli-
„ gentias exiſtimant, quam hic a
„ Propheta Babylonis Filiam dictam
„ eſſe, intelligatur.... quæ ſecundum
„ Hiſtoriæ Fidem ex confuſionis Pa-
„ tribus genita eſt, quia omnis caro
„ ſuperioris carnis eſt filia. Ex his
„ enim, qui primum confuſis lin-
„ guis confuſionis Urbem, quæ Ba-
„ bylonia eſt, condiderant univerſa-
„ rum gentium initia diſperſa ſunt.
„ Hæc ergo miſera Babylonis eſt fi-
„ lia, id eſt, caro omnium; cui qui
„ retribuet retributiones ſuas, bea-
„ tus eſt; ſcilicet qui carnem ſuam
„ dominatui animæ ſubiecerit:

Ergo Dallæus mente ſua complexus non eſt Hilarii contextus, in quibus is non inficiatur, ullum in Urbe Babylone amnem fuiſſe; ſed ſolum *interrogat*, quomodo captivus Judæorum *populus ſuper flumina Babylonis, & non potius in plateis*, quæ juxta ea flumina erant, *ſederit*, ac ſuam *fleverit* captivitatem? Hæc non eorum fluminum negatio, ſed interrogatio eſt: quam ob difficultatem Recentiores Interpretes volunt, illud *ſuper* idem valere atque juxta. Juxta igitur Babylonis flumina erant plateæ, *Turres*, ac *Domus*, in quibus populum illum *ſediſſe*, ac *fleviſſe*, Hilarius indicavit; qui ſicut Babylonis *plateas*, *Turres*, ac *domus*, ita ejus *flumina* haud quaquam negavit: ſimulque quæſivit, *qua unquam Salices in media ea Urbe fronduerint, ut illic tanquam in publica Muſicorum Apotheca organa ſuſpenſa penderent?* cui Quæſtioni inde reſpondet, quod *neque ſolum ſedent, atque flent; ſed etiam organa ſua in Salicibus ſuſpendunt*. Quare uti verum captivi populi fletum, ita vera *Salicum ligna*, in quibus Hebræi organa ſua ſuſpenderunt, *in medio* Babylonis ſita Hilarius affirmavit; qui etiam myſticum ſenſum ex laudatis Scripturis, in quibus *Fideles*, & *ſancti tanquam Salix ſuper defluentem aquam exorti ſignificantur*, apte decerpſit.

At Dallæus excitatus non eſt ad inveſtigandam obſcuræ Scripturæ ſacræ veritatem; ubi quamvis exempli cauſa Iſaac *Filius liberæ*, & Iſmael *ancillæ Filius* facile intelligantur: tamen cum eorum ſignificatio obſcura ſit; (d) ideo Apoſtolus Paulus, cujus auctoritatem antea attulimus, ad allegorias recurrit. Sic Hilarius primum litteralem *Babylonis Civitatis* ſen-

(a) *Iſaja* 44.
(b) *Pſal*. 2.
(c) *S. Hil. ibid. pag.* 553.
(d) *Ad. Gal. IV.*

ſenſum, cujus vocabulum Babel a *confuſis* ibi *linguis* ducitur, & *confuſionem* denotat, ediſſeruit, atque *hiſtoriæ ſacræ Fidem* ſervavit: deinde percunctatus eſt, quæ ſit iſta Filia *Babylonis miſera*: quæ quidem quæſtio ſolutus facilis eſt, dum ſpectato *miſeræ illius confuſionis* ſenſu *filia Babylonis* ipſa Babylon miſera nuncupatur, cui tamen cum Propheta addiderit: quod *beatus eſt*, qui *retribuet tibi*: cumque hæc verba ſubobſcura ſint & involuta, atque ad illum, qui poſtea Babylonem evertit, & ad alios referri poſſint: tum ſicut Apoſtolus Paulus *Filium Ancillæ*, & *filium liberæ* de veteris, & novi Teſtamenti Filiis, unis ſervientibus ſub veteri Lege, alteris liberis, quos ſcilicet Chriſtus ſanguine liberavit per *allegoriam* intelligit: ita Hilarius ad allegorias non otioſas confugit, & pro *filiæ miſeræ Babylonis* nomine humanam *carnem* a primis *confuſionis* Parentibus *genitam* ſumpſit, pronuntians illum *beatum*, qui *carnem ſuam dominatui animæ* ſubiicit. Ad hos igitur allegoriæ ſenſus Hilarius apte recurrit, *Hiſtoriæ Fide* retenta.

Hanc etiam ſervans; Pſalmum 146, in quo de ædificatione Hieruſalem, deque Dei providentia agitur, enucleavit. Tum quemadmodum Apoſtolus Paulus *montem Sina* de veteri *Teſtamento* per allegoriam accepit: ſic eadem iſta Hilarius *montes* illo in Pſalmo nominatos, & Prophetas veteris Legis ſcriptores, & Apoſtolos, qui novum Teſtamentum a Chriſto conditum ſcriptis mandarunt, intellexit. Et Deus uti *parat terræ pluviam*, iſtaque illam fecundat: ita per Apoſtolos Orbi Doctrinæ fæcunditatem tribuit, ac Gentiles aliquando incredulos, ac voracibus *corvorum* pullis ſimiles, poſtmodum ſua ſuperna gratia, & Apoſtolorum prædicatione *contritos* ita ſanavit, ut ipſum unum Deum invocarint, atque coluerint: quæ Typica explicatio iiſdem ſacris litteris congruit.

Dehinc idem Hilarius (a) litterali quidem ſenſu intellexit, vere eſſe *volatilia Cæli*, de quibus Dominus dicit, *quod non ſerunt*, *neque* (b) *congregant in horrea*: Sed inde tropica locutione *Immundos Spiritus volatilia appellavit*: Sicut Dominus in Evangelio *ſemen eſſe Verbum Dei* propoſuit: & Diabolum, qui Verbum Dei e corde audientium eripit, *volucribus* ſemina rapientibus aſſimilavit.

S. Hilarius etiam ſenſum litteralem primum adſtruxit; in eo explicando Evangelio, in quo Dominus ait, (c) *conſiderate* lilia agri, *quomodo creſcunt*, *non laborant*, *neque nent*. *Dico autem vobis*, *quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut unum ex iſtis*; quæ Hilarius (d) ita enarravit: „ Lilia non laborant, neque nent; & Salomon coopertus „ eorum gloria non fuit, Propheta „ magnus, & merito dilectæ ſapientiæ Deo charus. Ita lilia naſcuntur potius, quam operiuntur, cooperitio autem velamentum eſt corporis, non corpus ipſum. Quod „ ſi ad ſenſum humanæ intelligentiæ „ refertur; colorem lilii velamenti „ can-

(a) *S. Hil. Cap. V. in Matt.*
(b) *Matt. V.*
(c) *Matt.* X.
(d) *S. Hil. Com. in Matt. XI. Tom. 1.*

,, candor potuerat æmulari. Sed lilia
,, non laborantia, neque nentia ſi-
,, gnificari intelligenda ſunt Angelo-
,, rum cæleſtium claritates, quibus
,, extra humanæ ſcientiæ eruditio-
,, nem, ſicque operis mercedem a
,, Deo gloriæ candor indutus eſt; ne
,, quid ex proprio labore, aut arte
,, exiſtimarentur habuiſſe. Et cum
,, in reſurrectione ſimiles homines
,, Angelis erunt, ſperare nos cæle-
,, ſtis gloriæ voluit operimentum e-
,, xemplo Angelicæ claritatis.

Hæc igitur Dallæus immerito appetit, tanquam Hilarius voluerit, ſolo litterali ſenſu *lilia* agri, *quæ non laborant, neque nent*, Angelorum cæleſtium gloriam eſſe, & claritates. Atqui Hilarius primum oſtendit, ea eſſe *lilia, quæ naſcuntur*, non extrinſecus *operiuntur*; quorum *gloria Salomon, & ſi merito dilecta ſapientia Deo charus, tamen coopertus non fuit*. Clara eſt hæc litteralis eorum Evangelii verborum explicatio, quam Cenſor ſubdole prætermiſit, in qua tamen Hilarius aliam myſticam eorundem dictorum ſignificationem fundavit; quatenus ſcilicet cæleſtes *Angeli* non naturæ viribus ut *lilia candore cooperta naſcuntur*, nec *arte*, qua Salomon ſe ipſe adornavit, ſed ſuperna Dei gratia, & merita adepti ſiut, & gloriæ *claritatem*: quæ liliorum candori, ac gloriæ ſimilis eſt; qua ſimilitudine Hilarii enodatio alia myſtica firmiter nititur.

Is etiam de Domino in Geraſenorum (a) regionem veniente hæc dixit: ,, Cum veniſſet trans fretum in
,, regionem venienti Domino duo
,, homines occurrunt, ut occurſu eo-
,, rum concurrentium ad ſalutem vo-
,, luntas indicaretur, ſed in homi-
,, nibus Dæmones proclamant....
,, totus in Mare impetu rapido per
,, præceps grex coactus eſt: in cupi-
,, ditatem ſcilicet ſæcularem Dæmo-
,, num præcipitantur inſtinctu, in a-
,, quis Mundi, id eſt, cum reliqua-
,, rum gentium infidelitate morituri
,, atque etiam in hoc Typica ratio
,, ſervata eſt, ut non ſatis eſſet di-
,, xiſſe, præcipitatos in mare, niſi
,, etiam adderetur, & *mortui ſunt* in
,, aquis multis? quorum Principes,
,, atque Paſtores rerum talium ad-
,, miratione commoti ad Urbem ve-
,, niunt, & quæ geſta ſunt, narrant:
,, Urbs illa Judaici Populi habet ſpe-
,, ciem:

Itaque S. Hilarius in alio argumento prius allato, & in iſto *Hiſtoriæ*, ſive *geſtorum Fidem*, ac *Typicam rationem ſervavit*: quas proinde exagitare Dallæus minus bene pertendit. Quandoquidem Hilarius & duos *illos homines* a *Dæmonibus occupatos*, ac Domino *occurrentes*, & *porcorum gregem per præceps rapido impetu Dæmonum*, qui homines illos Chriſti juſſu reliquerant, in *mare coactum*, & porcorum Paſtores fugientes, ac vicinæ Urbi, quæ legationem ad Dominum miſerat, *geſta narrantes*, recte deſcripſit, quæ deſcriptio Evangelicæ hiſtoriæ reſpondet. Præterea Hilarius *Typicam rationem*, & *illius Urbis*, quæ *Populi* Judaici *ſpeciem habebat*, & gentium infidelium, quæ *in cupiditatem ſæcularem* tanquam in mare *Dæmonum inſtinctu præcipitantur*, expoſuit: quæ ex-

(a) *S. Hil. cap. 8. in Matt. Tom. 1. pag. 704.*

expoſitiones vel litteris vel *Typice* cum ſacris litteris conſonæ ſint: admirandæ ſunt atque laudandæ.

Sed ut aliam interpretationem, quam S. Hilarius de duobus Paſſeribus fecit, commendem: (a) prius eam expoſitionem Pſalmi, in quo dicitur *anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium*, ponam in medio. Sic enim ea ſacra dicta Hilarius (b) interpretatur: „ Non enim cum quis „ in laqueum incidit, tunc fiet pec„ cator; ſed cum omnibus tendan„ tur, ille tantum, qui cum ſit pec„ cator in laqueo, eſt, ſicut ſcrip„ tum eſt, *oculus meretricis laqueus* „ *eſt*. Nos ergo ſine viciſſitudine „ temporum Eccleſiam incolentes, „ abſtineamus a peccatis, ut a la„ queis evolemus.

Ac ſubinde iſta Domini verba (c) *nonne* duo *paſſeres aſſe veneunt*, ita idem Hilarius enucleat: „ *Non* eſt. „ ut patet, criminis agere aucupium „ neque venditio paſſerum habet cul„ pam.... Hi igitur duo paſſeres „ aſſe veneunt. Et quidem quæ ſub „ peccato vendita ſunt; redemit ex „ Lege Chriſtus. Ergo quod vendi„ tur, corpus; atque anima eſt, & „ cui venditur, peccatum eſt: quia „ Chriſtus & de peccato redemit, & „ animæ, ac corporis eſt Redemptor. „ Qui igitur duos paſſeres aſſe vene„ unt, ſe ipſos peccato minimo ve„ neunt natos ad volandum, & ad „ Cælum pennis ſpiritualibus effe„ rendos: ſed captos pretiis præſen„ tium voluptatum, & ad luxum „ ſæculi venales toros ſe talibus actio„ nibus nundinantur.

Hæc igitur, & ſuperiora his ſimilia Dallæus figmenta temere appellat. Nam divina Scriptura teſte *anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium: è quo* quidem anima *ſicut paſſer evolat, dum a peccatis abſtinet: ſed ſi in peccato ſit, in laqueo utique eſt*. Quare uti Paſſeres, quorum *venditio* ex ſenſu litterali Theologico *culpam non habet*, *aſſe veneunt* ita homines *anima*, & *corpore ſub peccato* venditi erant: qui tamen a *Chriſto redempti*, & ſacro ipſius baptiſmate denuo nati, ac ſuperna eius gratia adiuti, *pennis* ſpiritualibus improprie ſumptis, *ſicut* paſſeres pennis propriis, poſſunt e peccatorum laqueo evolare ab eoque liberari: verum uti paſſeres aſſe veneunt, ita quidem homines minimo ſe vendunt peccato; ac ſubinde inanibus *præſentium voluptatum pretiis* capti, in *maiori laqueo animæ*, & corporis ſunt. Hæc ergo figmenta eſſe, Dallæus inique, & audacter affirmat: quoniam Hilarius litterali ſenſu Paſſerum *venditionem* exponit, & per eos tropica locutione peccatores, qui ſicut Paſſeres e peccatorum laqueo evolare queunt, & tamen peccantes in eo ſunt, intelligit, atque declarat; quæ interpretatio ſacris litteris, ac præcipue illa Pſalmi ſimilitudine confirmatur.

Sed & S. Ambroſius (d) de impio Diabolo iſta conſcripſit: „ Quo„ modo ſe ſuperexaltet? *Ponam*, in„ quit, *Tronum meum ſuper nubes*, (e)

„ *&*

(a) *Pſal.* 123. *v.* 7.
(b) *S. Hil. Tract. in Pſal.* 123. *Tom.* 1.
(c) *S. Hil. Com. in Matt.* 29.
(d) *S. Amb. Enar. in Pſal.* 36. *pag.* 106. *Tom.* 2.
(e) *Iſaia* 17. *ver.* 14.

„ *& ero ſimilis Altiſſimo*. Exaltat ſe
„ ut videas eum ſicut cedros libani
„ ſuper exaltatas, & ipſæ altæ ſunt,
„ & in monte ſunt altiſſimo.... ſu-
„ perexaltatus videtur impius, qui
„ ſe in illo monte conſtituit: de
„ quo ſcriptum eſt, *ſi habueritis* (a)
„ *Fidem ſicut granum ſinapis, dicetis*
„ *huic monti, tollere, & jactare in*
„ *mare*. Huic, cui? Dæmonio, in-
„ quit, a quo iſte invaſus fuerat,
„ & oppreſſus.

Quamvis igitur Domini verba de *monte* proprie accipiantur: nihilominus etiam tropico ſenſu Diabolum per montem intelligi, Ambroſius ex Divinis litteris eruit; ſecundum quas ipſe Dæmon *ſimilis altiſſimo* eſſe, *ac ſuper nubes Thronum ſuum ponere voluit*, ac per ſuperbiam contra Deum *ſuper nubes* veluti in *altiſſimo monte* ſeſe erigere (b) fruſtra attentavit. Et quia Dominus poſtquam è puero *lunatico Dæmonium* ejeciſſet; dixit Diſcipulis ſuis, ſi *habueritis Fidem ſicut granum ſinapis*, ac *dicetis monti huic, tranſi hinc illuc*, & tranſibit: id circo S. Ambroſius ſecundum illas priores Scripturæ allegorias, & ſecundum hæc Domini geſta, atque Oracula enarravit, Dæmonem ejectum a quo lunaticus ille oppreſſus fuerat, tropica enuntiatione (c) montem vocari. Similibus quoque allegoriis interdum Ambroſius uſus eſt in enarrando Pſalmo 118, quam enarrationem omnino præſtantem, & Orthodoxa Doctrina, ac litterali etiam ſenſu Theologico refertam eſſe, Eruditiores agnoſcunt.

Verum ut aliam falſam Dallæi oppoſitionem diluam: iterum advocabo allegoriæ teſtem Paulum Apoſtolum, (d) qui ad Galatas hæc ſcripſit: „ Abraham duos filios habuit,
„ unum de Ancilla: & alium de Li-
„ bera. Sed qui de Ancilla ſecundum
„ carnem natus eſt, qui autem de
„ libera, per repromiſſionem; quæ
„ ſunt per allegoriam dicta. Hæc
„ enim ſunt duo Teſtamenta. Unum
„ quidem in monte Sina, in ſervi-
„ tutem generans .... illa autem,
„ quæ ſurſum eſt, Hieruſalem, libe-
„ ra eſt, quæ eſt mater noſtra....
„ Nos autem Fratres ſecundum Iſaac
„ promiſſionis Filii ſumus.... ita-
„ que Fratres, non ſumus Ancillæ
„ filii, ſed Liberæ, qua libertate
„ Chriſtus nos liberavit.

Jam vero S. Ambroſius (e) Gratianum Imperatorem de obitu Valentiniani Auguſti, qui ejus Frater erat, ſic per ſacras Canticorum litteras (f) conſolatus eſt: „ Scriptum eſt
„ *Gena ejus ſicut Phiala aromatum gi-*
„ *gnentes argentaria, labia ejus ſicut*
„ *lilia diſtillantia Myrrham plenam*.
„ Myſtice Eccleſiæ gratia deflentis
„ accipitur: quæ in obitu Valenti-
„ niani bonum odoris ſui effudit
„ ungentum, & vitam ejus prædi-
„ cando concelebrat.... Flet igitur
„ Eccleſia filium ſuum.... *Quis da-*
„ *bit te Fratrem mihi lactentem ubera*
„ *matris meæ?* inveniens te foris,
„ *deoſculabor te. Aſſumam te, & in-*
„ *ducam te in domum matris meæ, &*
„ *in ſecretum ejus, quæ concepit me*
„ *Po-*

(a) *Matt.* 17. 19. (b) *Matt.* 17.

(c) *Nota. Mons a Patribus varie accipitur ſecundum diverſas Scripturarum ſignificationes.* (d) *Gal. IV.*

(e) *S. Amb. in Orat. de obitu Valentin.*

(f) *Cantic. V.*

„ *Potum dabo tibi a vino operoſi* un-
„ guenti, a fluxu malorum *granato-*
„ *rum meorum. Laua ejus ſub caput*
„ *meum, & dextera ejus complectetur*
„ *me*. Promittit fratri auguſtæ me-
„ moriæ Gratianus præſto ſibi fru-
„ ctus diverſarum eſſe virtutum.
„ Fuit enim & ipſe fidelis in Domi-
„ no, pius, atque manſuetus puro
„ corde. Fuit etiam caſtus corpore;
„ qui præter conjugium neſcierit
„ feminæ alterius conſuetudinem.
„ Ideo in foribus ſedis ſuæ habet
„ fructus paratos nec longe peten-
„ dos offert.... Et dicit, *quis dabi*
„ *te Frater, Fratrem mihi lactentem*
„ *ubera Matris meæ:* Hoc eſt, non
„ quicumque te, ſed Chriſtus illu-
„ minabit gratia ſpirituali: ille te
„ baptizavit.

Errat ergo Dallæus, contendens, Ambroſium in ſcripturis ludentem fortaſſe difficilius purgari poſſe, cum ea, quæ de Chriſto, & Eccleſia in cantico canticorum dicuntur, videlicet, *quis dabit te, Frater Fratrem mihi lactentem ubera matris meæ:* cum iſta, inquit cenſor, Valentiniano, & Gratiano tribuat Ambroſius. Sed Dallæus ludit, peccat, & aberrat a vero. Ambroſius namque eadem ſacri cantici verba non Gratiano, non Valentiniano, *non cuicumque, ſed Chriſto Fratri* Eccleſiæ, & ſponſo, qui ſua *gratia ſpirituali* fideles illuminat, illaque ab iſtis ut *virtutum fructus* edi facit, diſertius adſcripſit; ac *matris* nomine *Eccleſiam*, quæ *Valentinianum filium* ſuum deflebat, atque ejus *virtutes celebrabat*, *myſtice accepit*. Sicut ergo Apoſtolus per *Allegoriam* a Sara exhibitam dixit, Cæleſtem Jeruſalem eſſe *liberam Matrem Filiorum Promiſſionis ſecundum Iſaac:* ita Ambroſius ex Divinis canticis, quorum omnes ſenſus myſtici ſunt, nulla licentia, ſed recte argumentatus eſt, militantem *Eccleſiam myſtice* eſſe matrem omnium Fidelium, Filiorum, atque ipſius Valentiniani *Fidelis, ac pii*; qui quidem ſecundum carnem *Frater* erat Gratiani, ſed ſecundum *ſpiritualem gratiam Eccleſiæ Filius* cenſebatur: cui proinde non ut Eccleſiæ Fratri, ſed ut *Eccleſiæ Fideli Filio*, & ſecundum carnem *Fratri* ſuo Gratianus *promittebat præſtò ſibi fructus diverſarum eſſe virtutum*.

Nulla igitur exponendi ſacri cantici licentia ad eos, & alios pleroſque locos enucleandos quos partim attulimus, partim eo loci legere eſt, Ambroſius, atque etiam Gregorius Nanzianzenus, cujus legitimæ ſcripturarum expoſitiones omnibus patent, abuſi fuere.

Sed quid temeritate fortius? Dallæus enim ſingulari, & erranti audacia homo effutit, quod S. Auguſtinus neglecta littera, contortiſque allegoriis enarrationes in Pſalmos effecerit. Verum ſicuti cenſor petulans non cognito illo S. Ambroſii contextu, quem protulimus, deerravit: ita non ſatis perceptis illis S. Auguſtini enarrationibus, per audacem errorem lapſus eſt; quam audaciam unum exemplum, quod antea attulimus, reſecat. Nam Auguſtinus in enarrandis Pſalmis etiam veteris legis ſacrificia, & novi Fœderis ſacrificium pertractat; eorumque differentiam litterali ſenſu Theologi-

co

eo exhibet: (a) ac non adeo neglecta littera, neque contortis allegoriis, ſed rectis enodationibus & litteralibus & myſticis pſalmos exponit.

Imprudens cenſor, ne dicam ineruditum, & blaterantem, qui ſe metipſum in ignaviæ diſcrimen adduxit, effutiens, moralem S. Gregorii magni expoſitionem in Jobum contextam eſſe ex ejus generis fumis. Fumi errantes Dallæi ſunt iſti, qui ejus oculos abduxerunt, ne veritatem pernoſceret. Nam ea Gregorii expoſitio tota compoſita eſt ex Jobi Hiſtoriæ geſtis, ac dictis; quæ S. Doctor, ut Jobum bene locutum defenderet, cum aliis ſacræ ſcripturæ ſententiis comparavit: In qua proinde comparatione ſimilium Gregorius ſenſum Thæologicum ſacræ litteræ oſtendit; ac præterea quædam ut laudatus Apoſtolus *per allegoriam dicta* edocuerat, ita Gregorius myſticè interpretatus cujus proinde interpretatio legenda eſt atque laudanda.

Inde Dallæus ſiniſtre ait Gregorium fabuloſis narrationibus, quibus ejus Dialogi ſcateant, impenſe gaudere: quam iniquam criminationem depulit Photius, (b) de S. Gregorio magno ita locutus: „ Quin etiam vi„ tas eorum, qui in Italia claruiſ„ ſent, ſalubribus admiſtis narratio„ nibus, quatuor Dialogis concin„ navit „ Non ergo Gregorius in ſuis quatuor Dialogis fabulas, ſed *ſalubres narrationes concinnavit*.

Iam uti S. Auguſtinus in libro de (c) cura gerenda pro mortuis dixit, quod quidam *pene mortuus Paradiſum* non in re ipſa, ſed in *rerum imaginibus cognovit*: (d) Sic S. Gregorius Magnus hoc dixiſſe cenſetur; „ quod Stephanus quidam ductus ad „ Inferni loca, vidit multa, quæ „ prius audita non credidit. Sed „ cum Præſidentis illic judicio præ„ ſentatus fuiſſet, ab eo receptus „ non eſt.

Iſtum itaque Stephanum pene mortuum in *inferni locorum* (e) imaginibus multa vidiſſe Gregorius indicavit: quippe quia Chriſtus judex in inferis minime præſidet. Cum ergo Gregorius narrarit *Præſidentis judicio* Stephanum *præſentatum* fuiſſe: tum menti Stephani *judicium* in quadam inferorum imagine exhibitum fuiſſe ſignificavit: quæ ſignificatio non paganorum figmentum, nec fabula eſt, Auguſtino prædocente. Quare Stephanum ab inferis evocatum eſſe, Gregorius non dixit: qui proinde ſolummodo voluit, in quibuſdam rerum imaginibus, & *præſidentem* Judicem, & inferorum loca, ac tormenta a Stephano pene mortuo viſa fuiſſe.

Denique ex hiſce Patribus, Juſtino, Iræneo, Tertulliano, Chryſoſtomo, Auguſtino, aliiſque. quos defendimus, Dallæus falsò concludit, eiſdem Patribus, cum libros conſcriberent, nunquam. conſilium fuiſſe, (f) ut-

(a) *Vide diſſertat. 5.*

(b) *Phot. Cod. 252. Ed.*

(c) *S. Aug. lib. de Cura ger. pro mortuis Cap. XI. Tom. VI.*

(d) *S. Greg. M. lib. IV. Dial. cap. 36. Tom. 2.*

(e) *Nota. Chriſtus ut Deus ubique atque adeo in Inferis inviſibiliter preſens eſt: Sed tamen ut Judex viſibilis in inferis minime præſidet.*

(f) *Dal lib. 1. de uſu Patr. cap. 2.*

ut de Fide noſtra tractarent, utque ex ipſorum plerorumque auctoritate recentes controverſiæ deciderentur: quam concluſionem falſiſſimam multò antea eò oſtentavit, quia trium priorum Sæculorum Patres vel contra Ethnicos, vel contra Marcionem, Valentinum, alioſque Hetorodoxos Dei unitatem tuiti ſunt: ac trium ſequentium Sæculorum veteres adverſus Arianos, Pelagianos, ac reliquos Heterodoxos fidem Catholicam defenderunt: in quibus defenſionibus nulla dogmata, quæ contra recentes Hæreticos Eccleſia tuetur, apparere, Dallæus fruſtra contendit, adjiciens, quod Sancti Patres, aliique ſcriptores de hiſce dogmatibus ex profeſſo non egerint.

Hæc argumenta hic breviter refutanda cenſeo; ideoque obſervo, veterum inſtituta alia generalia eſſe, alia particularia: quorum poſteriorum etiam triplex genus eſt: unum propoſitum, ſecundum expreſſam catholicæ Eccleſiæ fidem: alterum quidem a pleriſque viris Apoſtolicis traditum eſt: ſed quia ab Eccleſia tunc definitum non fuerat; idcirco unus, vel alter ſcriptor aliquam opinationem non probabilem quidem ea de re habuit, ſed ſuum judicium particulare valde infirmum putavit. Tertium genus eorum eſt, quæ & a Catholica regula diſtinguuntur, & veriſimilia, aut veriſſimiliora cenſentur.

Atque ad hoc ultimum genus pertinent ea, quæ modò contra Dallæum diſputavimus; qui ex his veriſſimilibus falsò colligit, Patres de Fide non egiſſe: quia & ſi quædam veriſimilia Patres exhibuerunt: tamen etiam Deum unum eſſe probarunt: qua de Fide proinde, ac de *Catholica regula*, ac reliquis certis dogmatibus, quæ a quacumque re veriſimili ſecernuntur, Patres egerunt.

Iam verò apologias pro Chriſtianis generatim inſtituerunt: Sed in his E. C. Juſtinus ex particulari inſtituto Euchariſtiam, in qua Panis in *Chriſti Corpus* mutatur, contra Ethnicos pertractavit. Ac S. Irenæus Deum unum contra illos Hæreticos ex ſcriptura, & traditione demonſtrat, ac de cujuſdam mulieris confeſſione, & de novæ legis ſacrificio ſpeciatim agit: de quibus etiam Tertullianus, ac S. Cyprianus, & S. Auguſtinus, vel contra Pelagium, tractarunt. Ad hæc Nicænum concilium, & Arium refellit, & Canone antea relato in Euchariſtia eſſe veram *Chriſti Carnem* adſtruxit. Eorum itaque temporum Patres ex inſtituto vel generali, vel ſpeciali recentes Dallæi errores coarguerunt, ac certis Fidei dogmatibus eliminarunt.

§. VIII.

OBSERVATIONES

De gravioribus nævis quos Patribus Dallæus affingit.

Accedamus ad graviores Patrum ſententias, quibus crimina ſibi illata ita refellunt, ut & quædam eorum locutiones ex aliis locis, ſicut præmonuimus, (a) explicandæ ſint, & aliæ defendendæ.

(a) *Dallæus lib. 2. de Uſu Patrum cap. 5.*

Primum igitur Dallæus multa vana, ac periculorum plena S. Juſtino ſcriptori antiquiſſimo de Millenariorum Errore temere adſcribit, qui martyr tamen pluribus ſuis documentis illas cenſoris repulit criminationes.

Etenim Juſtinus prius, quam, quæ a Dallæo opponuntur, conſcriberet: de Celeſti Jeruſalem, quæ terrenæ ſive *Terre Sanctæ* per Allegoriam ſimilis eſt, deque æterna illius Hæreditate Tryphonem Judæum hæc docuit: „ *(a)* Cum Abrahamo Sanctæ „ terræ Hæredes erimus, Hæreditatem in infinitum ævum cernentes. „ Quippe cum Filii Abrahæ propter „ ſimilem Fidem ſimus.

Et deinde Tryphoni de mille annis, quibus in Hieruſalem Sanctos poſt ultimum judicium regnaturos quidam dicebant, addubitanti Juſtinus reſpondit: „ *(b)* Multos rurſus „ eoſque ex illo Chriſtianorum genere, quod piam, & puram ſequitur ſententiam, id non agnoſcere.... Ego autem, & ſi qui *(c)* „ recte in omnibus ſentiunt „ Chriſtiani, & carnis reſurrectionem ſcimus futuram, & mille annos in urbe Hieruſalem edificata, „ & ornata, & amplificata:

Jam

(a) *S. Juſt. in Dial. Cum Tryph. Jud. num. XIX. pag. 212.*
(b) *S. Juſt. ibid. num. 80.*

NOTA.

(c) *Hæc Latina, ſi qui, corrupta eſſe, Dallæus falſo contendit: cum in Græco Sancti Martyris textu, ita legantur* ε. τινες *Quidam ergo eo græco nomine intellecti mille Annorum Regnum dubitando protulerunt: multi enim, ſive major Chriſtianorum Orthodoxorum pars illud mille Annorum Regnum* non agnoſcebant; *quia multos illos Chriſtianos quibuſdam aliis opponit Juſtinus in Dial. cum Try. n. 80. Multi igitur Catholici ſecundi ſæculi initiis florentes illud mille Annorum Regnum eodem fere tempore a Papia invectum repulerunt. Hinc idem terrenum Regnum Athenagoras, medio ſecundo ſæculo clarus exploſit, dum in legatione pro Chriſtianis num. 31. de æterna vita ſic egit:* cum eis, *quæ cogitamus, quæque loquimur, Deum noctem, diemque adeſſe ſciamus; cumque perſuaſum habeamus, cum totus lumen ſit, ea etiam, quæ in cordibus noſtris latent, videre: noſque hac vita liberatos, aliam iſta præſtantiorem; ac cæleſtem, non terrenam, victuros: quippe cum apud Deum, & cum Deo extra omnem immutationem, & perpeſſionem animæ, non ut caro etſi Carnem habituri ſumus, ſed ut Cæleſtes Spiritus manſuri ſimus: Ergo ſpem habeamus æternæ vitæ. Poſtquam ergo carnem habituri* ſunt *in Reſurrectione pii homines, non terrenam vitam in terreno Regno, ſed æternam in cæleſti agent. Quamvis autem Sanctus Dionyſius Alex. adverſus Nepotem, qui mille Annorum Regnum in deliciis Corporalibus poſt Reſurrectionem futurum errore judaico aſſerebat duos libros conſcripſerit: non tamen primus illud Regnum excluſit, quia multi*

illi

Iam ergo in priori S. Juſtini enuntiato nihil vani, nihil periculi, nihil errotis apparet. Quippe quia ſine ulla annorum reſtrictione S. Martyr tradidit, *Hereditatem* hoc eſt Deum, cui & *Abraham* credidit, & *Chriſtiani* orthodoxi credunt, in *infinitum ævum cerni:* quæ proinde viſio poſt juſtorum mortem, ac poſt judicium ultimum *erit* æterna, quo principio abſolute poſito Juſtinus exinde *puram, ac piam ſententiam*, quam *multi* ejus temporis *Chriſtiani ſequebantur* adduxit: qua ſcilicet ipſi fideles & illud mille *annorum* regnum, & Jeroſolymam inſtauratum iri, & poſt hæc *futuram omnium reſurrectionem* & ſanctorum gloriam, ut Juſtinus ſubiicit, *non agnoſcebant:* ac proinde iidem *multi Chriſtiani* apoſtolici illam *puram*, & *piam ſententiam* ſolum adprobabant, non mille annos Jeroſolymæ ante univerſalem reſurrectionem, & ante univerſale judicium peragendos eſſe, ſed tantummodo poſt univerſalem reſurrectionem poſtque generale judicium damnatorum pœnas æternas in inferis fore, & juſtorum, quorum etiam corpora reſurgent, completam gloriam in Cælis ſempiternam futuram, & adeo in *infinitum ævum* ab iiſdem juſtis Deum certiſſime *cerni*.

Hanc ſententiam cum primum Juſtinus nulla annorum circumſcriptione meritus fuerit, immo eam abſolute protulerit: tum poſtea illud mille annorum regnum dubitando admittere viſus eſt iis verbis: *ego, & ſi qui recte in omnibus ſentiunt Chriſtiani, ſcimus, futuros mille annos in urbe Hieruſalem ædificata, & ornata ubi* particula *ſi*, quam etiam Dallæus affert, quæque in græco Juſtini textu reperitur, ſic dubitationis vim habet, ut quoque ex antecedenti S. Martyris textu evincatur: in quo is neutiquam dixit, ſi quod Chryſtianorum genus *piam, & puram ſententiam* ſequitur, *id non agnoſcit:* ſed abſque ulla dubitan-

illi Chriſtiani ſecundo ſæculo celebres illud non agnoverunt. Ac S. Irenæus lib. 1. adverſus Hæreſes cap. 10. uti in priori Diſſertatione pag. 114. *retulimus, ex traditione* Eccleſiæ per univerſum Orbem uſque ad extremos Terræ fines diſperſæ *affirmavit, Chriſtum poſt univerſale Judicium* Juſtis.... gloriam ſempiternam afferre. *Deinde idem Irenæus lib. 5. cap. 33. de illo mille Annorum Regno a quibuſdam Præsbyteris invecto ait* Præsbyteri dicunt; *Irenæus ergo* ex vi Traditionis *poſt univerſale Judicium* gloriam *credidit* ſempiternam: *mille autem Annorum Regnum retulit non ut a ſe aſſertum, ſed ut ab illis Præsbyteris dictum. Quamvis vero S. Hyeronimus in caput 19. Jeremiæ dicat, quod* multi.... iſta dixerunt, *de illo videlicet mille Annorum Regno: tamen* dixerunt, *ait, non dicit tradiderunt, quod dictum reſpondet illis Irenæi verbis* Præsbiteri dicunt; *quorum dictum diſtinguimus a Cerinthi, & Nepotis errore, quia iſti Heterodoxi in eo Regno carnis voluptates Hæreſi admittebant: Papias vero & alii* Presbyteri *illud mille Annorum Regnum in ſpiritualibus deliciis futurum dicebant, quibus tamen multis ab Hyeronimo adductis* Eccleſia per univerſum Orbem diſperſa *prævaluit, docens* gloriam ſempiternam.

tandi particula pronuntiavit, *multos ex illo Chryſtianorum genere, quod piam, & puram ſequitur ſententiam, id non agnoſcere*. Agnovit ergo Juſtinus, hanc abſolute *piam*, & *puram eſſe ſententiam:* Ac ſuam, & aliquorum opinionem de eo mille annorum regno valde dubiam eſſe, & infirmam: ac proinde non iſtam opinationem, ſed illam *piam*, & *puram ſententiam* retineri debere: quia non illi *piæ ſententiæ*, ſed iſti opinationi particulam *ſi* apponens non illam, ſed iſtam in dubium vocavit, ac ſic cœpit erroris periculum amoliri.

At neque Dei eſſentiam finitam voluit Juſtinus; quia ſacræ Geneſis verba, (a) *deſcendit Dominus ad videndam Turrim quam edificaverant filii hominum* ita ediſſeruit, (b) „ Non exi„ ſtimetis. ipſum ingenitum Deum „ deſcendiſſe, aut aliquo ex loco „ aſcendiſſe. Neque enim ille non „ enarrabilis Pater, & Dominus uni„ verſorum in aliquem locum venit, „ neque ambulat, neque dormit; ſed „ in regione ſua, quæcumque tan„ dem illa eſt, manet, acutum cer„ nens, & acutum audiens, non „ oculis quidem, nec auribus, ſed „ virtute non enarrabili, ac omnia „ videt, & omnia cognoſcit, nec „ quiſquam noſtrum eum latet, nec „ movetur, nec loco comprehendi po„ teſt, immo ne toto quidem mun„ do .... niſi enim ſcripturas ita „ intelligamus, eò res evadet, ut „ Pater, & Dominus univerſorum „ tunc in Cœlis non fuerit, jam per „ Moyſem dictum eſt, *& Dominus* „ *pluit ſuper Sodomam* ignem, & Sul„ phur (c) *a Domino è Cœlo*.

His quidem Juſtinus adverſus Tryphonem Judæum evincit, Deum Patrem, cujus *virtus* atque adeo eſſentia incorporea *non enarrabilis*, ac non adeo finita eſt, *non ambulaſſe*, neque ita corporeo modo per ſe motum eſſe, & per ſe corporum inſtar deſcendiſſe de Cœlo, & pluiſſe ſuper Sodomam ignem, & ſulphur; ſed *virtute non enarrabili*, ſive infinita potentia, & eſſentia, quæ *ne toto quidem mundo comprehendi* poteſt, ipſum Deum Sodomæ ignem, & ſulphur attuliſſe: quæ Juſtini documenta Dei *virtutem*, potentiam, atque eſſentiam infinitam oſtendunt. Sed tamen Dallæus ab ſe fictionis culpam non amovet, dum fingit, Juſtinum de Patre dixiſſe, *alioquin in Cœlis non fuerit*. Atqui iſtud *alioquin* in Juſtini textu non eſt. Ergo Dallæus vocabulum ipſum confingit. Verum Juſtinus quidem hoc protulit, *niſi enim ſcripturas ita intelligamus. eo res evadet, ut Pater tunc in Cœlis non fuerit:* in quo textu particula *niſi non Cœlis*, ſed *ſcripturis* antea adductis alligata eſt. Quare debemus ex priori Juſtini aſſertione & Dei eſſentiam monſtrare infinitam, & inde ediſſerere poſterius S. Martyris enuntiatum: qui primum ait, quod *Deus nec movetur, nec loco comprehendi poteſt, nec toto mundo:* qua enuntiatione quid clarius contra Dallæi figmenta Juſtinus dicere potuit? ſola enim Dei eſſentia, ut pote infinita, *ne toto quidem mundo comprehendi poteſt*. Quare ſi Deus moveretur, & in *ali-*

(a) *Gen.* 17.
(b) S. *Juſt. in Dial. cum Tryph. Jud.* *pag.* 220. *& ſeq.*
(c) *Gen.* 19. 24.

aliquem locum, puta *Sodomam*, è *Cælo veniſſet*: Jam *loco comprehenſus non fuiſſet in Cælis*. Atqui *nec movetur, nec loco, nec toto mundo comprehenditur*: Non ergo Cœlos deſerens, in eum locum propriè venit: Sed *ſuper Sodomam ipſe Dominus univerſorum* propria potentia infinita, ſive *virtute non enarrabili*, *ignem pluit*, & *Sulphur*. Hanc porro virtutem, & infinitam eſſentiam Dei Filio Juſtinus, uti antea vidimus, ibidem adſcripſit: qui proinde tradidit, *Patrem*, & *Filium*, ejuſdem eſſe ſubſtantiæ, ac ſola perſonarum proprietate diſtingui: non quo Pater in Cælis fuerit, Filius non fuerit: Sed quia Filius, qui etiam *ne toto quidem mundo, nec loco comprehendi poteſt* quique in quadam apparenti ſpecie viſus ignem ſuper Sodomam pluit, a Patre ſemper genitus eſt. Hanc non naturæ, ſed perſonarum diſtinctionem adverſus Tryphonem Judæum Juſtinus eo probavit, quod non Pater, ſed Filius a Patre miſſus in ea apparenti ſpecie deſcendit, ut & *turrim* illam *videret*, & Sodomam igneis pænis afficeret. Cum autem Pater, Filius, & Spiritus Sanctus unus Deus, ac tres Perſonæ diſtinctæ ſint: atque in Cælis ſuam Gloriam patefaciant: cum in Cælis eſſe ita credantur, ut ubique ſint, ut ne Cælorum *loco*, ac *ne toto quidem mundo aut comprehendi poſſint*, aut comprehendantur; quod trium Divinarum perſonarum unam eſſentiam infinitam demonſtrat. Hoc Juſtinus ex ſcripturis evicit: hoc in antecedentibus ſtatuit: hoc ergo in conſequentibus voluit.

Nunc autem Angelos eſſe incorporeos ex antiquioribus ad probemus, ſimulque obiecta diluamus.

Imprimis S. Juſtinus de Angelis, (a) qui ordinem a Deo inſtitutum prætergreſſi ſunt, agens, Auguſtis hæc ſcripſit: „ Angeli autem ordinem inſtitutum prætergreſſi in ſtupra cum mulieribus prolapſi ſunt, ac Filios ſuſceperunt eos, qui Dæmones appellati etiam poſtea genus humanum ſibi in ſervitutem adduxerunt partim ſcriptis magicis, partim terroribus, & ſuppliciis... Id profecto ex his, quæ omnium oculis geruntur, perſpicere poteſtis: plurimos enim Dæmoniis agitatos in toto orbe & in urbe veſtra multi ex noſtris Chriſtianis cum per nomen Jeſu Chriſti a Pontio Pilato Crucifixi adiurarent; ab aliis adiuratoribus incantatoribus non ſanatos ſanaverunt, atque etiam num ſanant, tractis, & ejectis Dæmonibus homines detinentibus... Quoniam autem Deus ab initio liberum Angelorum, & hominum genus creavit: meritò eorum, quæ peccaverint ſupplicia in æterno igne perſolvent. Creatæ autem cujuslibet rei hæc natura eſt, ut virtutis, & vitii ſit capax. Neque enim quicquam laudabile faceret, niſi ſeſe in utramque partem vertendi facultatem haberet. Atque id etiam declarant, qui in qualibet regione apte ad rectam rationem leges tulere, ac philoſophati ſunt ex eo, quod alia fieri præſcribant, alia vitari. Hæc eadem conſtanter

„ pro-

(a) S. Juſt. Apol. 1. pag. 26.

„ probant Stoici, cum de moribus
„ diſputant; ut facile pateat in prin-
„ cipiis, & rebus incorporeis per-
„ tractandis non rectam eos viam
„ inſiſtere. Nam ſi fato fieri dicant,
„ quæ ab hominibus fiunt; vel De-
„ um nihil aliud eſſe ſtatuent præter
„ ea, quæ vertuntur, & immutan-
„ tur, & in eadem ſemper reſoluun-
„ tur, Sicque nullius rei, quæ qui-
„ dem corruptioni non ſit obnoxia,
„ notationem habere, ac Deum ip-
„ ſum tum per partes, tum per uni-
„ verſum in omni miſeria, & nequi-
„ tia conſtituere videbuntur: vel ni-
„ hil eſſe vitium, atque virtutem;
„ quod ab omni ſana notione, & ra-
„ tione, & mente alienum eſt.

Idem Juſtinus (a) ubi Angelos a Deo creatos ex ſacris Scripturis oſtendit: ſtatim hæc adſtituir: „ An-
„ gelos quidem eſſe; ac ſemper ma-
„ nere, neque in id, ex quo extire-
„ runt diſſolui demonſtratum eſt.

S. Irenæus (b) homines non ab Angelis, ſed a Chriſto Deo, & Homine redemptos fuiſſe, hac ratione demoſtrat: „ quoniam neque homo
„ tantum erit, qui ſalvat nos, ne-
„ que ſine carne: ſine carne enim
„ Angeli ſunt.

Atque Irenæus (c) eos, qui intelligentes hominum animas ſimul cum corpore mori per errorem cen- ti bant, exagitavit hoc modo: „ Quæ
„ ſunt ergo mortalia corpora? Num
„ quid nam animæ? ſed incorporales
„ animæ, quantum ad comparatio-
„ nem mortalium corporum: inſuf-
„ flavit enim in faciem hominis Deus
„ flatum vitæ; & factus eſt homo in
„ animam viventem. Flatus autem
„ vitæ incorporalis. Sed ne morta-
„ lem quidem poſſunt dicere ipſum
„ flatum vitæ exiſtentem: & propter
„ hoc David air, & *anima mea illi*
„ *vivet*, tanquam immortali ſub-
„ ſtantia ejus exiſtente. Sed neque
„ ſpiritum poſſunt dicere mortale
„ corpus. Quid igitur ſupereſt di-
„ cere mortale corpus, niſi plaſma,
„ id eſt caro, de qua (d) & ſermo
„ eſt? quoniam *vivificabit* eam Deus.
„ Hæc enim eſt, quæ moritur, &
„ ſolvitur; ſed non anima, neque
„ ſpiritus. Mori enim eſt vitalem
„ amittere habilitatem, & ſine ſpi-
„ ramine in poſterum, & inanima-
„ lem fieri, & deperire in illa, ex
„ quibus & initium ſubſtantiæ ha-
„ buit. Hoc autem neque animæ e-
„ venit; flatus eſt enim vitæ: neque
„ ſpiritui; incompoſitus eſt enim,
„ & ſimplex ſpiritus, qui reſolui
„ non poteſt.

(e) Ad hæc S. Irenæus primum de Enoch, & poſt de Diabolo hæc ſcripſit: „ Enoch ſine circumciſione
„ placens Deo, cum eſſet homo, le-
„ gatione ad Angelos fungebatur, &
„ translatus eſt, & conſervatur uſ-
„ que nunc teſtis juſti judicii Dei.
„ Quoniam Angeli quidem tranſgreſ-
„ ſi deciderunt in terram in judi-
„ cium: Homo autem placens tran-
„ slatus eſt in ſalutem .... Cum igi-
„ tur a Deo omnia facta ſunt; &
„ Diabolus ſibimetipſi, & reliquis fa-

(a) *S. Juſt. in Dial. Cum Tryph. pag.* 221.
(b) *S. Iren. lib.* 3. *Adver. Hær. Cap.* 20. *pag.* 214.
(c) *S. Irenæ lib. V. Adver. Hær. Cap.* 7. *pag.* 300.
(d) *Ad Rom.* 1.
(e) *S. Irenæ lib. IV. Adver. Hær. Cap.* 16. *pag.* 246.

,, ctus (a) eſt abſceſſionis cauſa: Juſte
,, ſcriptura eos, qui in abſceſſione
,, perſeverant ſemper filios Diaboli,
,, & Angelos dixit maligni: Filius
,, enim quemadmodum & quidam an-
,, te nos dixit, dupliciter intelligi-
,, tur: Alius quidem ſecundum id,
,, quod natus ſit Filius: Alius autem
,, ſecundum id, quod factus eſt, re-
,, putatur filius: licet ſit differentia
,, inter natum, & factum. Quoniam
,, ille quidem ex eo natus eſt; iſte
,, autem ab ipſo factus eſt, ſive ſe-
,, cundum doctrinæ magiſterium. Qui
,, enim ab aliquo edoctus eſt verbo,
,, filius docentis dicitur; & ille ejus
,, Pater. Secundum igitur naturam,
,, quæ eſt ſecundum conditionem, ut
,, ita dicam omnes Filii Dei ſumus,
,, propter quod a Deo facti ſumus.
,, Secundum autem dicto audientiam,
,, & doctrinam non omnes Filii Dei
,, ſunt, ſed qui credunt ei, & faciunt
,, ejus voluntatem. Qui autem non
,, credunt, & non faciunt ejus vo-
,, luntatem Filii, & Angeli ſunt Dia-
,, boli.... Et propter hoc Dominus,
,, quos ſciebat hominum eſſe proge
,, niem, dixit ſic progeniem vipera-
,, rum, ſecundum ſimilitudinem ho-
,, rum animalium in varietate ambu-
,, lantes, & lædentes reliquos.

(*b*) Athenagoras de Simulachris, in quibus Dæmones operabantur, pertractans, affert opinationem Platonis; ,, (*c*) Qui de cæteris, inquit,
,, Dæmonibus dicere, eorumque ge-
,, nerationem pernoſcere, vires no-
,, ſtras ſuperat. At num is, inquam,
,, de iis, quæ ex rebus ſub ſenſum
,, cadentibus, Cælo, & terra geniti
,, feruntur, verum perdiſcere majus
,, eſſe viribus ſuis exiſtimavit? An
,, potius id prorſus dici non poteſt?
,, Sed quia fieri non poſſe intellige-
,, bat, ut gignant, & gignantur Dii,
,, quippe cum genita finis conſe-
,, quatur; illud autem adhuc diffici-
,, lius eſſe; ut vulgus, quod Fabulas
,, inconſiderate adſcivit, dedoceatur;
,, propterea majus viribus ſuis eſſe
,, dixit, de cæterorum Dæmonum
,, generatione pernoſcere, ac diſſe-
,, rere, cum Deos generari nec co-
,, gitare poſſet nec dicere, ſed ne-
,, ceſſe eſt apud vos, qui in omni
,, Doctrina verſati eſtis, aut poeta-
,, rum meminiſſe, aut alias ſenten-
,, tias exquirere: Cum paucis ita
,, poſſim dicere: ſi Philoſophi, &
,, poetæ unum quidem Deum eſſe non
,, agnoſcerent, nec de iſtis Diis ita
,, ſentirent, ut eos alii Dæmones
,, eſſe, alii materiam, alii homines
,, fuiſſe dicant: non deeſſet cauſa,
,, cur exagitaremur, qui Deum, &
,, materiam, ac utriuſque naturas
,, diſcernimus. Quemadmodum enim
,, Deum dicimus, & filium ipſius, &
,, Spiritum Sanctum unitos ſecun-
,, dum virtutem, Patrem, & Filium,
,, & Spiritum Sanctum; quia mens
,, Verbum, & ſapientia Filius Patris
,, eſt; Effluvium autem, ut lumen ab
,, igne Spiritus: ſic alias eſſe pote-
,, ſtates accepimus, quæ circa mate-
,, riam, & ope materiæ principatum
,, exercent... Contrarius eſt ille
,, circa materiam Spiritus, a Deo,
,, ut cæteri Angeli, factus, ac mate-

(a) *S. Iren. in eodem lib. IV. pag. 301.*
(b) *Athen. in leg. Pro Chriſt. pag. 301.*
(c) *Inter S. Juſtini Opera.*

„ riæ, ejuſque ſpecierum adminiſtra-„ tioni præfectus... Qui de Cælo „ lapſi, circa aerem, & terram ver-„ ſantur; nec jam ſupra Cælum eve-„ hi poſſunt.

Tertullianus de Angelis, qui non vera corpora humana; ſed apparentia (a) aliquando aſſumpſerunt, hæc dixit: „ Conſtat Angelos carnem pro-„ priam non geſtaſſe, utpute, natu-„ ra ſubſtantiæ ſpiritalis.

Rurſus idem ſcriptor de iiſdem Angelis ita locutus eſt: „ Angeli (b) ali-„ quando tanquam homines fuerunt „ edendo, bibendo, & pedes lavacro „ porrigendo. Humanam enim ſu-„ perficiem induerunt, ſalva intus „ ſubſtantia propria.

(c) S. Gregorius Nanzianzenus aſſerit: „ Angelos eſſe incorporeos, & „ ad Deum accedentes.

S. Baſilius de incorporeis natu-(d) ris agens, confirmavit: „ Ange-„ lum eſſe ſubſtantiam incorpoream.

Denique S: Gregorius (e) Nyſſenus de rationali natura ſic ſcripſit „Omnis natura rationalis dividi-„ tur in corpoream, & incorpoream „ naturam. Incorporea porrò eſt „ Angelica natura.

Ex hiſce omnibus primitus liquet a S. Juſtino Angelos incorporeos ſignificari, Nam in adducto loco S. Martyr Philoſophos Ethnicos, qui *fato*, aut neceſſaria rerum connexione omnia evenire affirmabant, everſurus aſſervit, eoſdem Philoſophos de *Principiis*, & *rebus incorporeis non recte pertractaſſe*: quatum principium & Deum incorporeum, & *res* ab eo creatas, atque *incorporeas* tum Angelos, tum *liberam* hominis animam eſſe Juſtinus intellexit, ea adjuncta ratione; quia ſi *fato fieri* Stoici *dicant*, quæ ab *hominibus fiunt*: jam rei, quæ *nullius, corruptioni obnoxia non ſit*, *notationem* habeat, ac vel *Deum in omni nequitia* impie *conſtituunt*, vel *nihil eſſe vitium*, *atque virtutem* indigitant: quæ omnia illi antecedenti reſpondent, in quo S. Martyr ait, a *Deo liberum* Angelorum, & *hominum genus*, quod *virtutis*. & *vitii capax ſit*, creatum fuiſſe. Ergo & *Deum incorporeum principium* efficiens, atque creans, & *Angelos*, ac *liberas hominum* àni nas eſſe res *incorporeas* Juſtinus liquido voluit: quippe cujus in antecedentibus, & conſequentibus iſtis connexis cum Deus creans *principium incorporeum* tum *Angeli*, atque *hominum anima virtutis*, ac *vitii capaces*, *res* quidem *corruptioni* non *obnoxia*, utpute *incorporea*, monſtrantur. Non igitur Angeli maligni propriè, & per ſe ſe ſecundum Juſtinum, cujus verba a Dallæo, & ab aliis ſiniſtre obiiciuntur, *in ſtupra cum mulieribus lapſi* fuere: ſed iſta *magicis artibus*, atque adeo quorumdam pravorum hominum ope effecerunt; neque etiam ipſi maligni Spiritus proprie, & per ſe *filios ſuſceperunt eos*, *qui Dæmones appellantur*. Hos enim in eo numero Angelorum, qui *virtutis*, ac *vitii capaces* fuerant, quippe vitio ſuo ſe a Deo abalienaverant Juſtinus comprehendit, ac dicit. quòd

Deus

(a) *Tertul. in lib. de Carne Chriſti cap. V.*
(b) *Tertul. lib. de Reſur. Car. cap. 62.*
(c) *S. Greg. Nanz. Orat. 34.*
(d) *S. Baſil. lib. de Spir. S. cap. 1. Tom. 3.*
(e) *S. Greg. Nyſſ. Orat. IV. in Dominic. Orat.*

Deus liberum Angelorum genus creavit. Creati igitur Dæmones a *Deo* fuerunt, ac proinde ſecundum Juſtinum ab aliis perverſis Angelis geniti haud ſunt. Quare Juſtinus ut illud, quod de *ſtupris* dixerat, explicaret, adjecit *id* in *plurimis* hominibus, qui a *Dæmoniis agitati* poſtea *per nomen Jeſu Chriſti. ſanati* fuerant *ejectis Dæmonibus*, *perſpici poſſe*. Iſti ergo homines *Dæmoniis agitati* alios *filios Dæmonibus* itidem exagitatos, quos Dæmones ethnici appellabant, *ſuſceperunt*, declarante Juſtino: qui proinde *Angelorum genus incorporeum* cenſuit, & ſpiritale.

Idque etiam a S. Irenæo, qui Juſtino coævus extitit, aliter declaratur; cujus ſententia uſque ab Apoſtolicis ducta temporibus, & adlegatorum veterum firmata conſenſu hæc eſt, *Angelos ſine carne*, & *incorporales*, & *incompoſitos Spiritus* eſſe; qui proinde nec carnis, neque etheris corporibus quæ partibus componuntur, certiſſime conſtant.

Quidam verò Eruditi putant; quod in eo ſacræ Geneſis loco, ubi *Filii Dei* leguntur, a quibuſdam codicibus *Angeli Dei* exhibeantur: qua lectione aliqui veteres moti cenſuerint, ab Angelis malignis, & corporeis filios procreatos fuiſſe: quam opinationem S. Irenæus antiquiſſimus ſcriptor funditus ſuſtulit non ſolum ea ſua ratione, quod *Angelus*, & *ſine carne* eſt, & *incompoſitus*, ac *ſimplex eſt ſpiritus*, ac non adeo filios, qui carnali modo procreantur gignere poteſt, nec Angeli ulla aſſumpta ætherea ſubſtantia compoſita ex partibus, quibus etiamſi ſubtilioribus *ſimplex & incompoſitus Spiritus* caret Filios producere queunt: non ſolum inquam, hac firmiſſima traditione illam opinionem Irenæus convellit; verum etiam quia eam filiorum appellationem impropriam eſſe prædocuit:

Nam ediſſeruit, primum Diaboli, deſertorumque ejus Angelorum peccatum haud quaquam fuiſſe, quod primos homines ad peccandum impulerint: *quoniam*, inquit, *Angeli tranſgreſſi deciderunt in terram*. In terra autem Diabolus primos homines certe tentavit: non ergo in terra Dei mandata primum *tranſgreſſus* eſt: quippe ex eo, quod illa utique in Cælo *tranſgreſſus* fuerit, *decidit in terram*; qui lapſus eorum Angelorum peccatum ſupponit: quod videlicet *Diabolus ſibi, & reliquis factus eſt abſceſſionis cauſa*, ita ut *juſte ſcriptura eos, qui in abſceſſione* ſunt *filios Diaboli*, & *Angelos* ipſius *Maligni* ſpiritus *dixerit*. *Filius enim, quemadmodum quidam ante* Irenæum *dixit, dupliciter intelligitur:* primum *alius* eo, quod *natus ſit*, dicitur filius: alius autem *ſecundum* id, quod *factus eſt*. Vel *ſecundum conditionem*, vel *ſecundum doctrinæ magiſterium: qui enim* ab *aliquo edoctus eſt verbo filius docentis dicitur. Secundum igitur naturam* & *conditionem omnes Filii Dei ſumus. Secundum* autem *doctrinam non omnes ſunt Filii Dei: Sed qui credunt ei, & faciunt ejus voluntatem*. *Qui* verò *non credunt*, & *non faciunt ejus voluntatem*, *Filii, & Angeli Diaboli ſunt*.

Ecce Irenæus ſecundum *quemdam* antiquiorem, utique Apoſtolicum virum liquidò tradidit *Enoch functum* eſſe *legatione ad eos*, qui *Angeli* in quibuſdam ſcripturæ codicibus dicebantur, & homines erant; quorum

aliqui inde mulierum amore rapti, *nec Deo credentes*, nec *voluntatem ejus facientes*; *Filii & Angeli Diaboli* dicti fuere. Non igitur Irenæus, neque alter ipſo vetuſtior, quem laudavit, aut illa lectione, aut quibuſdam libris apocryphis idem continentibus decepti fuere. Sed ex eodem vetere Irenæus aſſeruit, Angelicum Spiritum improprie Filium nuncupari, at propriè, & omnino *incorporalem* eſſe; quia *reſolvi non poteſt*; quæ Irenæi ratio firmiter probat, Angelos *neque carne*, neque etheris, vel aeris corpore utpote quod in partes *reſolvi poſſit*, compoſitos eſſe. Quod ipſum cum Juſtinus illis verbis, quibus *Angelos diſſolvi* inficiatus eſt: affirmarit: idcirco ſignificavit, a *Dæmonibus* aliquos homines obſidentibus alios Dæmonicos improprie genitos eſſe, & ipſos Dæmones, ut qui *diſſolvi* nequeant, prorſus eſſe *incorporeos*.

Et vero Athenagoræ propoſitum fuit, eos Dæmones, qui in ſimulachris loquebantur, & ab Ethnicis *Dii* falsò putabantur, *nec gignere* poſſe, nec *gigni*; ideoquè *Spiritum a Deo creatum*; ut cæteros *Angelos*: a *materia*, *ejuſque ſpeciebus*, quibus a Domino *præfecti fuerant*, omnino diſtingui; nullaque adeo, vel etheris, vel carnis materia, cujus illæ ſpecies ſunt eos conſtare.

At quidam obiiciunt, inibi Athenagoram de Diabolo, (*a*) ac *Dæmoniis* ejus ſectatoribus addere, quod ſint *iſti quidem in Virginum cupiditatem lapſi, & carnis amore ſuperati: ille autem in rerum ſibi commiſſarum adminiſtratione negligens & improbus*. *Ex his igitur Virginum amoribus nati ſunt illi, qui vocantur Gigantes*.

Verum hæc ex Athenagoræ ſubſequentibus ediſſeri debent, in (*b*) quibus ipſe rationem hanc reddidit: *quia profecta à contrario Spiritu Dæmonicæ motiones, & operationes hos impetus inordinatos excitant*. Non igitur Dæmones propria Virginum cupiditate; nec proprio carnis amore capti fuere; quippe qui *hos inordinatos cupiditatis, & amoris impetus* ante diluvium in quibuſdam hominibus, è quibus *Gigantes nati* ſunt, *excitabant* tentando. Ob quam tentationem Athenagoras illam *Virginum cupiditatem*, illumque *carnis amorem contrario Spiritui*, ſive Diabolo nunquam attribuit. ſed arbitratus eſt, hunc primò peccaſſe, quod *in rerum ſibi commiſſarum adminiſtratione negligens fuit, & improbus*: qui ad ſe reliquos Dæmones traxit, ac de Cælo lapſus exinde vel eo peccavit, *quia profecta* ab ipſo *Dæmonicæ motiones* eos *inordinatos* concupiſcentiæ impetus in hominibus excitarunt. Atqui *contrarium* iſtum *Spiritum* Athenagoras, ut modo vidimus, a *materia*, *ejuſque ſpeciebus* ſecrevit. Ergo etiam a *materia* ipſiuſque *ſpeciebus motiones Dæmonicas*, quæ videlicet a reliquis Dæmonibus vel proficiſcuntur, diſtinxit: ſimulque voluit, tum Diaboli, ac Dæmonum *Spiritus*, tum eorum *operationes* a *materia* ipſa ejuſque ſpeciebus, quæ vel ætheris, vel carnis, vel aliarum rerum corporearum velut genera continet, diſtinctas eſſe, & adeo incorporeas. Cum itaque Dæmones nec *gignere* poſſe, nec *gigni* Athenagoras pr-

(*a*) *Athenag. ibid.*

(*b*) *Athenag. ibid.*

propoſuerit, iſtudque poſterius de *Dæmonicis* motionibus addiderit. Profectò adſignificavit, Dæmones nulla propria Virginum cupiditate, nullove proprio carnis amore, qui ad gignendos homines attinet, prorſus flagraſſe: Sed ipſos incorporeo modo egiſſe, ac tentaſſe: dum ſcilicet ipſi *ſpiritus improbi* in tentationum peccata iterum lapſi; *Dæmonica motione*, atque adeo ſpiritali *operatione* maligna in illis hominibus *inordinatos cupiditatis amoris & carnis impetus excitarunt*.

Deinceps ex Tertulliano liquet, *Angelos Spiritales*, cum *humanam ſuperficiem induerint*, & apparuerint, *non propriam carnem geſtaſſe*: ac proinde *ſpiritalem Angelorum ſubſtantiam*, quæ *carni* etiam apparenti opponitur, incorpoream protinus eſſe.

Fruſtra autem Dallæus obtendit, quod Tertullianus in libro de Idololatria *Angelos carnales* mulierum amatores vocarit: quæ tamen vox carnalis a Dallæo ficta eſt, cum in (a) eo libro non extet: ubi Tertullianus adverſus Aſtrologos, qui ad prædicenda inania Dæmonum ope nequiter utebantur, hæc habuit: „ dico „ Angelos eſſe illos deſertores Dei „ Amatores Fæminarum, Proditores „ etiam hujus curioſitatis.

Hic ergo Tertullianus, uti a Dallæo fingitur, non appellavit Dæmones *carnales amatores fœminarum*: ſed tantum eos vocavit *amatores fæminarum*, & *proditores hujus curioſitatis*, quam ſcilicet quidam Aſtrologi iniquius delectabantur. Porro autem Dæmones *hujus curioſitatis Proditores* eſſe non potuerunt, niſi *humanam ſuperficiem induiſſent*, ac ſic non *propriam carnem geſtaſſent*, ut idem Tertullianus edocuit. Ergo iidem Angeli deſertores *humanam ſuperficiem induendo*, ac *non* adeo *propriam carnem geſtando* apparuerunt mulierum *amatores*: qui proinde, contra quam Dallæus comminiſcitur, non carnales, ſed apparentes *amatores fœminarum* ſecundum Tertullianum aliquando fuerunt.

Itaque S. Irenæo, ac reliquis Patribus vel docentibus, vel ſignificantibus incorporei ſunt Angeli.

Nunc autem alio ſingulorum veterum dicta, quæ cenſor immeritò appetit, referamus atque explicemus oportet.

Juſtinus imprimis cenſuit, Deo permittente, *Juſtorum animas*, quæ ante Chriſti reſurrectionem in ſuperiori inferorum parte detinebantur, exterius ab inferis, in quibus maligni Angeli extant, ſub eorum poteſtate fuiſſe: quod tamen certum non eſſe Juſtinus (b) expreſſit his verbis: „ Apparet autem animas ejuſmodi „ juſtorum, & Prophetarum ſub po„teſtatem talium virtutum cecidiſ„ſe, qualem virtutem, & in Ventri„loqua illa fuiſſe rebus ipſis decla„ratur.

Vides ne? Dallæus in afferendo Juſtini textu *apparendi* vocem ſubdole omiſit, ut ex illo ſiniſtre colligeret, illud ut dogma, quod certum ſit, ab Juſtino pronuntiatum fuiſſe; qui tamen *apparendi* verbo, quod rem in dubium vocat, bene uſus, oſtendit, idipſum, quæ juſtorum ani-

(a) *Tertul. in lib. de Idol. cap. IX.* (b) *S. Juſt. in Dial. cum Tryph. Jud. num.* 11.

animæ ante Chriſti mortem in ſuperiore inferorum loco, & exterius in Dæmonis quidem poteſtate fuiſſe, ſed nulla pœna affectæ, nec Dæmoni ſubjectæ dicuntur, non eſſe certum dogma, ſed dubium pronuntiatum; quippe quod *appareat*, ac proinde indubitatum non ſit. Quare Juſtinus i li *apparendi* verbo non ut Dallæus comminiſcitur, illam Chriſti morientis vocem, qua, *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum*, dixerat, ſtatim alligavir, ſed in *ventriloqua illa*, de qua poſtea dicemus, *talem* Dæmonis *virtutem* fuiſſe, illico adſtituit, nempe ut hoc Fidei dogma, quod ad Chriſtum morientem ſpectat, a dubio illo apparendi pronuntiato ſecerneret. Quandoquidem certum Fidei dogma eſt, Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe, ut ab inferis, preſertim illas Juſtorum animas, quæ in ſuperiori eorum loco detinebantur, liberaret. Ob quod Dominus ipſe & deſcendit ad inferos & illas juſtorum animas liberavit, & ad Cælos adduxit. Hoc igitur certum eſt dogma: illud autem, de quo diximus ex Juſtino enuntiatum dubium *apparet*: quod inde non ut certum Chriſtianorum dogma, non ut diutius fixum, & ratum, non ut mirifice, ſed dubitanter pronuntiatum ſecutus eſt Anaſtaſius *(a)* Antiochenus; in cujus verbis, quæ Dallæus retulit, illa dubitationis, & certi dogmatis diſtinctio eſt; qua Anaſtaſius putavit, animas Sanctorum ſub manu Dæmonis in inferis extitiſſe: ſed tamen ex certiſſima traditione credidit, Chriſtum ad inferos deſcendiſſe, & Juſtos, exterius, ſive eodem in loco extantes, ut detentos libertate donaſſe, & ad Cælum duxiſſe.

His explicatis, amabo Te; qua ex ſcriptura S. Juſtinus primum laudatus hauſerit, quæ in priori Apologia de Chriſto vocante, ſive de ſuperna ejus gratia præveniente, diſerte prædocuit? Reſpondeat Cenſor ac dicat, quod ex Evangelio documentum illud Juſtinus ceperit, dum ſibi ait: *(b)* Quid dicam innumera-
„ bilem eorum multitudinem, qui
„ ex intemperantia converſi ſunt, at-
„ que hæc didicerunt? Non enim Ju-
„ ſtos, aut pudicos ad penitentiam
„ vocavit Chriſtus, ſed impios, &
„ impudicos, & injuſtos. Sic enim
„ ait; *Non veni vocare juſtos*, ſed
„ *peccatores* ad *penitentiam*.

(c) Tum Juſtinus plura adverſus Judæos ſcribens, primum declaravit, ſe de *nullo* eorum præjudicare:
„ *qui ſecundum gratiam* Domini Sa-
„ baoth ſalvari poſſunt.

Deinde a quibuſdam non credentibus fideles diſtinguens, de iſtis hæc habet: „ *(d)* Nonnullis exceptis,
„ quibus ſecundum ſummæ ſuæ mi-
„ ſericordiæ gratiam, ut ait Eſa-
„ ias, ſemen, & ſalutem reliquit.

Denique Tryphoni judæo, aliiſque *(e)* Hebræis Juſtinus hæc dixit:
„ Putatis futurum unquam facile,
„ ut hæc in ſcripturis intelligere poſ-
„ ſemus, niſi voluntate illius, qui

„ hæc

(a) *Anaſt. in Odig.*
(b) *S. Juſtin. Apol. 1. pag. 62.*
(c) *S. Juſtin. in Dial. Cum Tripb. num. 6.*
(d) *Juſt. ibid. num. 77.*
(e) *Ibid. num. 119.*

„ hæc voluit gratiam accepiſſemus „ intelligendi.

Juſtinus ergo ex ſacris litteris primitus tradidit, *ſecundum Domini gratiam*, & *homines ſalvari poſſe*, & *Deum* ipſum *nonnullis* Iſraelitis *ſemen reliquiſſe ac ſalutem;* ideoque a *Chriſto innumerabilem peccatorum multitudinem, qui ex intemperantia converſi ſunt, vocatam* fuiſſe.

Hiſce, atque aliis, quæ ex priore Juſtini Apologia antea retulimus, poſitis, idem S. Martyr in pòſteriori Apologia, quæ a Dallæo incaſſum aſſertur, antiquos Philoſophos ſegregavit ab *Abrahamo*, & *Azaria*, & a *Chriſtianis*, qui poſtea a Domino vocati fuere.

Ac de Philoſophis illis dixit, non ſolum quod nullius falſi numinis cultores fuerint, & id circo *Athei habiti ſint:* verum etiam quod *quicumque cum recta ratione vixere, Chriſtiani* extiterint, *quales inter Græcos fuere Socrates, & Heraclitus:* Atqui Juſtinus iſta, quæ de *recta ratione* hic habet, perſpicuè retulit ad eadem illa, quæ in priori Apologia animadverterat: ubi *liberum Angelorum, & Hominum genus a Deo creatum eſſe*, eorumque aliquot, qui *peccaverunt ſupplicia* in *æterno igne perſoluturos*, oſtendit, & inde ait, *id etiam declarare, quæ in qualibet regione apte* ad *rectam rationem leges tulere*, ac *philoſophati ſunt ex eo, quod alia fieri præſcribant*, alia vitari: *Hæc probant Stoici, cum de moribus diſputant* ut *pateat, in principiis, & rebus incorporeis pertractandis non rectam eos viam inſiſtere. Nam ſi fato fieri dicant, quæ ab hominibus fiunt, vel Deum nihil aliud eſſe ſtatuunt præter ea, quæ vertuntur, & immutantur: nullius rei notationem habent, vel Deum in omni nequitia conſtituere videbuntur, vel nihil eſſe vitium*, atque *virtutem quod* ab *omni ſana ratione*, & *mente alienum* eſt. Ad eam igitur *rectam rationem* referenda ſunt iſta S. Martyris verba; *quicumque cum recta ratione vixere, Chriſtiani ſunt;* in eo videlicet, quod Chriſtiani *alia fieri, alia vitari* docent, quæ etiam Gentes, & Philoſophi *præſcripſerunt;* qui tamen a Chriſtianis, quos Chriſtus vocavit, eo diſtinguuntur, quia vel *fato omnia fieri* perperam *ſtatuerunt*, ut ſtoici: vel id, quod *vertitur*, & *immutatur*, Deum eſſe Socrates, & Heraclitus falſo dixerunt. Abraham verò, Azarias, & Chriſtiani poſt iſtos florentes, *Dei gratia* unum Deum immutabilem, atque incorporeum crediderunt, & *coluerunt*: quem cultum Deo vero, nec gentes idololatræ, nec illi Ethnici Philoſophi adhibuerunt: qui proinde non omni ex parte, qua unus Deus juſtus, & immutabilis, & ab omni nequitia alieniſſimus creditur, Chriſtiani fuere: ſed minima ex parte tales eatenus Juſtinus appellavit, quatenus illas partes, quibus bona facienda, & mala vitanda docet Chriſtiana religio, recta quidem ratione intellexerint, at executi non fuerint. At quos Chriſtus *ſecundum* ſupernam ſuam *gratiam* vocavit: iſti illa *didicerunt*, atque ex *intemperantia converſi* ſunt: unde ſuperna Gratia adjuti recta cum Fide, & *ratione* Fidem ſubſequente *vixerunt*, atque etiam nunc *vivunt*, & Chriſtiani proprie appellantur, utpote a *Chriſto vocati*, præmonente Juſtino.

Ac

Ac præterea poſt mortem Juſtorum animas, quibus nullæ peccatorum maculæ abluendæ ſuperſunt, in Cælos ſtatim evehi tradidit; dum de S. Lucio Martyre (*a*) iſta narravit: „ Ille gratias etiam agebat, cum ſe „ ab improbis ejuſmodi Dominis ad „ Patrem, & Regem Cælorum pro- „ ficiſci cognoſceret.

(*b*) S. Irenæus quoque de Martyribus agens, hæc eadem ſcripſit: „ Eccleſia omni in loco ob eam, „ quam habet erga Deum, dilectio- „ nem, multitudinem Martyrum pre- „ mittit ad Patrem.

Juſtinus igitur, & Irenæus ex *Eccleſiæ* Apoſtolicæ traditione apertius declararunt, juſtorum, ac precipue Martyrum animas *ob eam*, quam cum ipſa *Eccleſia erga Deum habuere dilectionem*, non ad quædam loca inviſibilia, uti Dallæus perperam interpretatur, ſed *ad Patrem*, ac *Regem Cælorum*, in quibus is ſuam gloriam patefacit, profectas eſſe, & *præmiſſas*. Hæc ergo de ſtatu animarum ſanctarum poſt mortem fuit *Eccleſiæ*, Juſtini, Irenæi, ac reliquorum Patrum ſententia, atque traditio.

Jam vero Juſtinus de non nullis Hæreticis, qui ejus tempore (*c*) Sadducæos ſectabantur, id dixit, „ quod nullam eſſe mortuorum re- „ ſurrectionem, ſed ſtatim, atque „ moriantur, animas ſuas in Cæ- „ lum ſuſcipi dicunt. Cavete, ne „ eos exiſtimetis Chriſtianos.

Cum itaque iſti Heterodoxi non ſolum mortuorum reſurrectionem hæreſi inficiarentur; verum etiam *animas* eorum, qui *moriuntur*, *ſtatim in Cælum ſuſcipi* ſine ullo diſcrimine effutirent: tum Juſtinus, & Irenæus *ordinem juſtorum*, & *Martyrum*, quorum animæ poſt mortem illico ad *Regem Cælorum proficiſcuntur*, diſtinxere tum ab impiis, ac non pænitentibus hæreticis, qui *ſupplicia* in *æterno igne* perſolvent; tum etiam ab iis Chriſtianis utque *Chriſti* diſcipulis, qui pænitentes quidem moriuntur, ſed, cum ipſis multum luendum ſuperſit, ideo eorum animæ abeant ad quædam *loca* inviſibilia.

Quare S. Irenæus de divite. (*d*) qui ſepultus eſt in Inferno, ac de Lazaro, deque iis, quæ dives ille dicebat, pertractans, hæc habet: „ Per „ hæc enim manifeſte declaratum eſt, „ & perſeverare animas, & non de „ corpore in corpus tranſire, & habere „ hominis figuram, ut etiam cognoſ- „ cantur, & meminerint eorum quæ „ ſunt hic, & Propheticum quoque a- „ deſſe Abrahæ, & dignam habitatio- „ nem unamquamque gentem perci- „ pere etiam ante judicium.

Hæc Irenæi verba, quorum aliqua deinceps declarabimus, cum eo loco qui a Dallæo, atque ab aliis defertur, conjungenda ſunt, & connectenda: quo in loco Irenæus contra eoſdem illos Hæreticos de quibus Juſtinus locutus fuerat, primum hæc protulit: „ (*e*) Quidam ex his, qui „ putantur recte crediſiſſe, ſupergre- „ diuntur ordinem promotionis ju- „ ſto-

(a) *S. Juſt. Apol. 2. num. 2.*
(b) *S. Iren. lib. IV. Adv. Hær. cap. 33. n. 9.*
(c) *S. Juſt. in Dial. Cum Tryph. pag. 177.*
(d) *S. Iren. lib. 2. Adv. Hær. cap. 34. pag. 168.*
(e) *S. Iren. lib. V. Adv. Hær. cap. 31. pag. 330.*

„ ſtorum; & motus meditationis ad
„ incorruptelam ignorant, Hæreti-
„ cos ſenſus in ſe habentes. Hæreti-
„ ci enim deſpicientes plaſmationem
„ Dei, & non ſuſpicientes ſalutem
„ carnis ſuæ; contemnentes autem
„ & promiſſionem Dei, & totum
„ ſupergredientes Deum ſenſu, ſimul
„ atque mortui fuerint, dicunt, ſe
„ ſupergredi Cælos, & Demiurgum,
„ & ire ad matrem, vel ad eum,
„ qui ab ipſis affingitur Patrem.
„ Qui ergo univerſam reprobant re-
„ ſurrectionem, & quantum in ipſis
„ eſt, auferunt eam de medio; quid
„ mirum eſt, ſi nec ordinem reſur-
„ rectionis ſciunt, nolentes intelli-
„ gere, quoniam ſi hæc ita eſſent,
„ quemadmodum dicunt; ipſe utique
„ Dominus, in quem ſe dicunt cre-
„ dere, non in tertia die feciſſet
„ reſurrectionem, ſed ſuper Crucém
„ expirans, confeſtim utique abiiſſet
„ ſurſum relinquens corpus terræ.
„ Nunc autem tribus diebus con-
„ verſatus eſt, ubi erant mortui.
„ Cum enim Dominus in medio
„ umbræ mortis abierit, ubi animæ
„ mortuorum erant; poſt deinde cor
„ poraliter reſurrexit, & poſt reſur-
„ rectionem aſſumptus eſt. Manife-
„ ſtum eſt, quia & diſcipulorum
„ ejus propter quos & hæc operatus
„ eſt Dominus, animæ abibunt in
„ inviſibilem locum definitum eis a
„ Deo, & ibi uſque ad Reſurrectio-
„ nem commorabuntur, ſuſtinentes
„ Reſurrectionem: poſt recipientes
„ corpora, & perfecte reſurgentes...
„ Quoniam igitur transferuntur quo-
„ rumdam ſententiæ ab hæreticis
„ ſermonibus; & ſunt ignorantes
„ diſpoſitiones Dei, & Myſterium
„ juſtorum Reſurrectionis, & regni,
„ quod eſt principium incorruptelæ,
„ per quod regnum qui digni fue-
„ rint, paulatim aſſueſcunt capere
„ Deum, neceſſarium eſt autem di-
„ cere de illis, quoniam oportet
„ Juſtos primos in conditione hac,
„ quæ renovatur ad apparitionem
„ Dei, reſurgentes recipere promiſ-
„ ſionem Hæreditatis, quam Deus
„ promiſit Patribus, & regnare in
„ ea: poſt deinde fieri judicium.
„ In qua enim conditione labora-
„ verunt; ſive afflicti ſunt omnibus
„ modis probati per ſufferentiam:
„ juſtum eſt, in ipſa recipere eos
„ fructus ſufferentiæ; & qua condi-
„ tione interfecti ſunt propter Dei
„ dilectionem, in ipſa vivificari.

Hiſce Irenæus illa, quæ prius dixerat, confirmavit, haud obſcure diſtinguens *ordinem promotionis Juſtorum ab incorruptela*, ſive perfecta corporum humanorum reſurrectione, & a conſumata æternæ gloriæ Hæreditate. Et verò ea diſtinctione poſita primitus Irenæus edocuit, Chriſtum antequam reſurgeret, ad inferos deſcendiſſe; ubi in *medio umbræ mortis erant animæ mortuorum*, præſertim *juſtorum* videlicet Abrahæ, aliorumque veteris teſtamenti Sanctorum: quorum animas utique ab illo *medio umbre mortis* loco liberatas *dignam habitationem etiam ante Judicium percepiſſe*, Irenæus ſignificarat, quæ proinde ſignificatio cum hujus poſterioris loci aſſertionibus apte connexa eſt, ita ut etiam cum iſto loco ea connectantur, quibus idem prædixerat, quod *Eccleſia* ob *dilectionem, quam erga Deum habet Martyrum multitudinem præmittat ad Patrem*. Qua propter ipſe Irenæ-

us in iſto ultimo textu ſubiunxit, quod per Cælorum *regnum*, *qui digni fuerint paulatim aſſueſcunt capere Deum*, & *recipere fructus ſufferentiæ*, quam ſpeciatim habuere, qui *interfecti ſunt propter Dei dilectionem*, quorum enunciatorum utrumque & digna illi *habitationi*, & *Eccleſiæ*, ac *Martyrum* pro Chriſto *in electorum dilectioni* oppidò conſonum eſt. Ergo *Abrahæ* aliorumque *iuſtorum*, ac *martyrum animæ ante judicium in Cælorum regno Deum capiunt* & vident: a quiquibus proinde *iuſtis*, ac *Martyribus* Irenæus ſecrevit *animas quorumdam Chriſti diſcipulorum*, non eorum, quidem, quos Dominus ſingillatim deſignavit, ſed non nullorum pænitentium Chriſti fidelium, quorum animæ in *medium illum*, & *inviſibilem umbræ mortis locum abibunt*; & ibi uſque ad *reſurrectionem commorabuntur*: quibus videlicet multum luendum ſupereſt, quia *ſuſtinent* aliquid, atque adeo patiuntur, *Reſurrectionem* expectantes. Proinde Juſtinus, & Irenæus tradiderunt, aliquas quidem eorum Fidelium animas, qui penitentes mortem oppetunt, in inviſibilem illum locum, ubi purgari debeant, abire; & poſt *Reſurrectionem receptis corporibus*, *eas*, *quemadmodum Dominus reſurrexit*, *ſic ad conſpectum Dei venturas*: quod ſane poſterius, non autem prius, Martyribus, & iuſtis illi Patres attribuunt: ex quibus conſtat, animas *Martyrum*, & *iuſtorum*, qui digni fuerint, ad *Regem Cælorum proficiſci*, ac non adeo in illum inviſibilem locum, ſed ad *Cælos ante* judicium abire: ac poſtea Martyres ipſos, & juſtos corporaliter reſurgentes perfecta, & conſumata gloria perfruituros.

Sed Dallæus fruſtra obiicit, quod Irenæus animas corporeas eſſe eo loci voluerit, ubi de anima Divitis, & de anima Lazari egit, ut intelligentes hominum animas a particularibus ſuis corporibus ſeparatas perſeverare, ac non de corpore in corpus tranſire doceret. (a) Qua circa ait: Non ſolum
„ perſeverare non de corpore in cor-
„ pus tranſgredientes animas, ſed &
„ Characterem corporis, in quo e-
„ tiam adaptantur, cuſtodire eun-
„ dem, & meminiſſe eas operum,
„ quæ gerunt hic, & a quibus ceſſa-
„ verunt, in ea relatione, quæ ſcri-
„ bitur de Divite, & de Lazaro eo,
„ qui refrigerabat in ſinu Abrahæ:
„ in qua ait, Divitem cognoſcere
„ Lazarum poſt Mortem, & Abra-
„ ham autem ſimiliter, & manere in
„ ſuo ordine unumquemque ipſorum
„ & poſtulare mitti ei ad opem fe-
„ rendam Lazarum, cui ne quidem
„ de menſæ ſuæ micis communicabat,
„ & de Abrahæ reſponſo, qui non
„ tantum ea, quæ ſecundum ſe, ſed
„ & quæ ſecundum Divitem eſſe ſcie-
„ bat, & præcipiebat Moyſi aſſentire,
„ & Prophetis eos qui non mallet
„ pervenire in illum locum pœnæ, &
„ recipientes præconium ejus, qui
„ reſurrexerit a mortuis. Per hæc
„ enim manifeſte declaratum eſt, &
„ perſeverare animas & non de cor-
„ pore in corpus tranſire, & habere
„ hominis figuram, ut etiam cogno-
„ ſcantur..... Corpus Animale ip-
„ ſum quidem non eſt anima; parti-
„ ci-

(a) *S. Iren. lib. 2. cit. cap. 34. pag. 168.*

„ cipatur autem animam quoad uſ-
„ que Deus vult.

Celebre eſt hoc poſtremum Irenæi enuntiatum, quo & antecedentia explicantur, & reliqua, quæ poſtea idem Irenæus jam laudatus de *incorporali*, & *incompoſita hominis anima* ſcripſit, conſona evincuntur.

Itaque *Corpus animale non eſt anima* utique intelligens: viciſſim ergo *Anima* intelligens, *non eſt ipſum corpus animale*: neque adeo eadem anima corporea eſt, ſed *incorporalis* ab Irenæo ita monſtratur, ut *reſolvi non poſſit*. Proinde eidem Irenæo Dallæus falſo id appinxit, quod intelligentem hominis Animam Corpoream eo denotarit, quia ipſam eſſe *Characterem Corporis* dixit. Atqui ex Irenæo Anima ſic eſt humani *Corporis Character*, aut forma; ut ipſa *Anima non ſit Corpus Animale*, nec *animale corpus ſit anima*: *Anima* intelligens igitur *incorporalis Character*, ſive forma incorporea humani corporis eſt a quo deinde anima ſeparata eundem *Characterem* Spiritalem cuſtodit, qui Character ſicuti *refrigerare* mortui Divitis linguam improprie dicitur; ita figura hominis improprio ſenſu ab Irenæo nuncupatur, & pro nota deſumitur; qua videlicet intelligens anima, quamquam corpore ſoluta, tamen *cognoſcitur* prout ordinem habens ad informandum mortui hominis corpus: ac proinde a corpore ideo diſtinguitur, quod corpus non ſit Anima: quæ incorporalis, ſimplex, immortalis, & incompoſita eſt, tradente Irenæo.

Hic autem omnem Dei ſcientiam, ac ſapientiam; atque adeo perfectam diei judicii cognitionem ſuis in libris, de quibus poſtea dicemus, Chriſto Deo, & homini aſſeruit, atque eo loci qui a Dallæo immerito, affertur, hoc ſolum advertit, quod Dominus in Evangelicis Sacris Scripturis de eo die locutus, diſcipulos ſuos monuerit, ut caute de judicii tempore, ac die ſermonem haberent.

Præterea Irænus de ſuperna Dei Gratia ad æternam ſalutem acquirendam neceſſaria, ac de libero hominis arbitrio eadem, quæ S. Juſtinus antea commendatus docuerat, ſenſit; qui S. Martyr & *Dei Gratia ſalvari* homines, & in iis *liberum* arbitrium ineſſe prædicavit adverſus Ethnicos, & Heterodoxos, qui hominem judicio, & omni libera electione ſpoliabant: contra quos proinde Juſtinus, & Irenæus ex profeſſo ſtatuerunt, homines non naturæ viribus, ſed ſuperna Dei Gratia adjutos, ſuaque libera electione utentes adduci ad æternam ſalutem.

Hoc autem ſupernum auxilium Clemens Alexandrinus, cum vel de Philoſophia, vel aliis de rebus ageret; non inficiatus eſt, dum hæc verba fecit: „ Iis, (a) qui a Philoſophia
„ fuere juſtificati, auxilium tanquam
„ theſaurus reconditur .... quod ſi
„ propter eos, qui lubenter repre-
„ hendunt, oportuit nos diſtingue-
„ re, cum dicamus Philoſophiam
„ adjuvantem, & cooperatricem ve-
„ ræ comprehenſionis, cum ſit in-
„ quiſitio veritatis: fatebimur, eam
„ eſſe diſciplinam quæ præcedit vim
„ cognoſcendi: non cauſam ſtatuen-

(a) *Clem. Alex. lib. 1. Strom. Pag.* 206. & 234.

„ tes eam; quæ eſt cauſa adiuvans,
„ neque continens id, quod adiu-
„ vat, & cui cooperatur; nec perin-
„ de ac non ſit veritas abſque Philo-
„ ſophia nam omnes fere abſque di-
„ ſciplinarum orbe, & græca Philo-
„ ſophia; alii autem etiam abſque
„ litteris, Divina, & Barbara moti
„ Philoſophia, poteſtate eum, qui
„ de Deo eſt, per Fidem accepimus
„ ſermonem, eruditi ſapientia, quæ
„ per ſe operatur. Quod autem fa-
„ cit cum alio, eum ſit imperfe-
„ ctum, ut per ſe operetur: coope-
„ rans, & coadiuvans dicimus, ut
„ quod ſit nominatum cauſa, eo
„ quod una venerit eum alio; per
„ ſe autem non poſſet præbere ve-
„ rum effectum. Quamquam per ſe
„ quoque aliquando Græcos juſtifi-
„ cabat philoſophia; ſed non ad uni-
„ verſam, ac generalem juſtitiam, ad
„ quam cooperatrix, & adiutrix in
„ venitur; ſicut primus, & ſecun-
„ dus gradus ei, qui aſcendit in cæ-
„ naculum, & grammaticus ei, qui
„ eſt philoſophaturus; non quod per
„ ejus oblationem univerſo, ac ge-
„ nerali verbo deſit aliquid vel peri-
„ matur veritas; nam & viſus, &
„ auditus, & vox confert ad verita-
„ tem. Mens autem eſt, quæ eam
„ oppoſite naturaliter cognoſcit: ſed
„ ex iis quidem, quæ adiuvant, &
„ cooperantur, alia quidem majo-
„ rem, alia vero minorem vim affe-
„ runt; Perſpicuitas itaque opem
„ ferr ad tradendam veritatem &
„ Dialectica, ne proſternamur ab
„ Hæreſibus, quæ faciunt incurſio-
„ nes. Et eſt, quidem per ſe per-
„ fecta, & nullius indigna ſervato-
„ ris doctrina cum ſit Dei virtus,
„ & ſapientia, accedens autem græ-
„ ca philoſophia, non veritatem facit
„ potentiorem, ſed debilem adver-
„ ſus eam efficit Sophiſmatum ar-
„ gumentationem, & propulſans do-
„ loſas adverſus veritatem inſidias,
„ dicta eſt vineæ apta ſepes, & val-
„ lus. Et quæ eſt quidem ex Fide
„ veritas, tanquam panis neceſſaria eſt
„ ad vivendum, quæ autem præce-
„ dit diſciplina eſt Obſonio ſimilis,
„ & bellariis, deſinente vero cœna
„ ſuavis placentula, ut ait Pinda-
„ rus.... Atque erat quidem ante
„ Domini adventum Philoſophia
„ Græcis neceſſaria ad juſtitiam:
„ nunc autem eſt utilis ad Dei cul-
„ tum, & pietatem iis, qui Fidem
„ colligunt per demonſtrationem,
„ quoniam pes, inquit tuus non of-
„ fenderit ſi quæ bona ſunt ad Dei
„ Providentiam referas, ſive græca
„ ſint, ſive noſtra, omnium enim
„ bonorum Deus eſt cauſa, ſed alio-
„ rum quidem principaliter ut Te-
„ ſtamenti veteris, & Novi: alio-
„ rum autem per conſequentiam ſi-
„ cut Philoſophia forte etiam prin-
„ cipaliter tunc etiam Græcis data
„ fuit, prius quam Dominus græ-
„ cos quoque vocaret. Nam ipſa
„ quoque græcos pedagogi more do-
„ cebat, ſicut lex Hebræos ad Chri-
„ ſtum. Præparat ergo Philoſophia
„ ei viam muniens, qui a Chriſto
„ perficitur.... (a) *juſtus autem ex*
„ *Fide vivit*, quæ eſt in Teſtamen-
„ to, & præceptis; quoniam hæc
„ duo nomine, & tempore ætate,
„ &

(a) *Clem. Alex. lib. 2. Strom. pag. 278.*

„ & profectu data œconomice cum
„ poteſtate quidem unum ſint, illud
„ quidem novum, hoc vero vetus
„ per Filium ab uno Deo ſuppe-
„ ditantur.... Non eſt ergo am-
„ plius Fides merito reprehendenda
„ ut & facilis, & vulgaris, & quæ
„ ſit quorumlibet. Si humanum
„ enim eſſet ſtudium, ut exiſtimant
„ Græci, etiam extinctum eſſet: ſin
„ autem augetur; non eſt, ubi non
„ eſt. Dico ergo fidem, ſive fuit
„ data ſit a Charitate, ſive etiam
„ a timore, ut dicunt accuſatores,
„ eſſe Divinum aliquid, ut neque
„ ab alia mundana amicitia diſſo-
„ luatur, neque a timore præſente
„ divellatur. Charitas enim ea, quæ
„ illi cum Fide intercedit amicitia,
„ facit fideles.

„ Fides autem baſis, ac ſtabili-
„ mentum Charitatis, viciſſim indu-
„ cens beneficentiam: quando etiam
„ legis Pedagogus timor, propterea
„ quod credatur, timor quoque eſt
„ creditus.... At prima quidem ad
„ ſalutem inclinatio nobis fides ap-
„ paret poſtquam timor, & ſpes, &
„ penitentia, cum continentia, &
„ tolerantia, proficientes nos ducunt
„ ad charitatem..... Gratia (a) ſer-
„ vamur, ſed non abſque bonis ope-
„ ribus, ſed oportet quidem, cum
„ natura apti ſimus ad bonum, ad
„ id aliquod adhibere ſtudium. Opor-
„ tet autem mentem quoque habere
„ ſanam, ut quæ nulla retardetur
„ penitentia a boni Venatione; ad
„ quod quidem maxime Divina opus
„ habemus gratia, rectaque doctrina:
„ caſtaque, & munda animi affectio-
„ ne, & Patris ad ipſum attractio-
„ ne.... cæterum qui ex Græcis (b)
„ gloriantur, quod ab eis compre-
„ henſa fuerit veritas; dicant nobis
„ a quonam glorientur ſe didiciſſe?
„ A Deo quidem non dixerint; ab
„ hominibus autem confitentur: Et
„ ſi hoc ita eſt, aut à ſe ipſis ſerò di-
„ dicerint, aut ab aliis ſimilibus. Sed
„ non ſunt fide digni, cum de Deo
„ dicunt homines, quatenus homines.
„ Neque enim qui homo eſt, poteſt
„ pro dignitate de Deo vera dicere
„ imbecillis, & morti obnoxius de
„ ingenito, & eo in quem non ca-
„ dit interitus, & opus de eo, qui
„ fecit. Deinde qui non poteſt de
„ ſeipſo vera dicere, annon multo
„ magis ne de Deo quidem ei creden-
„ dum eſt? Quanto enim abeſt homo
„ a Dei poteſtate, tam eſt etiam
„ ejus oratio imbecilla, etiamſi non
„ Deum, ſed de Deo dicat, & Verbo
„ divino... Quamquam qui Deum
„ ſibi adſcribunt Magiſtrum, vix per-
„ veniant ad Dei notitiam, opem eis
„ ferente Gratia ad quantulamcum-
„ que cognitionem: utpote voluntate
„ voluntatem, & Sancto Spiritu San-
„ ctum Spiritum contemplari aſſue-
„ facientes. Quoniam Spiritus ſcru-
„ tatur Dei profunda: animalis au-
„ tem homo non capit ea, quæ ſunt
„ Spiritus. Sola ergo eſt a Deo tra-
„ dita, quæ eſt apud nos, Doctrina,
„ a qua dependent omnes fontes ſa-
„ pientiæ; Quicumque ad veritatem
„ tanquam ad ſcopum feruntur.....
„ Cognitio autem, quæ datur (c)
„ ex

(a) *Clem. Alex. lib. V. Strom. Pag. 344.*
(b) *Clem. Alex. lib. VI. Strom. Pag. 501.*
(c) *Clem. Alex. lib. 7. Strom. Pag.*

Digitized by Google

„ ex traditione per Dei gratiam, „ veluti quoddam depoſitum comititur eis, qui ſeipſos Doctrina dignos exhibuerint, ex qua eluceſſit „ Charitatis dignitas ex luce in lu„ cem. Dictum eſt enim: habenti da„ bitur. Fidei quidem cognitio, Co„ gnitioni autem Charitas; Chari„ tati autem hæreditas. Hoc autem „ fit quando quis pependerit a Do„ mino per Fidem, Cognitionem, & „ Charitatem, & una cum eo aſcen„ derit, ubi eſt Fidei noſtræ, & Cha„ ritatis Deus, & cuſtos.

Clemens itaque Alexandrinus in docenda ſuperna Dei gratia, quæ ad initium Fidei, ac Salutis, & ad juſtificationem neceſſaria eſt, haud quaquam erravit, ſed bene ejuſdem gratiæ tradidit neceſſitatem; dum liquido advertit, *quod maxime Divina opus habemus gratia, & Patris attractione: & pendemus a Domino per Fidem, Cognitionem, & Charitatem*. Dominus ergo ſua præveniente Gratia ad credendum primitus attrahens liberos homines: *iſtis Fidei, timoris, Baptiſmatis, Pænitentiæ, Spei, & Charitatis gratias, quibus juſtificentur, ac ſerventur, tribuit*.

Sed quoniam Clemens initiis Stromatum aliqua recta enuntiata; alia verò, quæ quidam *reprehendebant*, protulerat: idcirco in ſequentibus libris ad explicanda ea, quæ vel ad Græcos, vel ad Judæos, vel ad Chriſtianos pertinent, uſus eſt diſtinctione.

Primum itaque dixit, *quod iis, qui a Philoſophia juſtificantur, auxilium tanquam theſaurus reconditur. Et deinceps docuit, Philoſophiam quidem Græcorum, quæ vim cognoſcendi præcedit*, ad *veritatem inquirendam, ac noſcendam fuiſſe aliquid adjuvans, ſed tamen imperfectum*, ac *per ſe non operans: cum per ſe non poſſet præbere verum effectum. quamquam aliquando Græcos juſtificabat Philoſophia; ſed non* ad *univerſam juſtitiam. Ergo ex Clemente Philoſophia non in operandi, ſed in cognoſcendi ratione Græcos aliquando per ſe eatenus juſtificabat*, quatenus ad noſcendum Deum unum, atque ad refellendos errores: quibus Hæretici aliquos Homines & ab unius Dei cognitione, & a vero ejus cultu avocabant, media daret: quæ tamen nec proxime, nec remote, nec ullo modo ad Fidei initium, ad ipſam Fidem, ad Spem, ad Pænitentiam, & ad Gratiam ſanctificantem, quas gratias ſupernas *univerſa juſtitia per Fidem accepta* comprehendit, aut dirigebant, aut diſponebant: quoniam ipſa Philoſophia, & *per ſe* non operabatur, & verum juſtificationis *effectum præbere non poterat*.

Dehinc quidem a Clemente Philoſophia dicitur *neceſſaria* ad cognoſcendam Dei juſtitiam, ſed ab eo ad credendum, ad timendum Deum, denique ad obtinendam juſtificationem neceſſaria non appellatur, nec ponitur, quia hæc Fidei, pænitentiæ, juſtificationis, & Charitatis *bona* ad quorum *venationem maxime Divina gratia opus habemus*, ad *Deum refferenda ſunt*; cujus auxilio ſuperno *juſtus ex Fide vivet, quæ eſt in Teſtamento*, & *præceptis, quorum hæc duo nomine*, & *tempore, ætate*, & *profectu data Æconomice a Deo, unum ſunt poteſtate, illud novum, hoc vetus*. Ergo Philoſophia, utpote *imperfecta*, non abſolute, ſed quadamtenus *neceſſaria* dicitur, ut Deus, ejuſque ſumma *juſtitia*, ac

ac perfectio ex Creaturis noſcatur: quæ tamen cognitio naturalis nullo modo ſupernam Chriſti fidem attingit, neque etiam remote ad Fidei, & Salutis initium, ad juſtum Dei timorem, & ad juſtificationem homines ducit: *quippe qui ad hæc bona obtinenda maxime* Divina Gratia opus habeant.

Tum autem Clemens dixit, *quod Philoſophia Græcos pedagogi more docebat, ſicut lex Hæbreos ad Chriſtum præparat: ita ut vel Græci, vel Hebræi, vel etiam Chriſtiani maxime Divina Gratia opus haberent, qua inciperent credere Deo, inclinarent ad ſalutem, ex Fide viverent, Deumque timerent, amarent, & colerent. Hanc Divinam Gratiam Græcos, Hebræos & Chriſtianos Clemens edocuit, quæ neceſſaria omnibus fuit, & divinitus data, ut Deo crederent, ut juſtificarentur, ac ſervarentur. Unde idem Scriptor prædixit, quod non eſt Fides reprehendenda. Si humanum enim eſſet ſtudium, ut exiſtimant Græci; extinctum eſſet ſin autem augetur: dico, Fidem, ſive fundata ſit Charitate, ſive etiam timore, eſſe divinum aliquid, inducens beneficentiam; quando etiam legis pedagogus timor eſt creditur.. Prima quidem ad ſalutem inclinatio nobis Fides apparet, poſt quam timor, & ſpes & Pœnitentia. Ad quod maxime Divina opus habemus gratia, recta que Doctrina, caſtaque, & munda animi affectione, & Patris ad ipſum attractione. Cæterum qui ex Græcis gloriantur, quod ab eis comprehenſa ſit Veritas: dicant nobis, a quonam, gloriantur, ſe didiciſſe; a Deo non dixerint: ab hominibus autem confitentur. Sed non ſunt Fide digni, cum de Deo dicunt homines, neque enim homo poteſt pro dignitate de Deo vera dicere imbecillis. Quamobrem qui Deum ſibi adſcribunt Magiſtrum, vix perveniunt ad Dei notitiam, opem eis ferente gratia ad quantulamcumque cognitionem: ut pote Sancto Spiritu Sanctum Spiritum contemplari aſſuefacientes.* Hæc iterum brevi inculcavi, ut exagitarem Dallæum, qui falſo obiicit, quod Clemens notarit, tum Philoſophiam Græcis, tum legem Hebræis ita Pedagogum extitiſſe, ut illa Græcos, & iſta Hebræos ad ſalutem æternam duceret, ac juſtificaret: quæ Dallæi obiecta falſa, atque erronea eſſe, Clemens ipſe monſtravit: dum primitus docuit, Philoſophiam Græcis pedagogum *imperfectum* ſic fuiſſe, ut quidem ad cognoſcendum Deum naturæ creatæ auctorem, ſicut diximus, media daret, ſed ipſa Philoſophia *verum* ſupernæ juſtificationis *effectum præbere non poſſet:* quem effectum nec per ſe operabatur Lex Hebræis à Deo tributa, & ad *Chriſtum* preparans figuris, & Sacris Prophetarum teſtimoniis; quibus Deus remunerator ſupernus, ac ſupernæ Beatitudinis auctor creditus eſt: Atqui Clemente declarante Philoſophi Græci incaſſum gloriabantur, quod ab eis comprehenſa ſit Veritas: quippe quam non a Deo, ſed ab Homine acceperint; & aliunde Veteres Hebræi, quorum Pſalmum Clemens hic celebrat, *vix ad Dei* utique Auctoris superni *Notitiam pervenerint, opem eis ferente gratia Spiritus Sancti*: quæ proinde *gratia neceſſaria* eſt & ad illud Fidei, & Salutis initium, & ad *Spem*, & ad *Pœnitentiam*, ac juſtificationem: *quam proinde nec Philoſophia præbere potuit*; quæ quamquam *imbecillis* Pe-

da-

dagogi more Græcos Deum naturæ creatæ Auctorem docebat, nihilominus, Deum ſupernæ Fidei, ac ſupernæ juſtificationis Auctorem ſupernæque Beatitudinis fontem aperire, atque exhibere non poterat; *Quoniam n n a Deo, ſed ab hominibus accepta fuit & data*. Data autem a Deo Lex fuit Hebræis; *qui Spiritus Sancti gratia ad Dei Auctoris ſuperni notitiam pervenerunt*; ac non adeo legis, *ſed divinæ gratiæ ope credere Deo*, Deum juſte timere, Pænitentiam agere, ac juſtificari potuerant, tradente Clemente.

(*a*) Hunc quoque erranti cenſura vexat Dallæus effutiens, quod ille ſibi fingit, *Dominum noſtrum deſcendiſſe ad inferos, ut prædicaret Mortuis*, multos que *ſervaret*. Hæccine Clemens fingit? Fingit, blaterat, errat Dallæus. Illa quippe duo ſunt, & deſcenſus Chriſti ad inferos, & Prædicatio. Atqui Chriſti deſcenſum ad inferos docet Symbolum Apoſtolicum Catholicis omnibus, & Hæreticis acceptum tum communior Patrum traditio. Chriſtum vero in inferis prædicaſſe, S. Petrus Apoſtolorum Princeps teſtatur his verbis: „ Chriſtum ſemel pro „ peccatis noſtris (*b*) mortuus eſt, ju„ ſtus pro injuſtis, ut nos offerret „ Deo, mortificatus quidem carne, vi„ vificatus autem Spiritu, in quo „ his, qui in Carcere erant, ſpiriti„ bus veniens prædicavit, qui incre„ duli fuerant aliquando, quando ex„ pectabant Dei Patientiam in diebus „ Noè.

Non igitur Clemens Alexandrinus finxit, *Dominum noſtrum ad Inferos deſcendiſſe, ibique prædicaſſe*, ſive, ut poſtea Clemens ait, *annuntiaſſe Evangelium iis, qui perierant in Diluvio*: Quæ duo & divina S. Petri Scriptura, & Apoſtolica traditio palam adducunt; ac proinde ea Clemens commentus non eſt; qui etiam declaravit, *Dominum his, qui in Carcere, ſive in inferis erant, prædicaſſe nihil aliud ſignificare, quam annuntiaſſe Evangelium*: Non igitur ut damnatæ infidelium mortuorum animæ converterentur, Dominus in inferis prædicavit; quippe qui eas ignibus perpetuis addixerat. Solum ergo exoptabilem completæ tedemptionis, & liberationis nuntium nuntiavit, tum juſtis veteris Teſtamenti animabus, tum eorum Peccatorum, qui Noe ætate vivebant, aliquibus, qui aliquando increduli fuerant, ſed Diluvii aquis ſenſim creſcentibus puniti, & converſi, antequam obirent Penitentiam egerunt, Petro Apoſtolo ſignificante.

Et quoniam Dallæus quædam, quæ ad Apoſtolorum prædicationem attinent, affingit eidem Clementi: id circo huiuſce duo loca, in quibus eandem rem tractavit, & ex ſecundo, & ex ſexto Stromatum Libro ſimul afferenda ſunt. Clemens itaque ait: „ (*c*) *Per Iſajam inventus ſum*, „ *inquit, illis qui me non quærunt*: „ *manifeſtus ſui iis, qui me non inte*„ *rogant*: Ante Domini adventum „ (*d*) ſcilicet: poſt quem Iſraeli quo„ que illa, quæ prædicata ſunt con„ venienter dicantur: *expandi manus* „ *meas tota die ad Populum inobedien*„ *tem*,

(a) *Clem. lib. VI. Strom.*
(b) *I. Petri cap. 3.*
(c) *Clem. Alex. lib. 2. Strom. pag. 374.*
(d) *Iſaja 65.*

„ *tem, & contradicentem*. Vides cauſam vocationis gentium aperte a Propheta dictam eſſe populi inobedientiam, & contradictionem. Deinde in his quoque Dei oſtenditur bonitas, dicit enim Apoſtolus: (a) *Sed eorum delicto ſalus gentibus:* ad hoc ut eos emulatione provocarent, & ut vellent ipſi duci Pœnitentia. Paſtor autem cum ſolummodo de iis, qui dormiſſent, poſuiſſet dictionem: novit quoſdam in gentibus, & in Judæis non ſolum ante adventum Domini, ſed etiam ante legem ex eo, quod Deo grati acceptique fuerint, ut Abel, ut Noè, ut ſi quis alius juſtus. Dicit ergo Apoſtolos, & Doctores, Filii Dei etiam cum dormiſſent, Poteſtate, & Fide prædicaſſe iis, qui prius dormierant. Deinde ſubiungit: & ipſi dederunt ipſis Signaculum prædicationis, deſcenderunt ergo cum ipſis in aquam, & rurſus aſcenderunt, ſed hi viventes deſcenderunt, & rurſus viventes aſcenderunt: illi autem, qui prius dormierant, mortui deſcenderunt, vivi autem aſcenderunt... in juſtitia dormierant, & in magna puritate: Solum autem hoc ſignaculum non habentes: quando enim gentes natura, quæ ſunt legis, faciunt; ii legem non habentes, ſibi ipſi ſunt lex, ut ait Apoſtolus. Diſciplina ergo eſt parere præceptis, quod eſt Deo credere, & Fides Dei potentia... ut in tempore (b) nunc venit prædicatio: ita in tempore data quidem eſt lex, & Prophetæ barbaris: Philoſophia autem Græcis, aures aſſuefaciens ad prædicationem. Dicit itaque Dominus, qui ſalvum fecit Iſrael: *tempore accepto exaudivi te & in die ſalutis tibi dedi auxilium*. (c) *Dedi te in teſtem gentibus ut inhabitares terram, dicens iis, qui ſunt in vinculis, egredimini, & ut revelentur iis, qui ſunt in tenebris*. Si enim vincti quidem ſunt Judæi, quibus etiam dixit Dominus. *Egredimini ex vinculis, qui vultis*; dicens eos qui ſua ſponte ſunt vincti, & qui *onera*, inquit, *toleratu* difficilia in ſe per humanam ſuſceperunt impoſitionem; Clarum eſt, quod qui ſunt in tenebris, ii ſunt, qui habent principalem animæ partem defoſſam in tuitu ſimulacrorum.... jam vero revelata eis veritate, ipſi quoque pœnitentia ducti ſunt propter ea, quæ fecerunt. Quamobrem prædicavit Dominus etiam iis, qui erant apud inferos. Dicit quidem certe Scriptura. *Dicit Infernus (d) perditioni*: ejus quidem ſpeciem non vidimus: ejus autem vocem audivimus: Non locus utique voce accepta dicit ea, quæ prius dicta ſunt; Sed iis, qui ſunt collocati apud Inferos, & ſeipſos tradiderunt ad exitium, tanquam ex nave aliqua, ſua ſponte in mare projicientes; ipſi ergo ſunt, qui Divinam audierunt Virtutem, & Vocem. Nam quis ſanæ mentis, & juſtorum, & peccatorum animas eſſe exiſtimaverit in una condem-

(a) *Rom.* 2.
(b) *Clem. lib. VI. Strom. Pag.* 637.
(c) *Iſaiæ* 47.
(d) *Job.* 30.

„ natione; injuſtitiæ maculam inn-
„ rens Providentiæ; Quid verò?
„ Annon ſignificant, Dominum an-
„ nuntiaſſe Evangelium & iis, qui
„ perierant in diluvio, vel potius
„ vincti fuerant, & iis, qui in præ-
„ ſidio continebantur & cuſtodia?
„ Oſtenſum eſt in ſecundo quoque
„ ſtromate, Apoſtolos ad inſtar Do-
„ mini iis quoque, qui erant apud
„ Inferos, annuntiaſſe Evangelium.
„ Oportebat enim, ut exiſtimo, ſi-
„ cut hic, ita illic quoque opti-
„ mos, ac præſtantiſſimos Diſcipu-
„ los eſſe magiſtri imitatores, ut
„ unus quidem eos, qui erant ex
„ Hebræis, alii verò gentes ad con-
„ verſionem deducerent, hoc eſt,
„ eos, qui in juſtitia, quæ eſt ex
„ lege, & ex Philoſophia, vixerant
„ quidem, ſed non perfecte, verum
„ cum errore, & prolapſione vitam
„ tranſegerant. Hæc enim divinum
„ decebant Conſilium, & Providen-
„ tiam; ut qui in juſtitia majorem
„ haberent dignitatem, & merita, &
„ præ cæteris egregie vixerant, & eo-
„ rum, quæ peccarunt, ducti ſunt
„ Pænitentia etiam ſi ſint in alio
„ loco, cum extra controverſiam
„ ſint in eorum numero, qui ſunt
„ Dei Omnipotentis ſalvi fierent per
„ proprium unius cujuſque cogni-
„ tionem. Operatur autem, ut exi-
„ ſtimo, ſervator, quando quidem
„ ejus eſt opus ſervare: & ſaluum
„ facere: quod quidem certe fecit,
„ ut qui eos qui in ipſum voluerint
„ credere, per prædicationem, ubi-
„ cumque eſſent, traxerit ad Salu-
„ tem. Si ergo Dominus nulla alia
„ de cauſa deſcendit ad inferos,
„ quam ut annuntiaret Evangelium:
„ aut deſcendit, ut annuntiaret om-
„ nibus, aut ſolis Hebræis: atqui ſi
„ omnibus quidem, ſalvi eſſent om-
„ nes, qui crediderint, etiamſi ſint
„ ex gentibus, cum jam illic con-
„ feſſi fuerint: ſunt enim ſalutares,
„ & quæ erudiunt, Dei caſtigatio-
„ nes, adducentes ad converſionem:
„ idque cum poſſint animæ purius
„ perſpicere, quæ ſunt liberæ a cor-
„ poribus, etiamſi obſcurentur vi-
„ tiis, & perturbationibus; eo quod
„ non ſe amplius eis opponat, &
„ impediat caruncula. Sin autem
„ Judæis ſolum annuntiavit Evan-
„ gelium, quibus defuit ea, quæ
„ eſt per Servatorem, agnitio, &
„ fides: clarum eſt utique, quod
„ cum apud Deum nullus ſit Per-
„ ſonarum reſpectus, Apoſtoli ſicut
„ hic, ita etiam illic annuntiarunt
„ Evangelium iis, qui ex Gentibus
„ apti erant ad Converſionem. Et
„ recte dictum eſt a Paſtore: deſ-
„ cenderunt ergo eorum in aquam:
„ ſed hi quidem deſcenderunt vi-
„ ventes, et viventes aſcenderunt:
„ illi autem, qui prius dormierant,
„ mortui deſcenderunt, vivi autem
„ aſcenderunt. Jam vero dicit etiam
„ Evangelium, multa, quæ dormie-
„ rant, ſurrexere Corpora, ut quæ
„ videlicet translata eſsent ad me-
„ liorem locum. Fuit ergo genera-
„ lis quidam motus, et translatio
„ per Servatoris diſpenſationem, ju-
„ ſtus ergo non differt a juſto, qua-
„ tenus eſt juſtus, ſive his fuerit ex
„ lege, ſive græcus: Non enim Ju-
„ deorum ſolum, ſed etiam omni-
„ um hominum eſt Deus Domi-
„ nus, propinquus autem eorum,
„ qui cognoverunt.. Sin honeſte vi-

„ vere

„ vere eſt etiam legitime vivere: et
„ vitam agere rationi conſentaneam
„ eſt vivere ex lege: qui autem re-
„ ćte vixerint ante legem, in Fidem
„ ſunt reputati, & caſti ſunt judi-
„ cati: clarum eſt, quod ii etiam,
„ qui cum extra legem eſſent, re-
„ ćte vixerunt, per vocis proprie-
„ tatem etiam, ſi in inferis eſſent,
„ in cuſtodia, ex audita voce Do-
„ mini, vel ipſa per ſe, vel etiam
„ quæ operabatur per Apoſtolos,
„ mox converſi fuerint, & credide-
„ rint. Meminimus Dominum eſſe
„ Dei virtutem, & fieri non poſſe,
„ ut Virtus unquam fuerit imbecil-
„ la ſic exiſtimo, oſtendi bonum
„ quidem, potentem verò Dominum
„ ſalutem dare cum juſtitia, & æ-
„ qualitate in eos, qui convertun-
„ tur, ſive etiam alibi. Non huc
„ enim ſolum pervenit virtus ope-
„ ratrix, ſed eſt ubique, & ſemper
„ operatur. Jam vero in Petri præ-
„ dicatione dicit Dominus ad diſci-
„ pulos poſt Reſſurećtionem: elegi
„ vos duodecim diſcipulos, judi-
„ cans eſſe me dignos. Quos vocat
„ Dominus, & Fideles ratus eſſe
„ Apoſtolos, mittens in Mundum
„ ad annunciandum Evangelium ho-
„ minibus, qui ſunt in orbe terra-
„ rum, ut cognoſcant unum eſſe
„ Deum per eam Chriſti Fidem;
„ futura ſignificantes, ut qui audie-
„ rint, & crediderint, ſalvi fiant:
„ qui autem non crediderint, cum
„ audiverint, ferant Teſtimonium,
„ ut qui non poſſint ſe excuſare di-
„ cendo, non audivimus. Quid er-
„ go non etiam apud Inferos fuit ea-
„ dem œconomia, ac diſpenſatio, ut
„ illic quoque omnes animæ audita
„ Prædicatione, aut oſtendant Pæni-
„ tentiam, aut propterea quod non
„ crediderunt, juſtum fateantur eſſe
„ ſupplicium... Omnibus autem a-
„ nimis ratione præditis deſuper di-
„ ćtum eſt: quæcumque veſtrum fe-
„ cit aliquis ignoratione, Deum a-
„ perte non cognoſcens: Si ea agno-
„ ſcens, dućtus fuerit Pænitentia; ei
„ omnia peccata remitientur.

Rejiciantur ergo Dallæi commenta, quibus is fingit, Clementem Alexandrinum in ſexto Stromatum Libro ſcripſiſſe, quod Apoſtoli ad Inferos deſcenderunt poſt mortem: quæ propoſitio neque in Græco ejuſdem libri textu, neque in latina ipſius verſione, neque in altero addućto loco reperitur; Ac proinde a Dallæo fićta eſt. Et vero Clemens in ſexto eo libro primum ait. *Dominum prædicaſſe iis, qui erant apud Inferos*, cui quidem documentum Clemens poſtea addidit, *quod Dominus deſcendit ad Inferos*: ſed tamen de Apoſtolis tantummodo ait, *oſtenſum eſt in ſecundo* Stromate, Apoſtolos *ad inſtar Domini iis, qui erant apud Inferos annunciaſſe Evangelium* quam annunciationem in ſecundo Stromate allato Clemens ex incerto *Paſtoris libro oſtendit & ait. Apoſtolos, cum Filii Dei dormiſſent, Poteſtate, & Fide prædicaſſe iis, qui prius dormierant in juſtitia, & in magna puritate:* qui fuerunt & *Abel*, ac *Noë* viventes, ante Legem Moyſi datam, & Abraham, & alii juſti, qui *ante adventum* Domini floruerunt. Ergo Dominus ut iſtis liberationem annunciaret. *deſcendit ad Inferos*, eamque iiſdem juſtis actu, & præſentia aperte prædicavit: a quo deſcenſu, & prædicationis actu Clemens Apoſtolo-

„rum Prædicationem clare eo diſtinxit, quod *Apoſtoli*, & juſtis illis & aliis qui ante legem Moſaicam *pænitentia ducti* fuerant, & reliquis veteris Teſtamenti ſanctis, qui omnes prius dormierant, atque apud inferos erant, poteſtate prædicarunt & Fide. Non igitur, ut Dallæus comminiſcitur, ſecundum ipſum Clementem Apoſtoli ad Inferos deſcenderunt, nec actu, ſed Fide, & poteſtate apud Inferos prædicarunt: quatenus ſcilicet Apoſtoli in terris Chriſti Adventum, ac Fidem nuntiarunt, quæ Fides poteſtate, ſive implicita virtute in iis, quæ Abel, Noè, aliique hujus tempore penitentes de Chriſto crediderant, quæque de eodem Domino Prophetæ prædixerant, plane continetur. Quare Clemens inde non ait, quod Apoſtoli deſcenderunt ad Inferos, ſed alio modo ſcripſit, quod *iidem deſcenderunt eorum in aquam viventes, & viventes aſcenderunt*. Illi autem, qui prius dormierant, mortui deſcenderunt; qui quidem ipſi ſunt, qui ſecundum Petrum Apoſtolum, & eundem Clementem *in Carcere erant, aut in cuſtodia detinebantur, & increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noè*: Atque adeo hi pænitentes, ac ſubinde Mortui deſcenderunt in aquam diluvii; in quam proinde Apoſtoli nonniſi *Fide, & prædicationis Virtute deſcenderunt, & vivi aſcenderunt*, nimirum annuntiantes, Chriſtum, eum poſt mortem ad *Inferos deſcendiſſet, ſpiritibus eorum, qui mortui in aquam deſcenderant*, Evangelium, aut liberationem ex eo, *quod viventes pænitentia ducti fuerant, prædicaſſe*. Hanc Chriſti *poteſtatem* a Noè, & a Prophetis creditam hanc fidem; hanc prædicationem vivi Apoſtoli annuntiarunt Clemente prædocente; qui proinde noluit, Apoſtolos poſt Mortem ad Inferos deſcendiſſe, & iis, qui apud ipſos Inferos erant, actu prædicaſſe: quippe quia hominibus Apoſtoli illorum Pænitentium, & aliorum juſtorum liberationem a Chriſto factam eſſe nuntiarunt: ideoque non reapſe, neque actu, ſed poteſtate, Virtute, ac Fide illis mortuis prædicarunt.

Illi porro qui ex Gentibus juſti ante legem Moyſi datam dicuntur, Abel, Noè, & reliqui juſti fuerunt. Illi autem *qui ex Gentibus apti erant ad Converſionem* laudati penitentes extitere, quos Clemens primitus appellavit *quoſdam in Gentibus, & Judæis*; qui quidem ante legem Moyſi tributam, *& ante Domini adventum vixerunt*: Sed tamen, cum Fides ſit Dei potentia, illi Dei potentia, atque adeo Divina Gratia, *aut ad Fidem, & Juſtitiam, aut ad converſionem apti fuerant*.

Nec vero iuſtis illis Dominus in Inferis Evangelium propterea annuntiavit, ut crederent, & juſti eſſent, & juſtum de eis Dominus judicium pronuntiaret. Id enim Argumentum falſiſſimum eſſe ex ipſo Clemente demonſtratur, qui primum advertit, *illos juſtos Dei potentia credidiſſe, & in juſtitia dormiiſſe, & puritate*. Quod igitur Apoſtoli a Domino miſſi ſunt ad *Evangelium annunciandum hominibus, ut, qui audierint, & crediderint, ſalvi fiant, qui vero audierint, & non crediderint, excuſari non poſſint*. Ex hoc Clemens

non

non intulit, Dominum in Inferis ita prædicaſſe, ut animæ, quæ audiſſent, & credidiſſent ſalvæ fierent; quæ autem audiviſſent, & non credidiſſent juſtum faterentur eſſe ſupplicium. Hæc autem conſecutio, quam Clementi Dallæus falſo appingit, erronea eſt, & duo falſe ſupponit: unum, quod animæ veterum aut iuſtorum, aut Pœnitentium, de quibus diximus, extantes apud inferos, tum, cum Dominus eo loci prædicavit, audierint, crediderint, pœnitentiam egerint, ac ſalutem æternam obtinuerint: alterum, quod damnatorum animæ potuiſſent converti. Quæ duo falſiſſima eſſe Clemens ipſe monſtravit, præmonens, *Abel*, *Noë*, aliosque Veteres iuſtos, dum viverent, Dei potentia credidiſſe, iuſtitiam coluiſſe, in eaque mortuos eſſe: quos proinde in Inferis primum credidiſſe, & ſalvos factos eſſe, Dallæus ex Clemente falſe ſupponit, cum oppoſitum Clemens docuerit; qui etiam de nonnullis pœnitentibus, qui in diluvio perierant, addidit, *Dominum annuntiaſſe Evangelium iis, qui perierant in Diluvio, vel potius vincti fuerant, & iis, qui in præſidio continebantur & cuſtodia, ut qui in juſtitia majorem haberent dignitatem, & merita, & præ cæteris egregie vixerant, & eorum, quæ peccarunt, ducti ſunt Pœnitentia, operatur enim ſervator: quandoquidem ejus eſt opus ſervare: ut illic omnes animæ audita prædicatione oſtendant Pœnitentiam, aut propterea quod non crediderint juſtum fateantur eſſe ſupplicium*. Non igitur Animæ veterum iuſtorum, quæ apud Inferos *in cuſtodia continebantur*, *audita Domini prædicatione crediderunt*, & in Inferis merita adeptæ ſunt & Salutem; Quod falſiſſimum eſſe Dallæi commentum Clemens ipſe declaravit; ut pote quo docente ipſi veteres iuſti, dum vixerant, Dei gratia crediderint, & merita adepti ſint & Salutem. Illorum autem aliqui, qui *Diluvio* perierunt, etiam tum, cum *vixerant*, *eorum quæ peccarunt, pœnitentia ducti ſunt, ac deinceps Mortui deſcenderunt in aquam*, atque apud Inferos non damnati, ſed vincti fuere; ac proinde iidem Domino in Inferis *prædicanti pœnitentiam*, *quam viventes egerant*, *oſtenderunt*, & liberatione donati fuere. At damnati quoniam, dum vixerant, nec crediderunt Deo, neque eorum, quæ peccarant, pœnitentia ducti ſunt: id circo nullam pœnitentiam Domino oſtendere potuerunt, faſſi, juſtam eſſe ipſorum damnationem, atque ſupplicium. Non ergo damnatos potuiſſe converti, ſed illos veteres juſtos, *& alios vinctos*, *audita Domini prædicatione* liberatos fuiſſe, Clemens aſſeruit: ſecundum quem Apoſtoli neque ad Inferos deſcenderunt, neque in Inferis, ſed in orbe *Hominibus* Evangelium prædicarunt & converſionem. *Dominus autem deſcendit ad Inferos*, *juſtiſque illis*, aliiſque vinctis liberationem annuntiavit: *quibus iſtam Domini prædicationem ab illa* Apoſtolorum prædicatione differre Clemens ſignificavit, nempe quod Apoſtolorum prædicatio *in orbe ad Hominum* converſionem directa fuerit: *Domini verò prædicatio in Inferis audita non damnatarum* animarum converſionem, ſed earum animarum ju-

juſtarum, (a) aliarumque vinctarum liberationem certe ſpectarit.

Subinde Dallæus falſa Stoicorum, & Platonis etiam pronunciata injuſte, ac falſo attribuit Clementi; (b) qui illa vitanda ſic ex Apoſtolo dixit: „ Hortatur quoque Apoſto-
„ lus, ut Fides noſtra non ſit in Sa-
„ pientia hominum, qui profitentur
„ perſuadere; ſed in Dei virtute,
„ quæ ſola, & abſque demonſtrationi-
„ bus per ſolam (c) Fidem poteſt da-
„ re ſalutem. Eorum enim quæ ſunt
„ probanti, probatiſſimus novit ſer-
„ vare, quin etiam falſorum quo-
„ que Architectos, & teſtes com-
„ prehendet juſtitia, inquit Ephe-
„ ſius. Nam hic quoque novit, ut
„ qui ex barbara didicerat Philoſo-
„ phia eam, quæ fit per ignem,
„ expurgationem eorum, qui male
„ vixerunt; quam exuſtionem, ſeu
„ inflammationem poſtea vocarunt
„ Stoici: una ratione eum etiam,
„ qui eſt proprie certa præditus qua-
„ litate, ſtatuunt futurum, ut re-
„ ſurgat, eo ipſo tuentes reſſurre-
„ ctionem. Plato autem terram qui-
„ buſdam temporibus dicit per
„ ignem, & aquam expurgari hoc
„ modo: ſæpe fuerunt hominum,
„ interitus, & erunt igne quidem,
„ & aqua maximi: quin etiam aliis
„ quoque innumerabilibus alii bre-
„ viores. Et Paulo poſt ſubjungit:
„ revera autem eſt eorum, quæ Ter-
„ ram, & Cælum obeunt, immuta-
„ tio, & qui poſt longa temporum
„ intervalla eorum, quæ ſunt in
„ terra, multo igne fit interitus....
„ Oſtendimus autem in primo Stro-
„ mate Græcorum Philoſophos dici
„ fures, qui a Moyſe, & Prophetis
„ præcipua dogmata non grate acce-
„ perunt.... Cum autem Prophetia
„ jam Græcis eſſet tradita: tractatio
„ de Dogmatibus ſuſcepta eſt a Phi-
„ loſophis; alicubi quidem vera, ut
„ qui ſcopum attingerent, alicubi
„ vero falſa.

Crimen igitur eſt Dallæi fraus, qua Clementis antecedentia, & ſubſequentia rejecit, ut criminaretur, Clementem ipſum maximis Stoicorum, & Platonis erroribus, quos poſtea Origenes ſuxit, ductum fuiſſe, quam criminationem ab iniquo Accuſatore falſo intentari, Clemens ipſe probavit, dum Pauli Apoſtoli Doctrina hortatus eſt, *ut Fides noſtra non ſit in Sapientia hominum, qui falſorum ſunt architecti*; e quibus primi Stoici falſe dixerunt *expurgationem* eorum, qui male vixerunt, atque adeo reprobati fuerunt, *fieri per ignem, quem ſtatuunt futurum, ut reſurgat*. Plato autem dicit, *quibuſdam temporibus per ignem & aquam hominum interitus ſæpe expurgari; ac revera eſſe eorum, quæ Terram, & Cælum obeunt, immutationem: & poſt longa temporum intervalla eorum, quæ ſunt in terra, multo igne fieri interitum*: Quo magno Platonis errore Origenes captus, non paſſim, ſed in libris Periarchon affirmavit: In-

fe-

(a) *Nota. Iſta alia Anima erant eorum hominum, qui Noë tempore, ut ſupra dixi pœnitentiam egerunt.*

(b) *Clem. Alex. lib. V. Strom. Pag. 544. & ſeq.*

(c) *Nota. Clemens hic fidem tantum a falſa demonſtratione ſecludit, non autem voluit ſolam Fidem juſtificare.*

ferorum ignis pœnas æternas non eſſe, ſed quandoque deſituras, ita ut poſt Judicii ultimi diem, & poſt longa temporum intervalla cum diem ſubſecuta futurum ſit, ut Diabolus ejuſque Satellites, ac damnati homines ſalvi fiant; Quam impiam hæreſim Prophetæ, Evangelium, ac Sancti Patres eliminant. Unde Clemens illos falſitatis Architectos, qui reproborum expurgationem fieri per ignem, & poſt longa intervalla eos ſalvos fore effutiebant, propterea coarguit, *quia falſorum Architectos comprehendet juſtitia:* qua videlicet Deus reprobos igne ſempiterno non purgat, ſed juſte punit æternum; quamvis pœnitentium Fidelium animæ ignis pœnis ſemel deſituris purgentur. Quare Clemens illa Stoicorum, & Platonicorum deliria, quæ dehinc ab Origene propagata ſunt, reprobavit: Cum primum adverſus Stoicos, & Platonicos divinæ juſtitiæ rationem attulerit, ac deinde ſcripſerit, eorum Philoſophorum dicta alicubi vera eſſe, alicubi falſa. Quæ Clementis aſſertio Dallæi criminationem exagitat, nam Clemens illa pronuntiata *alicubi vera* eo declaravit, quia cum Stoici *ignem* illum poſtea *reſurgere* affirmarent, etiam humanorum *Corporum Reſurrectionem tueri videbantur*. Ergo Clemens tantummodo approbavit, illos Philoſophos in hac quidem parte, quæ humanorum Corporum Reſſurrectionem indigitabat, *vera* ſignificare: ſed tamen alteram partem *falſam* eſſe, qua illi aſſerebant, hominum reproborum, qui *male vixerant, expurgationem fieri per ignem, eoſque poſt longa intervalla ſalvos futuros, & iterum futurum, ut ignis reſurgat*. Falſa igitur eſt iſta reproborum *expurgatio per ignem* effecta: falſa ignis reſurrectio: falſa reproborum, qui male vixerant, & male obierant, Salus. Dæmones igitur, & aliquot homines reprobos, poſt judicii diem æterno igne puniri, & nunquam ſalvos fore, Clemens voluit adverſus illa *falſa*, & impia Stoicorum, Platonis, & Origenis pronuntiata.

Sed & Clemens quædam de Platone narrans, Angelos incorporeos (a) adſignificavit hoc modo: „ Plato certe in ultimo de Republica ſic ait „ ad verbum: Hic viri agreſtes aſ„ pectu ignito, cum adſtitiſſent, „ ſermonem intelligentes: alios qui„ dem ſeorſum aſſumptos ducebant: „ Aridæum autem, & alios cum „ colligaſſent; manuſque, & pedes, „ & caput prehendiſſent, atque ab „ eis plebem detraxiſſent, extra viam „ non longe trahentes a Spalathis, „ lacerabant. Viri enim illi igniti „ ei volunt ſignificare Angelos, qui „ aſſumptos injuſtos puniunt qui fa„ cit Angelos ſuos ſpiritus, & Mi„ niſtros ſuos ignem ardentem. His „ autem eſt conſequens, animam „ eſſe immortalem.

Clemens itaque cum S Juſtino Martyre ſenſit, Angelos Spiritus eſſe, qui *non diſſolvuntur*, nihilſque adeo partibus vel æthereis conſtant, & incorporei ſunt: quorum aliqui aſſumpto *ignito*, aut æthereo & lucido corpore apparuerunt Hominibus: in-

(a) *Clem. Alex. lib. IV. Strom. pag. 554.*

in quo proinde apparenti corpore aſſumpto quoſdam Demones incontinentes viſos fuiſſe, Juſtinus, & Clemens voluerunt: Quos Dallæus perperam arguit, quia laudatus Juſtinus denotavit, Angelos eſſe incorporeos; ac non Dæmones, ſed homines, quos illi agitabant, carnis amore arreptos fuiſſe; illoſque Dæmones in iſtis impia, & falſa arcana ſua Mulieribus aperuiſſe. Cum (a) autem Clemens dixit „ quod „ aliqui Angeli delapſi ad voluptates enuntiarint Arcana Mulieribus:„ hanc iniquam voluptatum, & falſorum arcanorum enuntiationem Dæmones in aſſumptis corporibus apparentibus effecerunt ſecundum Clementem: quippe qui adſtruxerit ex Divina Scriptura, *Angelos Spiritus* eſſe, & in aſſumpto ignis ardentis corpore apparuiſſe, quod de bonis Angelis Divinæ Litteræ affirmant. Ergo ex Clemente alii maligni *Spiritus* in alieno Corpore apparenti exarſiſſe voluptatibus, & inania Arcana ſua Mulieribus enuntiaſſe viſi fuere.

Dehinc Dallæus a veræ Theologiæ legibus, quibus Eccleſiaſtica diſciplina a Fide Orthodoxa diſtinguitur, animum ſuum abducens, tranſit ad Tertullianum, cui etiam illam ab hacce quodamodo confuſe ſecernens, & errans, in Montani hæreſes abiit. Quarum prior hæc fuit, in Eccleſia remittendorum pene omnium peccatorum, præſertim graviorum poteſtatem non eſſe: contra eum Montani errorem Zephirinus Pontifex Maximus decretum hoc edidit: „ Ego & Mæchiæ, & Fornicationis „ delicta Pænitentia functis dimitto.

Id Zephirini (b) ſtatutum Tertullianus quidem retulit in libro de pudicitia, quem contra Eccleſiam conſcripſit: ſed tamen illa Montani hæreſi raptus ipſum Orthodoxum Zephirini decretum iſto carpſit errore: „ Illic ejuſmodi penitentia promulganda (c) eſt, ubi delinquentia ipſa verſabitur; illic legenda eſt venia, quo cum ſpe ejus intrabitur. „ Sed hoc in Eccleſia legitur, & in „ Eccleſia proponitur, & Virgo eſt?

Hac hæreſi Tertullianus negavit, poteſtatem *dimittendæ Mæchiæ, & Fornicationis orthodoxis pænitentiæ functis* in Catholica Eccleſia eſſe: quia *ſpem veniæ* iiſdem *Pœnitentia functis* Tertullianus, utique errans ademit: quam tamen non ademiſſet, ſi dimittendorum peccatorum, & veniæ dandæ poteſtatem in Eccleſia eſſe credidiſſet. Huic igitur poteſtati Tertullianus ut pote poſtea hæreticus, non praſtitit Fidem; Quam tamen Eccleſia Apoſtolica, in qua Zephirini decretum *legitur*, ac proponitur, ſervabat, & ſervat, ideoque *Virgo* eſt nimirum nullis Hæreſibus depravata. Illa igitur dimittendorum peccatorum poteſtas, cui Orthodoxa Eccleſia ſine ulla mutatione credebat, & credit, non ad diſciplinam mutabilem, ſed ad Fidem, quæ mutari non poteſt, attinuit.

Tertullianus itaque in libro de Jejunio, quem adverſus Eccleſiam ſcripſit, quemque Dallæus immeritò obii-

(a) *Clem. Alex. lib. 3. Strom. pag.* 404.
(b) *Tertul. lib. de Pudic. cap.* 1.
(c) *Tertul. ibid.*

obiicit, primum effutiebat, quod Catholici *Paracleto controverſiam faciunt:* (a) quo Paracliti nomine Tertullianus intellexit Montanum, quem quidem non ut Spiritum Sanctum Deum, ſed ut a Spiritu (b) Sancto ſpeciatim afflatum, noviſque Prophetiis inſtructum. Montaniſtæ errantes venerabantur. Montano igitur Catholici controverſiam meritò faciebant, quod novis, falſiſque Prophetiis hæreſes, quibus dimittendorum peccatorum poteſtatem Eccleſiæ negabat, & ſecundas nuptias ceu ſcortationes damnabat, nequiter ſpargeret. Quare quidem Montanus, ac Tertullianus in iis, quæ Sanctiſſimæ Trinitatis Myſterium attingunt, Fidei regulam non evertebant: ſed in iis quibus & illam Eccleſiæ poteſtatem, & alteras nuptias in Eccleſia celebratas Sacramentum eſſe inficiati ſunt, & Mœchis pænitentibus, & abſolutis ſpem veniæ, & Salutis denegarunt, a Fidei, & Spei regula aberrabant. Unde Tertullianus, cum jam Hæreticus eſſet, confuſe pertendit, *novas Prophetias recuſari, quod plane doceant, ſæpius jejunare, quam nubere:* in quo confuſo enuntiato alias cauſas, ob quas Eccleſia novas illas Prophetias reiiciebat, Tertullianus omiſit; Quippe qui alibi errore dubitarat, *Eccleſiam Virginem*, ſive Hæreſibus corruptam non eſſe: propterea quod & *Mœchos pænitentia* functos, & alteras nuptias admitteret, quæ in illo erranti dubio ideo poſuit, quia Montani hæreſi ductus, & remittendarum graviorum culparum poteſtatem Eccleſiæ negavit, & alteras nuptias in Eccleſia celebratas damnandas eſſe, improbe ſenſit. Quamvis ergo eo pronuntiato nec dixerit, illa repetita Montaniſtarum jejunia eſſe duas quadrageſimas, quas præter unam jejuniorum quadrageſimam, quam Eccleſia ex traditione appoſtolica accepit, neceſſario obſervandas Montaniſtæ errantes aſſeverabant: neque etiam explicarit, ſæpius nubere eſſe alteras nuptias, quas iidem Montaniſtæ hæreſi capti damnabant: nec denique alios errores addiderit: nihilo ſecius iſtos in libro de Pudicitia adduxit, & nefarie defendit. Non ergo de ſola diſciplina, ut Dallæus comminiſcitur, ſed etiam de Hæreſi ſua Tertullianus Montaniſta in aliis libris contra Eccleſiam Scriptis, locutus eſt; Ac ſic non in ſola Diſciplina, ſed etiam in Fide poſtea erravit.

Idem vero Tertullianus antequam rellatos libros conſcriberet, de Deo omnium Creatore agens, monſtravit, ab ipſo Deo incorporeo Materiam Corpoream, quam ingenitam & æternam Hermogenes errore dicebat, in tempore creatam fuiſſe; unde Deum incorporeum eſſe, & improprie corpus prò eo, quod nihil non eſt, vocari ita indicavit: „ (c) concedam interim eſſe aliquid „ incorporale de ſubſtantiis dumtaxat; Cum ipſa ſubſtantia corpus „ ſit rei cujuſque.

D d Rur-

(a) *Tertul. in lib. de Jejun. cap. 1.*

(b) *Nota. Montaniſtæ Paracleti appellationem Montano nefariè tribuebant, ut S. Baſilius poſtea laudandus docet.*

(c) *Tertul. lib. c. Herm. cap. 16.*

Digitized by Google

Rurſus contra Marcionem de Deo & dexteram, & oculos non proprie dici, indicavit. Cum enim Marcionitæ ſtulte contenderent, Deum, ſi exacerbatur, corruptum iri: adverſus illos Tertullianus hæc protulit: „ (*a*) Stultiſſimi, qui de „ humanis Divina prædicant; ut, „ quoniam in homine corruptoriæ „ conditionis habentur hujuſmodi „ paſſiones, idcirco & in Deo ejuſ- „ dem ſtatus exiſtimentur. Diſcerne „ ſubſtantias, & ſuos eis diſtribue „ ſenſus tam diverſos, quam ſub- „ ſtantiæ exigunt; licet vocabulis „ communicare videantur. Nam & „ dexteram, et oculos, et Pedes „ Dei legimus; nec ideo tamen hu- „ manis comparabuntur, quia de „ appellatione ſociantur.... Quan- „ ta erit diverſitas Divini Corporis „ & humani ſub eiſdem nominibus „ membrorum: tanta erit & Ani- „ mi Divini, & Humani differen- „ tia ſub eiſdem licet vocabulis ſen- „ ſuum, quos tam corruptorios ef- „ ficit in homine corruptibilitas „ ſubſtantiæ humanæ; quam incor- „ ruptorios Deo efficit incorrupti- „ bilitas ſubſtantiæ Divinæ.

Tum autem S. Auguſtinus (*b*) de his Tertulliani locutionibus ita tractavit: „ Quoquo modo putarit, „ ipſam naturam, ſubſtantiamque „ Divinam Corpus vocare, non tale „ corpus, cujus partes aliæ majo- „ res, aliæ minores valeant, vel de- „ beant cogitari, qualia ſunt omnia „ quæ proprie dicuntur corpora... „ Sed potuit, ut dixi, putare, Cor- „ pus Deum dicere, quia non eſt „ nihil, non eſt inanitas, non eſt „ corporis, vel animæ qualitas; ſed „ ubique talis, & per locorum ſpa- „ tia nulla partitus: in ſua tamen „ natura, atque ſubſtantia immu- „ tabiliter permanet.

Itaque Dalleus falſo contendit, Tertullianum in libro contra Hermogenem affirmaſſe, nullam ſubſtantiam eſſe, quæ corporea non ſit. Atqui ex adverſo, ibi Tertullianus *conceſſit, eſſe aliquid incorporale de ſubſtantiis duntaxat*: quæ particula excludit, proprium corporis Rationem *incorporali ſubſtantiæ* competere; Cum ſcilicet iſta ſit *incorporalis duntaxat*, ac ſic nullo proprio modo corporea. *Ergo aliquas ſubſtantias proprie incorporales eſſe*, Tertullianus aſſeruit, contra quam Dallæus obtrudit. Ac proinde dum Tertullianus inibi addidit, *quod ſubſtantia corpus ſit rei cujuſque: id de re quæque corporea*, quæ ab *incorporali* diſtinguitur, ſumpſit; quia *ab iſto Corpore aliquid incorporale dumtaxat* ſecrevit. Eum autem ibi contra Hermogenem Tertullianus oſtenderit, Deum eſſe Creatorem materiæ, aliarumque incorporalium finitarum ſubſtantiarum: etiam voluit, & credidit, *Deum eſſe incorporalem dumtaxat*. Exinde vero adverſus Marcionem dixit, *quod erit Diverſitas Divini Corporis, & humani*: at illud *corpus Divinum non proprie*, uti S. Auguſtinus enucleat, accepit. Quoniam locutus eſt de Corpore apparenti, quod Deus aſſumpſit, cum in Paradiſo quidem *deambulare*, & *pe-*

(a) *Tertul. lib. 2. cont. Marc. cap. 16.*

(b) *S. Auguſt. lib. de Hæreſ. ad quod vult Deum pag. 86.*

pedes, quos hic Tertullianus adſtituit, habere videretur: ſed tamen illud corpus *iſtique pedes* ab *Humano corpore*, atque adeo ab Humanis pedibus eſſent diverſi: quæ *diverſitas* in eo elucet, quod Humanum Corpus non apparens: ſed proprium conſiſtat; Humanique pedes proprii ſint, non apparentes, apparens igitur, non proprium fuit illud *Corpus Divinum*: ac *pedes* illi nec proprii, nec veri, ſed apparentes fuere propter illam diverſitatem a Tertulliano ſtatutam; qui etiam hominis ſenſus corporeos appellat *corruptorios*, atque adeo iſtos proprie corporeos eſſe ſignificat. Cum ergo *Animi*, ſive Spiritus Divini *incorruptorios ſenſus* demonſtret: jam hos improprie ſenſus vocari, & proprie illorum vocabulo divinam incorruptibilem voluntatem, quæ a Dei *incorruptibili Subſtantia* haudquaquam diſtinguitur, denotari, liquido indicat. Cumque *corruptoriis* corporeiſque hominis ſenſibus *Divinam incorruptibilem Subſtantiam* opponat: certe hanc incorpoream, utpote a corporeis humanis ſenſibus diſtinctam haud obſcure proponit. Tum vero non Tertullianus, ſed Marcionitæ Deum humanis odii, iræ, ac doloris affectibus, atque paſſionibus obnoxium impie faciebant: contra quos Tertullianus ait: *Stultiſſimi, qui de Humanis Divina prædicant, ut, quoniam in Homine corruptoriæ conditionis habentur hujuſmodi paſſiones; idcirco etiam in Deo ejuſdem ſtatus exiſtimentur*. Diſcernat ergo iſta Dallæus, ac Tertullianum non carpat, qui Deum illis humanis affectibus obnoxium propterea non fecit; Quia Marcionitas ſtultitiæ arguit, quod eas *paſſiones in Deo ejuſdem ſtatus, qui in homine eſt, ſtultiſſime exiſtimarent*, *atqui in homine paſſiones eum ſtatum habent, ut in ipſo corruptoriæ ſint conditionis.*, & homo ipſis *hujuſmodi affectibus*, *atque paſſionibus* ſubjectus ſit; Quibus proinde Deus nullo modo, nulla ratione, nulloque ſtatu obnoxius eſt, Tertulliano adſtruente; qui quamvis de Deo quædam durius protulerit: tamen Deum & *incorporatem* faſſus eſt & infinitum.

Præterea idem Tertullianus ſupra adlegatus conſcripſit, quod Angeli *Spiritali* natura conſtantes, ac nonnullis hominibus apparentes, *non propriam Carnem geſtarint*, *ſed humanam ſuperficiem induerint*; qua in ſuperficie Dæmones Mulierum amatores apparuiſſe, non carnales, fuiſſe Tertullianus in libro de idololatria denuntiavit: qui neque idipſum in libro de velandis Virginibus protulit; neve malignos Angelos Virginum amatores pronuntiavit: ſed tantummodo dixit, quod debet adumbrari facies tam periculoſa, quæ uſque ad cælum ſcandala *jaculata* eſt: ex quibus Dallæus perperam inſert, Angelos a Tertulliano corporeos putari: quia illis verbis iſte Scriptor Angelos non nominavit: ſed eo in libro egit de nonnullis Virginibus minus honeſtis, quæ aperto Capite in hominum cœtibus, veluti in Choreis proſtabant, & pluribus Scandala afferebant; Hæcque *uſque ad Cælum ita jaculabantur*, ut Deus juſte ea punire vellet, atque convellere. De iſtis ergo *Scandalis*, non de Dæmonibus, qui in hominis ſuperficie, ſeu ſpecie Mulierum amatores apparuerant, Tertullianus hic ſermocinatus eſt. Unde

id de quo diximus, Dallæus perperam arguit.

Quamquam verò Tertullianus Fidem ſuam per ſcelus abrumpens, Librum de anima ſcripſit, in quo intelligentem animam corpoream errore prius effutiit: nihilominus in ejuſdem libri fine animam ipſam a corpore ſejunctam *ſine carne* exiſtere affirmavit.

Hunc Montaniſtam in libro de anima errantem Dallæus improbe, & falſo jungit cum S. Juſtino; Qui Martyr non modo non ſcripſit, omnem intelligentem animam ex hac vita migrantem ſubterraneo quodam Carcere includi: Verum etiam, uti monſtravimus, tradidit, Martyrum, atque Juſtorum animas *ad Regem Cælorum proficiſci*; Qua Doctrina S. Iræneus ornatus aſſeruit, & juſtorum Animas *dignam habitationem ante judicium* obtinere; & ab Eccleſia multitudinem Martyrum ad Patrem præmitti, quin etiam Tertullianus antequam in Montani hæreſim laberetur, de intelligente fidelis hominis anima, & quidem ſoluta corpore hæc dixit: „ (*a*) ob cogitatus pios, „ & benevolos ſine carne recreabitur; „ ſalva reſſurrectionis plenitudine „ per Carnem.

Non igitur, uti a Dallæo fingitur, Tertullianus cum Juſtino, ſed contra Juſtinum, contra Iræneum, contra ſemetipſum, contraque (*b*) Eccleſiam in libro de Anima errans ait: *Nulli enim patet Cælum*: quæ propoſitio cum Juſtorum, & Martyrum animas, atque etiam eas, quæ *pios cogitatus* habuerant, excludat e Cælo: idcirco erronea eſt; & contraria Patribus adlegatis, & quamvis ibi Tertullianus ſubiungat, *ſolis Martyribus concedi, ut in Paradiſum ingrediantur*: tamen quia ſub Cælo *Paradiſum* hunc collocat: ideo etiam Juſtino adverſatur, qui non ſolum Martyres, verum etiam omnes Animas juſtas, ut poſtea dicemus, *ad Regem Cælorum*, atque adeo ad Cælos proficiſci monſtravit. Juſtinum itaque cum Tertulliano Montaniſta & errante Dallæus inique conjungit & falſe.

Quæ autem de mille annorum (*c*) regno Tertullianus protulit in libris adverſus Marcionem: ea incerta, & erronea habuiſſe videtur, propterea quod in alio adduco loco ſcripſit quod anima *ob pios cogitatus recreabitur, ſalva Reſſurectionis plenitudine per Carnem*: quò in enuntiato *non mille annorum Regnum*, ſed ſalvam ſemper Animam piam è corpore egreſſam, ſalvam poſtea reſſurectionis plenitudinem, ac ſalvam proinde & certam Gloriam æternam poſuit; ideoque illius Mille annorum Regni oppinationem erroneam putavit.

Sed antequam veterum auctoritates, quæ ad Baptiſmum pertinent, afferam: tum militiam, tum Judicii Munus Chriſtianis licere, ex Tertulliano evincendum eſt.

Primum enim Hic ignaviæ probra, (*d*) quæ Ethnici Milites Chriſtianis obiiciebant, diluit his verbis: „ Navigamus, & nos vobiſcum militamus.

Deinde a Chriſtianis Idololatria Mun-

(a) *Tertul. lib. de Reſur. Carnis cap.* 17.
(b) *Tertul. de Anim. cap.* 55.

(c) *Tertul. lib.* 3. *cont Marc. cap.* 16.
(d) *Tertul. in Apol. pag.* 38.

mundis Judiciorum munera exerceri poſſe (a) ſic ſtatuit: „ Quid facient „ Servi, vel liberti fideles. Item Of„ ficiales ſacrificantibus Dominis, „ vel Patronis, vel Præſidibus adhæ„ rentes; ſed ſi merum quis Sacri„ ficanti tradiderit; immo ſi verbo „ quoque aliquo Sacrificio neceſſario „ adjuverit; Miniſter habebitur Ido„ lolatriæ. Hujus regulæ memores „ etiam Magiſtratibus, & Poteſtati„ bus officium poſſumus reddere ſe„ cundum Patriarchas, & cæteros „ Majores, qui Regibus Idololatris „ uſque ad finem Idololatriæ appa„ ruerunt. Hinc proxime diſputatio „ oborta eſt, an Servus Dei alicujus „ dignitatis, aut Poteſtatis admini„ ſtrationem capiat, ſi ab omni ſpe„ cie Idololatriæ intactum ſe, aut „ gratia aliqua, aut aſturia, etiam „ præſtare poſſit: ſecundum quod & „ Joſeph, & Daniel mundi ab Ido„ lolatria, & Dignitatem, & Pote„ ſtatem adminiſtraverunt in orna„ mento Præfecturæ totius Ægypti, „ ſive Babyloniæ. Cedamus itaque, „ ſuccedere alicui poſſe, ut in quo„ quo honore, in ſolo honoris no„ mine incedat: neque ſacrificet, „ neque ſacrificiis auctoritatem „ ſuam accommodet, non Hoſtias „ locet, non curas templorum dele„ get, non Vectigalia eorum procu„ ret, non ſpectacula edat de ſuo, „ aut de publico, aut edendis præ„ ſit. Nihil ſolemne pronuntiet, vel „ edicat, ne juret quidem, jam vero „ quæ ſunt poteſtatis neque judicet „ de capite alicujus, vel pudore. „ Feras enim de pecunia neque dam„ net, neque prædamnet; Nemi„ nem vinciat, neminem reclu„ dat, aut torqueat, ſi hæc cre„ dibile eſt fieri poſſe. At nunc „ de iſto quæritur, an fidelis ad mi„ litiam converti poſſit.... Agmen „ agit & Jeſus Nave, bellavit & Po„ pulus... Nam etſi adierant Milites „ ad Johannem, & Formam obſer„ vationis acceperant; ſi etiam Cen„ turio crediderat: omnem poſtea „ militem Dominus in Petro exar„ mandum diſcinxit.

In iſtis omnibus Dallæus non vidit, ubinam Tertulliani mens inſiſtat; quæ profecto ex maxima horum textuum parte ſignificatur: ubi Tertullianus tractavit de quibuſdam Chriſtianis Miniſtris, qui Antiquis Auguſtis idololatris ſerviebant: quorum nonnullis edictis Chriſtiani, qui falſis Diis ſacrificare nollent, mortis damnabantur. De qua damnatione Tertullianus locutus: monuit, ut *Servus Dei alicujus dignitatis, aut poteſtatis adminiſtrationem capiat, ſi ab omni ſpiecie idololatriæ intactum ſe præſtare poſſit: Secundum quod & Joſeph, & Daniel mundi ab idololatria Dignitatem, & poteſtatem adminiſtraverunt in ornamento Præfecturæ totius Egypti, ſive Babyloniæ*. Ergo Tertullianus aperte id ſolummodo addidit, *quod Servus Dei, ut Joſeph, et Daniel, qui Regum idololatrarum Miniſtri ab omni idololatria mundi fuerunt, nihil ſolemne* adverſus fideles, qui unum Deum colentes Idolis ſacrificare renuebant, *pronuntiaret, atque ediceret*: ac *nec juraret quidem* falſa numina invocando: neque etiam *judicaret de capite*

(a) *Tertul. de Idol. cap. 17. pag. 97.*

pite alicujus fidelis, abhorrentis, aut Deos falſos cognoſcere, aut iis impia ſacrificia adhibere. Hoc quidem judicandi munus, quod a Specie Idololatriæ minime diſtat, licere Chriſtianis, Tertullianus negavit; Qui tamen *Joſephi*, & *Danielis* exemplis, quæ Dallæum fugerunt, uſus, aſſeruit Chriſtianis Miniſtris judicandi poteſtatem qua, ut *Joſeph*, & *Daniel*, uti poſſint ad nefarios homines damnandos, atque puniendos. Tum etiam Tertullianus non eliminavit Chriſtianorum Secularium Militiam; *quippe quos ab Idololatria mundos cum ethnicis militaſſe narrarit. Quare Dominus non in Centurione Saeculari, qui jam crediderat, ſed in Petro uti Eccleſiaſtico, & Apoſtolo omnem militem exarmandum diſcinxis.*

Mitto res Chronologicas, quas ex profeſſo Tertullianus minime tractans, & de Tiberio Auguſto loquens minus probabiliter dixit: „ (*a*) Quod „ hujus decimo quinto anno imperii „ paſſus eſt Chriſtus, annos habens „ quaſi triginta. „ Hæc vero propoſitio (*b*) explicari poteſt de menſura ætatis plenitudinis Chriſti: qui videlicet ut Homo, cum juvenilem ætatem ageret, & annos *quaſi* triginta hoc eſt, paulo plures, quam triginta haberet, paſſus eſt, ac mortuus. Sed & idem (*c*) Tertullianus voluit, Cæleſtem Spiritus Prophetiæ gratiam in Joanne Baptiſta defeciſſe poſt totius Spiritus in Domino translationem: quod eo ſenſu ille denotavit, non quod Celeſtem Prophetiæ gratiam Joannes amiſerit, ſed quia; cum hic Præcurſor Dominum a Sanctis Prophetis predictum annuntiarit, omnes Veteris Teſtamenti Propbetiæ in Chriſto completæ ſunt, ac finem, quem etiam S. Johannes Baptiſta optaverat, acceperunt.

At Cenſor Hæreticos rite baptizatos in quæſtionem iterum vocat, & veteres perperam adlegat; quorum verba proferre neceſſe eſt.

Imprimis Tertullianus, rectam baptiſmatis formam, unum etiam baptiſmum eſſe, & iterari non poſſe ita (*d*)probavit: „ Lex enim tinguendi impoſita eſt, & forma præſcripta: Ite „ inquit, docete Nationes, tinguentes eas in Nomine Patris, & Filii, & „ Spiritus Sancti.... Unus omninò „ Baptiſmus eſt nobis tam ex Domini Evangelio, quam ex Apoſtoli „ litteris, quoniam unus Deus, & „ unum Baptiſma, & una Eccleſia in „ Cælis. Sed circa Hæreticos ſane „ quid cuſtodiendum ſit digne quis „ retractet? Ad nos enim editum eſt. „ Hæretici autem nullum habent „ Conſortium noſtræ diſciplinæ, quos „ extraneos utique teſtatur ipſa ademptio communicationis. Non debeo „ in illis cognoſcere, quod nobis eſt „ præceptum, quia non idem Deus „ eſt nobis, & illis, nec unus Chriſtus, ideſt, idem; ideoque nec Baptiſmus unus, quia non idem; quem „ cum rite non habeant, ſine dubio „ non habent; Nec capit numerari, „ quod non habetur: ita nec poſſunt „ accipere, quod non habent. Sed de „ iſto

(a) *Tertul. in lib. adv. jud. cap.* 8.
(b) *Vide S. Aug. lib.* 22 *de Civ. Dei cap.* 15.
(c) *Tertul. lib. de Bapt. cap.* 10.

(d) *Tertul. lib. de Bapt. cap. XIII. pag.* 224. *& ſeq. ibi cap. XV. pag.* 230.

„ iſto plenius cum nobis in græco
„ digeſtum eſt. Semel ergo Lavacrum
„ inimus, ſemel delicta diluuntur. Cæ-
„ terum Iſrael Judæus quotidie lavat,
„ quia quotidie inquinatur: quod ne
„ in nobis quidem factitaretur, pro-
„ pterea de uno Lavacro definitum eſt.

Idem Scriptor quandam ex Ni-
colaitarum ſecta Mulierem Hæreti-
cam, de qua S. Johannes Apoſtolus
in Apocalypſi locutus fuerat, ſic re-
tulit: „ Hæreticam (a) enim Fæmi-
„ nam, quæ quod didicerat à Nico-
„ laitis docere ſuſceperat, in Eccle-
„ ſiam latenter intro ducebat, & me-
„ ritò ad Pænitentiam, Cui enim du-
„ bium eſt Hæreticum inſtitutione
„ deceptum, cognito poſtmodum ca-
„ ſu, & pænitentia expiato, & ve-
„ niam conſequi, & in Eccleſiam re-
„ digi? Unde & apud nos ut Ethni-
„ co par, immò & ſuper Ethnicum
„ Hæreticus etiam per Baptiſma Ve-
„ ritatis utroque Homine purgat
„ admittitur.

Firmilianus Cæſareenſis Epiſco-
pus, de quo plura ante diximus, er-
rore ductus Stephani primi decreto (*b*)
ita adverſatus eſt: „ Illud quoque ab
„ ſurdum quod non putant quærendum
„ eſſe, quis ſit ille, qui baptizaverit;
„ eo quod qui baptizatus ſit, gratiam
„ conſequi potuerit invocata Trini-
„ tate Nominum Patris; & Filii, &
„ Spiritus Sancti.

S. Dionyſius Alexandrinus Præ-
ſul Firmiliani erratum depulit, Euſe-
bio referente; qui rem ita deſcribit:
„ Cum (*c*) Stephanus Eccleſiam bien-
„ nio adminiſtraſſet; Xyſtus in eius
„ locum ſucceſſit, ad quem Diony-
„ ſius ſecundum de Baptiſmo ſcripſit
„ epiſtolam, in qua Stephani ſimul
„ ac reliquorum Epiſcoporum Senten-
„ tiam ac judicium exponit, de Ste-
„ phano ita ſcribens: antea quidem
„ litteras ſcripſimus de Heleno, &
„ de Firmiliano, de omnibus denique
„ Sacerdotibus per Ciliciam, Cappa-
„ dociam, cunctaſque finitimas Pro-
„ vincias conſtitutis ſe ſe ob eam
„ cauſam ab illorum communione
„ diſceſſurum, quod Hæreticos reba-
„ ptizarent.

S. Baſilius magnus de quibuſ-
dam Hæreticis Pepuzenis, ſive Mon-
taniſtis iſta narravit: „ (*d*) Pepuzeni
„ ergo ſunt aperte Hæretici. Nam in
„ Spiritum Sanctum blaſphemaverunt,
„ Montano, & Priſcillæ Paracleti ap-
„ pellationem nefarie, impudenterque
„ attribuentes. Igitur ſive quod ho-
„ minibus Divinitatem attribuunt,
„ condemnati ſunt; ſive quod Spir-
„ tum Sanctum afficiunt injuria, dum
„ eum comparant cum hominibus:
„ Sic etiam ſunt æternæ condemnationi
„ obnoxii: quod condonari non poſ-
„ ſit blaſphemia in Spiritum Sanctum.
„ Qua igitur ratione eorum baptiſma
„ admittatur, cum in Patrem, & Fi-
„ lium, & Montanum, aut Priſcil-
„ lam baptizent? Non enim baptiza-
„ ti ſunt, qui in ea, quæ nobis tra-
„ dita non ſunt, baptizati fuere....
„ Cæterum antiquis viſum eſt, Cy-
„ priano, dico, & noſtro Firmiliano,
„ hos omnes uni calculo ſubjicere.
„ Ca-

(a) *Tertul. in lib. de Pudic. cap. 19. pag. 581*
(b) *Firmil. in Ep. cit. ad S. Cypr. pag. 304*
(c) *Euſ. lib. VII. Hiſt. Eccleſ. cap. 5.* *pag. 284.*
(d) *S. Baſil. in Ep. Canon. ad. Amph. can. 1. pag. 269. tom. 3.*

,, Catharos, & Encratitas, & Hydro-
,, paraſtatas; propterea quod princi-
,, pium quidem ſeparationis per Schiſ-
,, ma factum fuerat: Qui autem ab
,, Eccleſia ſe ſeparaverant, non ha-
,, bebant amplius in ſe Gratiam Spi-
,, ritus Sancti. Defecerat enim com-
,, municatio, interrupta continuatio-
,, ne. Qui enim primi receſſerant
,, Ordinationem a Patribus habebant,
,, & per manuum eorum impoſitio-
,, nem habebant donum Spirituale.
,, Qui autem reſecti ſunt, laici effe-
,, cti nec baptizandi, nec ordinandi
,, habebant poteſtatem; ut qui non
,, poſſent amplius Spiritus Sancti gra-
,, tiam aliis præbere, a qua ipſi ex-
,, ciderant. Quare eos qui ab ipſo-
,, rum partibus ſtabant, tanquam a
,, laicis Baptizatos juſſerunt vero Ec-
,, cleſiæ baptiſmate ad Eccleſiam ve-
,, nientes expurgari. Sed quoniam
,, nonnullis Aſianis omnino viſum
,, eſt eorum Baptiſma pluribus con-
,, ſulendi cauſa ſuſcipiendum; Eſto:
,, ſuſcipiatur.

Denique Concilium Conſtantinopolitanum I Æcumenicum de Hæreticorum Baptiſmate hæc habuit. ,,
,, Eos (a) qui rectæ Fidei adiiciuntur
,, & parti eorum, qui ex Hæreti-
,, cis ſervantur, recipimus ſecun-
,, dum ſubiectam hic conſequen-
,, tiam, & conſuetudinem. A-
,, rianos quidem & Macedonianos,
,, & Sabbatianos, & Novatianos, qui
,, dicunt ſeipſos Catharos, & Ariſte-
,, ros, hoc eſt, Mundos, vel Sini-
,, ſtros; Et Theſſaradecaticas, ſive
,, Tetraditas, & Apollinariſtas reci-
,, pimus dantes quidem libellos, &
,, omnem hæreſim anathematizantes,
,, quæ non ſentit, ut Sancta Dei
,, Catholica: & Apoſtolica Eccleſia,
,, & ſignatos, ſive unctos primum
,, Sancto Chriſmate, & Frontem, &
,, Oculos, & Nares, & Os, & Au-
,, res; & eos ſignantes dicimus Si-
,, gnaculum Doni Spiritus Sancti.
,, Eunomianos, qui in unam dimer-
,, ſionem baptizantur & Montaniſtas,
,, qui hic dicuntur Phryges, & Sa-
,, bellianos, qui eundem eſſe Patrem,
,, & Filium opinantur utrumque ſi-
,, mul confundentes, & alia gravia
,, indigna faciunt: & alias omnes
,, hæreſes, quoniam hic multi ſunt
,, Hæretici, & maxime qui ex Ga-
,, latharum regione veniunt: quicum-
,, que ex his rectæ Fidei adſcribi vo-
,, lunt, ut Græcos admittimus. Et
,, primo quidem die ipſos Chriſtia-
,, nos facimus.... Et tunc eos Ba-
,, ptizamus.

Primum itaque Tertullianus ex Traditione monſtravit, Baptiſmum in *Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* conſecratum eſſe unum, atque *iterari non poſſe*: qua *forma* a Domino præſcripta quidam Heterodoxi, ut Marcionitæ, in baptizando minime utebantur; Ac ſic nullum erat Baptiſma ab iſtis Nebulonibus ſuppeditatum: a quibus, atque etiam ab Ethnicis & Nicolaitas Hæreticos, & horum Baptiſma Tertullianus eò diſtinxit, quod *Hæretica Fæmina Nicolaitas ſequens, atque Hæreticus inſtitutione deceptus Pænitentia expientur: Ethnico autem par, immo & ſuper Ethnicum Hæreticus, ſcilicet ab Hæretico rite non baptizatus, per Baptiſma verita-*

(a) *Concil. Gener. II. can. 7. pag. 1129. tom. 2. Concil. Lab.*

ritatis purgetur: quibus Tertullianus *a Baptiſmo ritè collato Pænitentiam* aperte ſecrevit; ideoque non dixit *Fæminam Hæreticam* ad Baptiſmum, ſed *ad Pænitentiam merito adduci;* quippe quia eadem Fæmina Baptizata erat *forma a Chriſto præſcripta;* ob idque ejus *Baptiſmus iterari non poterat*. Hanc diſtinctionem a Tertulliano adhibitam Dallæus haudquaquam intuitus, ſalſo ait, quod idem ille Scriptor pronuntiarit, nullum fuiſſe Hæreticorum Baptiſma. Atqui ex Tertulliano dumtaxat Baptiſmus ab illis Hæreticis, qui *forma præſcripta* non utebantur, adminiſtratus, validus neutiquam erat. Ex adverſo autem Baptiſma aliis Hæreticis, & illi *Hæreticæ Fæminæ* a Nicolaitis deceptæ collatum, nullum non fuit, quoniam iſti non Baptiſmo, ſed Pænitentia expiabantur, Tertulliano aſſerente; qui proinde Hæreticorum Baptiſmum forma præſcripta adminiſtratum pro nullo non habuit.

Non igitur a Tertulliano errantem rebaptizandi Diſciplinam Cyprianus accepit, qui omnes Hæreticos rebaptizandos temere voluit: at Tertullianus *Fæminam illam Hæreticam*, alioſque Heterodoxos, *rite baptizatos Pænitentia tantum expiandos, & in Eccleſiam introducendos eſſe pradocuit;* cujus proinde ſententiam Cyprianus ſecutus non eſt. Neque vero Cypriano, & Firmiliano in eadem cauſa S. Dionyſius Alexandrinus aſſentitus eſt; quippe qui mentem ſuam apertius declaraverit, ad Xyſtum R. Pontificem ſcribens, *ſe ob eam cauſam ab Heleni, & Firmiliani communione diſceſſurum, quod Hæreticos rebaptizarent*. Illi igitur erroneæ Firmiliani opinioni Dionyſius Alexandrinus non modo conſenſum non præbuit, ſed etiam obſtitit, ab ejus *communione diſcedens*.

Hinc Dallæus cum Launojo maxime errat, dum ſcribit, quod Stephanus Romanus Epiſcopus propriam ferebat non multo probabiliorem ſententiam, qua omnes, nullo diſcrimine, Hæreticos abſque Baptiſmo admittebat, quo in errore Dallæus verſatus eſt haud perſpectis illis unis Firmiliani litteris, quibus is quamvis veritati notiſſimæ obſiſteret: tamen manifeſte teſtificatus eſt, quod Stephanus illum Hæreticorum Baptiſmum omnino admittendum decrevit, qui *invocata Trinitate nominum Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* adminiſtrabatur. Quid hoc Firmiliani, quamquam errantis adverſarii teſtimonio diſertius? Non ergo Stephanus, nullo diſcrimine, Hæreticorum omnium Baptiſmum admiſit: Sed tantummodo ſtatuit, illud Hæreticorum Baptiſma accipiendum, quod conferebatur in *Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, quæ forma a Chriſto præſcripta fuit, & tradita. Ideoque Stephanus ut Pontifex Summus, non probabilem, non multo probabiliorem, non minus probabilem, ſed certiſſimam, & propriam Pontificis Maximi ſententiam tulit ex ſatra Scriptura, ex Fide, exque Traditione: ad quas Dallæus animum ſuum minime applicans aberravit a vero. Quod ſi Cyprianus primum Jubajani litteris, cui omnia Stephani verba a Firmiliano recenſita non proferebat, ac Stephani mentem non aſſecutus, aliter, ac Firmilianus, ipſius Stephani decretum exhi-

buit: nihilominus accepta Firmiliani Epiſtola idem, quod prius dixerat, amplius non ſcripſit, ac proinde priorem opinationem poſtea mordicus non tenuiſſe videtur.

Quamobrem poſt Stephanum (a) Nicæna prima Synodus Generalis Paulianiſtarum, aut Samoſatenorum Baptiſmum irritum propterea conſtituit; quia Paulus Samoſatenus, ejuſque Sectatores Hæretici Baptiſmum non conferebant in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: quam formam ab illis adhibitam non fuiſſe Hiſtoria Eccleſiaſtica docet. Unde non aliorum Hæreticorum, qui recta ea forma in baptizando ſimpliciter utebantur, Baptiſmum, quem Stephanus adprobavit: ſed Paulianiſtarum, qui illam formam a Domino præſcriptam impie deſpiciebant, Baptiſma irritum pronuntiavit Nicænum Concilium; cujus Sententiam Conſtantinopolitana prima Synodus Æcumenica ſecuta eſt in Canone ſeptimo jam adlegato; cujus poſteriorem partem Dallæus ſubdole adducit, ut ipſam Conſtantinopolitanam Synodum iniquius appetat; quæ tamen *Arianorum*, *Macedonianorum*, *Sabbatianorum*, *Novatianorum*, *Tetraditarum*, ſive Quartodecimanorum, & Apollinariſtarum Baptiſma, utique in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti collatum admiſit: cum illos omnem hæreſim anathematizantes ſolo Chriſmate *ungendos*, ac ſignandos edixerit.

(a) Tum autem S. Epiphanius, ac Theodoretus adſignificant, Hæreticos Eunomianos unam dimerſionem in baptizando ita adhibuiſſe, ut neque divinarum Perſonarum Trinitatem invocaſſent, neque in Baptiſmate invocandam eſſe errore dictitarent; & in Nomine *Filii creati* Baptiſmum impie conferrent: quos non minus, quam Ethnicos iterum baptizandos eſſe, meritò ſtatuerunt Conſtantinopolitanæ prioris Generalis Synodi Patres. Tum etiam quidam Montaniſtæ in *Nomine Montani*, *& Priſcillæ*, *ac Sabelliani*, aliique Hæretici, uti Paulianiſtæ, ſine trium Divinarum Perſonarum expreſſione baptizabant: qui baptiſmus cum irritus eſſet, eos Evangelica forma baptizari debere, illud generale Concilium recte definiit.

Sed enim Dallæus nevos falsò objicit Magno Baſilio, cujus locum adduximus, ubi is non eo manifeſte propendet, ut quicumque vel a Schiſmate, vel ab Hæreſi ad Eccleſiam Catholicam veniunt, ii rebaptizentur. Nunquam id ſenſit Baſilius, qui Hæreticos Pepuzianos *in Patrem*, *& Filium*, *& Montanum aut Priſcillam baptizantes eo generatim rejecit*, *quia illi non baptizati ſunt*, *qui in ea*, *quæ nobis tradita non ſunt*, *baptizati fuere*: qua generali traditionis ratione Baſilius aperte deſignavit, non quoſcumque aut Hæreticos, aut Schiſmaticos rebaptizari debere: ſed tantum illorum Hæreticorum, ut Pepuzianorum, baptiſmum *admittendum* non eſſe, quem aliqui Heterodoxi in ea forma, quæ a Chriſto, & a *Patribus tradita eſt*, minime conferebant. Quare *omnes* vel Hæreticos, vel Schiſmaticos cum *Cyprianus*, *& Firmilianus uni calculo ſubjicerent*, eoſque rebaptizandos minus

(a) *S. Epiph. her. 76. Theod. lib. V. Haret. Fab. Cap. XI.*

nus bene cenſerent: tum Baſilius *Catharos*, *Encratitas*, *Hydroparaſtatas*, & Schiſmaticos diſtincte nominavit, eorumque Baptiſmum forma Evangelica adminiſtratum *ſuſcipiendum* edixit. Dallæus autem *Diſpenſationis* vocabulum, quod in adducto Baſilii contextu non reperitur, ſibi confingit; neque enim diſpenſandi, nec ſolum vitandi Scandali, ſed *pluribus conſulendi cauſa eorum baptiſma* S. Doctor *ſuſcepit*, conſulere vero hic providere ſignificat. Hanc igitur Providentiam Baſilius adhibuit ſecundum *plurium Patrum*, quos ante nuncupaverat traditionem, qua creditum eſt, atque ſtatutum, ut illi Hæretici, qui *in Nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti* baptizati erant, neutiquam rebaptizarentur.

Hos itaque Hæreticos rite baptizatos non rebaptizandos, ſed ad Pænitentiam inducendos eſſe, docuerunt Tertullianus, Stephanus, Dionyſius Alexandrinus, Concilium Conſtantinopolitanum Æcumenicum, Baſilius, Auguſtinus, ac reliqui veteres.

Hic vero Dallæus Anabaptiſtarum Hæreſim miſcet, quà iſti Hæretici, & baptiſma Infantibus rite collatum damnabant, & ipſos parvolos cum adoleſcerent, neceſſario rebaptizandos, volebant: a quibus erroribus Tertullianus abhorruit, dum Baptiſmum *rite* adminiſtratum iterari non poſſe tuitus; hæc de adultis baptiſma petentibus, & de Parvulis addidit: „ „ *(a)* Prò cujuſque Perſone conditio- „ ne, ac diſpoſitione, etiam ætate „ cunctatio baptiſmi utilior eſt præ- „ cipue tamen circa Parvulos.

Porro autem iſta verba haud obſcure indigitant, Tertulliani tempore ſicut adultos, ita etiam parvulos baptizatos fuiſſe, quem uſum baptizandi Infantes S. Cyprianus Tertulliano proximus, & a S. Auguſtino ſupra laudatus oſtendit; Atqui uſum iſtum, quem Anabaptiſtæ errando damnant, Tertullianus non reprobat, immo rebaptizandi hæreſim, qua Anabaptiſtæ capti ſunt, clare coarguit. Cum ergo *Baptiſmi cunctationem utiliorem prò Parvulis* eſſe opinatus eſt: ille hac particulari ſua opinatione, quam S. Cyprianus, & S. Auguſtinus excluſerunt, Anabaptiſtis, qui illam cunctationem neceſſariam prò infantibus errore pronuntiant, non fauit. Aliud quippe eſt neceſſitas, aliud utilitas; qua Tertullianus Anabaptiſtarum errori minime accedit; quia neque uſum baptizandi Infantes reprobavit, neque eos poſtea neceſſariò rebaptizandos innuit, ſed potius Anabaptiſtarum rebaptizantium hæreſim diruit; quorum etiam errorem quo Chriſtianis munus exercendi Judicii negant, refutavit allatis exemplis.

Origenes dehinc errores ſcripſit non in libris contra Celſum, neque in aliis nonnullis alibi adductis, ſed vel in Pſalmorum expoſitionibus uti S. Baſilius adnotat, vel in libris Periarchon, ſicut S. Hieronymus animadvertit. Adde huc, quod idem Origenes in Gentilium perſecutione lapſus, Idolis thus adolevit, quemadmodum S. Epiphanius, *(b)* & Juſtinianus Imperator in tractatu adverſus Origenis Hæreſes, quem tractatum Synodus quinta adprobavit,

(a) Tertul. de Bapt. cap. 18. pag. 231.

(b) *S. Epiph. hær. 64.*

& Leontius, *(a)* & cæteri referunt. Verum ex eo, quod Origenes in magnos errores dilapſus fuerit, Dallæus perperam coniicit, pleroſque omnes antiquiſſimos Eccleſiæ Doctores, & quidem ſimul ſumptos, errare potuiſſe. Nam etſi unus, vel alter ſcriptor ab aliis ſeeretus, ut Tertullianus, ut Origenes, in errores incidit: Nihilominus plerique omnes Catholicæ Eccleſiæ Doctores, & Vetuſti, & Sancti, & uniter accepti, neque erroribus ducti ſunt, neque iis capi potuerunt: quippe quorum Sanctorum plerorumque fidem SS. Epiphanius, Baſilius, Hieronymus, Auguſtinus, Concilium Chalcedonenſe, & Synodus quinta æcumenica, quorum teſtificationes antea produximus, liquido commendarint.

Jam S. Methodius in refutandis Origenis erroribus felicius verſatus, in libro cujus *Epitome* a S. Epiphanio exhibetur, cujuſdam Procli verba ſic protulit, atque agitavit: „ Cum enim „ *(b)* poſt ſæculi præſentis exitum „ adhuc terra perſeveratura ſit, habitatores in ea quoſdam ineſſe neceſſe eſt, qui nec morituri ſint amplius, neque copulandi nuptiis, „ aut procreandæ ſoboli operam daturi; ſed Angelorum more ſine ulla „ mutatione in immortalitatis ſtatu „ optima ſint quæque facturi: proindeque ſtultum eſt, quanam vitæ ratione uſura ſint corpora, „ quærere; ſi nec aer, neque terra, „ neque quicquam cæterorum ſit „ amplius futurum.

Idem Methodius inibi poſt nonnulla adduxit Origenis errorem, quo iſte aſſerebat, intelligentes hominum animas prius, quam Corporibus unirentur, in Cælo extitiſſe, ibique peccaſſe: quam hæreſim Methodius *(c)* hoc argumento refellit. „ Per ſe ſe „ ſine corpore peccare prorſus Anima non poteſt. Unde & poſt obitum, quò peccato, atque in Deum „ contumacia vacare in Cælo poſſet, „ ubi cum Angelis ei Domicilium „ conſtitutum eſt, liberam illam, ac „ corpore nudatam eſſe debere.

Demum S. Methodius in ſui libri, quem contra Origenem ſcripſerat, fragmento, quod Photius exhibet, *(d)* iſta prædocuit: „ Scimus, „ quoniam ſi terreſtris Domus noſtra habitationis diſſoluitur, quod „ ædificationem ex Deo habemus, „ Domum non manufactam æternam „ in Cælis.

Proclus itaque ex Origenianis proferebat, *terram poſt præſentis ſæculi exitum adhuc*, atque adeo in eodem ſtatu, quem modo habet, *perſeveraturam*, in qua *habitatores quidam fuerint non morituri, ſed in immortalitate, & more Angelorum facturi optima quæque:* quod Methodius ſubjungit *ſtultum* eſſe; quippe quia id nec quærendum eſt, neque dicendum poſt univerſale judicium habitatores futuros in terra, *quæ nec amplius* habitabilis erit, *nec quicquam cæterorum*, quæ illam prædictam habitationem continent, *amplius futurum ſit:* quam habitatorum terræ negationem Me-

(a) *Leontius in lib. cit.*

(b) *S. Meth. apud S. Epipha. Panar. Hæreſ. 64. Orig. pag. 555.*

(c) *S. Meth. ibid. apud Epiph. Panar. Hær. 64. pag. 565.*

(d) *S. Method. apud Photii B. B. Cod. 234.*

Methodius firmavit ea ſubiuncta ratione, quod *Animæ, quæ peccato vacat domicilium in Cælo conſtitutum eſt*: Unde ex Apoſtolo tradidit, ex *Deo haberi Domum non manufactam æternam in Cælis*. Non ergo in terra, ſed in Cælis poſt Reſurrectionem, poſtque univerſale judicium omnes juſti habebunt *non manufactam domum æternam*.

Methodius quoque ibidem Angelorum, & hominum ſubſtantias contra Origenem diſtinguens id ſcripſit: „ Angeli (*a*) porro Carnis ex„ pertes, in ſumma fælicitate de„ gunt in gloria.

Sicut igitur S. Iræneus aſſeruit, Angelos ſine Carne eſſe, & incorporales, & *incompoſitos*: ita eoſdem *Angelos Carnis expertes*, ac ſic incorporeos Methodius denotavit: qui proinde cum aliis Patribus, uti Dallæus ſimulat, non affirmavit, Angelos malignos fuiſſe Carnales Mulierum Amatores: Sed cum aliis veteribus tradidit, Angelos *carnis expertes* eſſe, & incorporeos: quorum aliqui maligni Spiritus, vel in Aereis corporibus aſſumptis, vel in quibuſdam hominibus, quos agitabant, Mulierum amatores improprie apparuerunt.

Verum S. Methodius cum eo loci homines poſt Reſurrectionem in Angelos haud mutatum iri contra Origenis errores probaret: de Dei Providentia ita locutus eſt: „ Unum„ quodque (*b*) eorum, quæ produ„ cta ſunt, in propria naturæ ſuæ „ forma, ac conditione permanere; „ ut omnibus omnia compleantur, „ puta cæleſtes Angelis Orbes, Throni „ Poteſtatibus Adminiſtris lumina: „ Diviniores porro Sedes, ſinceriora„ que lumina Seraphinis, qui „ ſummæ illi Providentiæ, qua om„ nia continentur, velut apparitores „ aſſiſtunt: Mundus denique Homi„ nibus. Atqui ſi in Angelos mu„ tari homines conceſſerimus, con„ ſequens eſt, ut & Angelos in Po„ teſtates, & has in aliud, atque „ aliud tranſire dicamus, donec ad „ ſuperiora ſermo progrediens, pe„ riculoſius implicetur.

Multa Dallæi monſtra, qui S. Methodio imponere audet, quod is finxerit, a Dei Providentia univerſales cauſas curari, ab eaque Angelis particularia quæque committi, ita ut iſthæc ab illa haudquaquam curentur. Sed curis fictitiis Cenſor inſumitur, quem Methodius refellit, aſſeverans, *ſummæ illi Providentiæ, qua omnia continentur, Seraphim velut apparitores aſſiſtere*. Non ergo ſolum cauſas univerſales, verum etiam particulares omnes & cæleſtes, & æthereas, & Angelicas, & Humanas, & terrenas Dei *ſumma Providentia curat*, ac regit; quippe *qua omnia* contineantur, Methodio docente, qui tametſi adſignificarit *cæleſtes orbes*, atque etiam homines ab Angelis cuſtodiri ſecundum Divinam Scripturam, & Traditionem: nihilominus Dei providentiam ab his particularibus rebus gubernandis neque amovit, neque excluſit: quoniam affirmavit, & Angelos Dei Miniſtros eſſe, & Deo *Seraphim velut apparitores*, qui ſcilicet Dei juſſa *exequuntur*, *aſſiſtere*:

&

(a) *S. Meth. ibid. apud S. Epiph. hær. 64. pag. 556.* (b) *In Meth. ibi. pag. 554.*

& tamen *omnia* Dei *ſumma Providentia* contineri: qua proinde cum Deus *omnia*, atque adeo & Angelos ipſos, quos miniſtros ſuos facit, & Cælum, & cuncta Elementa, & homines contineat: id circo univerſalia, ac particularia gubernat, vitæ hominum conſulit, cunctaſque generales, ac particulares cauſas, reſque omnes creatas infinita mente regit & Providentia.

Itaque Methodius nullos in errores lapſus, illis firmiſſimis rationibus Origenis hæreſes oppugnavit, ac repulit: quæ rationes cum ſacris litteris, ac Patrum Doctrinæ omnino conſonæ ſint: ideo Origenis errores non minus Divinis Scripturis, & Traditionibus quas ibi Methodius celebrat, opponuntur; quam illa Dallæi fictio legitimo, & vero S. Methodii tectui adverſatur.

Cenſor autem Lactantii errorem, quo is Spiritus Sancti ſubſtantiam negare videbatur, fruſtra affert; ut qui error a S. Hieronymo jamdudum reprehenſus ſit, atque ſublatus. Idem Lactantius voluit, malignos Angelos vel in corporibus apparentibus, vel in Dæmonicis quibuſdam hominibus, e quibus aliud Dæmonicorum genus improprie ortum fuerit, Mulierum congreſſu inquinatos fuiſſe, ſed ille errans dixit, *omnes animas mortuorum hominum in cuſtodia detineri, donec advenerit Maœimus Judex*, eorumque *faciat exa✝en*, quem errorem allati Sancti Patres coarguunt, dum tradunt, Juſtorum, & Martyrum Animas è Corpore egreſſas non in cuſtodia detineri, ſed ad Cælos extolli. Cum vero ait, Chriſtum ante ultimum Judicium in terram venturum, & eos, qui tunc ſuperſtites fuerint, non moritnros, ſed per mille annos infinitam hominum multitudinem generaturos: tum iſta ut ab Hæreticis pronuntiata Lactantius retuliſſe cenſendus eſt: quia ea nunquam Eccleſia Apoſtolica, & Veteres docuerunt.

Verum ut S. Hilarius Pictavienſis Epiſcopus invidia liberetur: proferam in medium ejus dicta de Chriſti paſſione, quam ex S. Matthæi Evangelio ita adverſus Arianos explicuit: „ Eorum omnis hic ſenſus „ (a) eſt, ut opinentur, metum „ mortis in Dei Filium incidiſſe: „ qui aſſerunt non de Æternitate „ eſſe prolatum, neque de infinita- „ te paternæ ſubſtantiæ extitiſſe; ſed „ ex nullo per eum, qui omnia „ creavit effectum, ut aſſumptus ex „ nihilo ſit, & cæptus ex opere, & „ confirmatus ex tempore: & ideo „ in eo doloris anxietas, ideo ſpi- „ ritus paſſio cum corporis paſſio- „ ne, ideo metus mortis, ut qui „ mortem timere potuit, & mori „ poſſit; qui vero mori potuit, li- „ cet in futurum erit; non tamen „ per eum, qui ſe genuit, ex præ- „ terito ſit Æternus; qui ſi per Fi- „ dem, vitæque probitatem capaces „ Evangeliorum eſſe potuiſſent: ſci- „ rent Verbum in principio Deum, „ & hoc a principio apud Deum, „ & natum eſſe ex eo, qui erar, „ & hoc in eo eſſe, qui natus eſt, „ quod is ipſe eſt, penes quem „ erar,

(a) *S. Hilar. in cap. 31, S. Matth. pag.* 802. *Tom. 1.*

„ erat, antequam naſceretur: Eandem, ſcilicet Æternitatem eſſe, & gignentis, & geniti. Mori igitur nihil in Deo poteſt; neque ex ſe metus Deo ullus eſt; in Chriſto enim Deus erat, Mundum reconcilians ſibi.... Superius igitur dixerat, ſcandalum patiemini in me in iſta nocte. Sciebat exterrendos, fugandos, negaturos.. Metuebat, ne ſe Deum abnegarent, quem cæſum, & conſputum, & crucifixum eſſent contemplaturi.... Numquid poſſibile erat non pati Chriſtum; at quin jam a conſtitutione Mundi Sacramentum hoc in eo erat noſtræ ſalutis oſtenſum. Numquid pati ipſe nolebat? At quin ſuperius fundendum in remiſſionem Peccatorum Corporis ſui Sanguinem conſecraverat, quomodo ergo ait, *Pater ſi poſſibile eſt?* Et quomodo, *non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis?* totus igitur ſuper his, qui paſſuri erant, metus eſt; atque ideo, quia non eſt poſſibile, ſe non pati, *pro his rogat*, qui paſſuri poſt ſe erant, dicens, tranſeat Calix a me, id eſt, quomodo a me bibitur, ita ab eis bibatur ſine ſpei diſſidentia, ſine ſenſu doloris, ſine metu Mortis: ideo autem ſi poſſibile eſt, quia & Carni, & Sanguini horum gravis terror eſt, & difficile eſt, eorum acerbitate corpora humana non vinci, quod autem ait, *non ſicut ego volo, ſed ſicut tu:* vellet quidem eos non pati, ne forte in paſſione diffidant, ſed cohæreditatis ſuæ gloriam ſine paſſionis difficultate mereantur. Non ergo, ut non patiantur, rogat dicens, *non ut ego volo:* ſed ut ait, quod Pater vult, bibendi Calicis in eos ex ſe tranſeat firmitudo; quia ex Voluntate ejus non tam per Chriſtum vinci Diabolum, quam etiam per ejus diſcipulos oportebat.... Paſſuris Diſcipulis per Fidei juſtificationem omnem in ſe Corporis noſtri Infirmitatem aſſumpſit, Crucique ſecum univerſa ea, quibus infirmabamur, affixit. Ideo peccata noſtra portat, & pro nobis dolet; quia fidei in nobis calore fervente, cum adverſum Diabolum Paſſionis bello ſit decertandum; omnes imbecillitatum noſtrarum dolores cum corpore ejus & Paſſione moriuntur. Et ideo tranſire ab eo Calix non poteſt, niſi illum bibat, quia pati niſi ex ejus paſſione non poſſumus.

Cum autem Ariani impie dicerent, Chriſtum non in Natura impaſſibili Dei fuiſſe; ut qui timuerit, doluerit, ac paſſus ſit: idcirco adverſus eos S. Hilarius libro X. de Trinitate monſtravit, Chriſtum non in Divina Natura, ſed in Humana doluiſſe, ac paſſum eſſe, eumque ut Deum in Cruce triumphaſſe. Unde illum impium Arianorum errorem Hilarius ſic attulit, atque coarguit: „ (a) Volunt enim plerique eorum ex paſſionis metu, & ex Infirmitate patiendi non in Natura eum impaſſibilis Dei fuiſſe; ut qui timuit, & doluit, non fuerit in ea poteſtatis ſecuritate, quæ non timet; vel in ea Spiritus in-

„ cor-

(a) *S. Hilar. lib. X. de Trin. pag. 326. & ſequ. tom. 2.*

„ corruptione, quæ non dolet: ſed
„ inferioris a Deo Patre naturæ, &
„ humanæ Paſſionis trepidaverit me-
„ tu, & ad corporalis penæ conge-
„ muerit atrocitatem, atque hac
„ impietatis ſuæ aſſertione nitantur,
„ quod ſcriptum ſit, *Triſtis eſt anima*
„ *mea uſque ad Mortem*; & rurſum
„ *Pater ſi poſſibile eſt tranſeat a me*
„ *calix iſte*: ſed & illud *Deus Deus*
„ *meus, quare me dereliquiſti*: Hoc
„ quoque adiiciunt, *Pater commendo*
„ *in manus tuas Spiritum meum*.
„ Has enim omnes piæ Fidei noſtræ
„ profeſſiones ad impietatis ſuæ ra-
„ piunt uſurpationem; ut timue-
„ rit, qui triſtis eſt, & transferri a
„ ſe Calicem deprecatus ſit; ut do-
„ luerit, qui derelictum ſe a Deo
„ in paſſione conqueſtus ſit; ut in-
„ firmus quoque fuerit, qui Spiri-
„ tum ſuum Patri commendaverit:
„ nec anxietas admittat ſimilitudi-
„ nem exæcuatæ ad Deum in Uni-
„ geniti Nativitate Naturæ; quæ
„ infirmitatem, diverſitatemque
„ ſuam, & deprecatione calicis, &
„ deſolationis querela, & commen-
„ dationis confeſſione teſtetur. Ac
„ primum antequam ex his ipſis
„ dictis demonſtremus, nec me-
„ tuendi de ſe in eum infirmitatem
„ incidiſſe aliquam, nec dolendi:
„ quærendum eſt, quidnam videatur
„ timere potuiſſe, ut in eum for-
„ mido intolerandi doloris incide-
„ rit, & puto, non alia hic ad ti-
„ mendum quam paſſionis, & mor-
„ tis cauſa prætenditur & interrogo
„ eos, qui hoc ita exiſtimant, an
„ ratione ſubſiſtat, ut mori timue-
„ rit, qui omnem ab Apoſtolis ter-
„ rorem, appellens ad gloriam eos,
„ ſit Martyrii adhortatus .... Uni-
„ genitus autem Deus ita poteſta-
„ tem habens ponendæ animæ, ut
„ reſumendæ, ad peragendum in ſe
„ mortis Sacramentum, cum poto
„ aceto conſumaſſe ſe omne huma-
„ narum paſſionum opus teſtatus eſ-
„ ſet: inclinato Capite Spiritum
„ tradidit: ſi hoc naturæ hominis
„ jus relictum eſt, ut per ſe exha-
„ lans ſpiritum, requieſcat in mor-
„ tem; & non diſſoluto corpore la-
„ befactata anima decedat, vel ab-
„ ruptis, aut perfoſſis, aut colliſis
„ membris ſpiritus tanquam in Se-
„ de ſua violatus erumpat, aut ef-
„ fluat: incidat in Dominum vitæ
„ mortis metus.... Cum igitur
„ compuncta, aut effoſſa Corpora
„ dolent, ſenſum doloris transfuſæ
„ in ea animæ ſenſus admittit, de-
„ nique vulnus corporis uſque ad
„ os dolet, & digiti excidentium
„ ex carne unguium præſegmina ne-
„ ſciunt: & ſi quando accedente
„ vitio pars aliqua corrupta mem-
„ brorum ſenſum vivæ Carnis ami-
„ ſerit, ea cum vel deſecabitur,
„ vel uretur, dolorem quiſquis eſſe
„ potuiſſet, non manente in ea ani-
„ mæ permixtione non ſentiet....
„ affert itaque dolorem per animæ
„ infirmis admixtionem in infirmum
„ ſenſum ſuum corpus animatum.
„ Si igitur homo Jeſus Chriſtus per
„ initia corporis, atque animæ no-
„ ſtræ vixit in Corpore, & non ita,
„ ut Corporis ſui, ſic & animæ
„ ſuæ Princeps Deus, in ſimilitudi-
„ nem Hominis conſtitutus, & ha-
„ bitu repertus ut homo natus eſt,
„ dolorem ſenſerit corporis noſtri,
„ animæ noſtræ, & corporis, ut

„ con-

„ conceptu, ita & initio animatus „ in Corpore. Quod ſi aſſumpta „ ſibi per ſe ex Virgine carne, ipſe „ ſibi, & ex ſe animam concepti „ per ſe corporis coaptavit: ſecundum animæ, corporisque naturam „ neceſſe eſt & paſſionum fuiſſe naturam. Evacuans ſe enim ex Dei „ forma, & formam ſervi accipiens, „ & Filius Dei etiam filius hominis „ naſcens ex ſe, ſuaque Virtute: „ non deficiens Deus Verbum, conſumavit hominem viventem. Nam „ quomodo Filius Dei hominis Filius erit natus, vel maneus in Dei „ forma, formam ſervi acceperit, ſi „ non potente Verbo Deo ex ſe & „ Carnem intra Virginem aſſumere, „ & Carni animam tribuere, homo „ Chriſtus Jeſus ad redemptionem „ animæ, & corporis noſtri perfectus eſt natus: & corpus quidem „ ita aſſumpſerit, ut id ex Virgine „ conceptum formam eam eſſe ſervi „ effecerit. Virgo enim nonniſi ex „ ſuo Sancto Spiritu genuit quod „ genuit, & quamvis tantum ad „ Nativitatem Carnis ex ſe daret, „ quantum ex ſe fœminæ edendorum „ corporum ſuſceptis originibus impenderent: non tamen Jeſus Chriſtus per humanæ Conceptionis „ coaluit Naturam, ſed omnis cauſa naſcendi invecta per Spiritum „ tenuit in hominis Nativitate quod „ Matris eſt, cum tamen haberet in „ originis Virtute, quod Deus eſt.. „ Homo itaque Jeſus Chriſtus Unigenitus Deus, per Carnem & Verbum ut Hominis filius, ita & Dei „ Filius, hominem verum ſecundum „ ſimilitudinem noſtri hominis non „ deficiens a ſe Deo ſumpſit: in quo

„ quamvis aut ictus incideret, aut „ vulnus deſcenderet, aut nodi concurrerent, aut ſuſpenſio elevaret; „ afferent quidem hæc impetum Paſſionis, non tamen dolorem paſſionis inferrent: ut telum aliquod, „ aut aquam perforans, aut ignem „ compungens, aut aera vulnerans, „ omnes quidem has paſſiones naturæ ſuæ inferret, ut foret, ut compungat, ut vulneret: ita naturam „ ſuam in hæc paſſio illata non retinet, dum in Natura non eſt vel „ aquam forari, vel pungi ignem, „ vel aerem vulnerari; quamvis naturæ teli ſit & vulnerare, & compungere, & forare. Paſſus quidem „ eſt Dominus Jeſus Chriſtus, dum „ cæditur, dum ſuſpenditur, dum „ crucifigitur: ſed in Corpus Domini irruens paſſio, nec non fuit „ paſſio, nec tamen Naturam paſſionis exeruit, dum & pœnali Miniſterio deſævit, & virtus corporis „ ſine ſenſu pœnæ vim pœnæ in ſe deſevientis excepit.... Succumbere „ ergo ſibi videtur virtus iſta vulneris Clavo, & ad ictum compungentis exterrita demutaſſe ſe in Naturam dolendi. At quin Apoſtolus „ loquente in ſe Chriſto locutus, & „ ſalutis noſtræ per Dominum opus „ memorans, mortem Chriſti ita ſignificat, ut Carne ſe ſpoliet, & „ poteſtates cum fiducia dehoneſtet, „ & de his in ſemetipſo triumphet.. „ Triumphus plane eſt, quæri ad „ Crucem, & offerentem ſe non ſuſtineri, ſtare ad ſententiam mortis, ſed „ inde conſeſſurum a dextris virtutis, „ configi Clavis, ſed pro perſecutoribus orare; acetum potare, ſed „ Sacramentum conſumare; deputati

„ pſiſſe Naturam. Et extra generis
„ neceſſitatem voluntatis acceſſio eſt.
„ Non enim Peccator fuit, ſed pec-
„ cata ſuſcepit: neque Infirmus exi-
„ ſtit, ſed portavit infirmitatem.
„ Ipſe enim ſecundum Prophetam
„ peccata noſtra (*a*) ſuſcepit, & in-
„ firmitates noſtras portavit: & ne
„ quid inpaſſibilem, atque indemu-
„ tabilem Divinitatem infirmitatis
„ incidere exiſtimaretur, adjecit, &
„ *nos putavimus eum* in doloribus eſ-
„ ſe. Suſcepit ergo infirmitates, quia
„ homo naſcitur: putatur dolere
„ quia patitur: caret vero doloribus
„ ipſe, quia Deus eſt: „

Hæc omnia ab Hilario ad defendendam veram Chriſti Divinitatem, quam Corporis ejus Virtutem appellat, ita afferuntur, ut humana Chriſti Natura ab ipſius Divina Natura diſtinguatur; Et Chriſti humanitati, non Divinitati, ut Ariani impie volebant, metus, dolor, ac Paſſio tribuantur.

Quare Dallæus Hilarii librum decimum de Trinitate primitus adlegans, falſo objicit, quod Hilarius Humanam Chriſti Naturam nullo dolorum, vel cruciatuum ſenſu affectam fuiſſe exiſtimaverit: quam argumentationem falſam eſſe, multis Hilarius oſtendit; qui primum Commentariis in caput XXXI. S. Matthæi, quos ante libros de Trinitate compoſuerat, Arianorum Hæreſim exagitavit, qua iſti aſſerebant *Dei Filium nec de Æternitate protatum, nec de infinitate paterna ſubſtantia, neque in impaſſibili Dei natura extitiſſe; ſed ex nullo effectum, & confirmatum ex tempore:* ideoque in eum *doloris anxietatem, mortis metum, ac Spiritus paſſionem, & Corporis* incidiſſe; quam errantem illorum Hæreticorum rationem Hilarius eo refellit, quia ex Evangelio Johannis *verbum in principio erat apud Deum, & Deus erat Verbum:* & idcircò in Chriſto ut *Deo nihil* mori potuit, neque ex ſe metus eidem, ut Deo ullus eſt. Chriſtus autem ut homo & metuit mortem, & *pro nobis dolet.* Non ergo Humanam Chriſti Naturam ullo doloris ſenſu affectam eſſe negavit Hilarius; utpotè qui Chriſtum pro nobis *dolere* expreſſe affirmaverit. Hoc ipſum igitur in Libro de Trinitate Hilarius adſignificavit. Cum enim Arianorum *plerique* errando vellent, *Chriſtum ex Paſſionis metu, & ex Infirmitate patiendi non in natura impaſſibilis Dei fuiſſe, neque in ea poteſtatis ſecuritate; qua non timet non dolet non pœnis afficitur:* ideo adverſus eos Hilarius probavit, quod *Princeps Deus Verbum aſſumpta ſibi per ſe Carne ex Virgine, ſibi & ex ſe animam concepti per ſe corporis coaptavit:* & evacuans ſe ex Dei forma, & formam Servi accipiens, & Filius Dei etiam filius hominis naſcens ex ſe, ſuaque virtute non defecit Deus Verbum: quam proinde Dei Verbi virtutem eſſe impaſſibilem ipſius Naturam Divinam, ſive Divinitatem, atque etiam Divinam Poteſtatem, Hilarius contra Arianos, qui eam veram Chriſti Divinitatem impie inficiabantur, intellexit, ac docuit, Quare Chriſti *Corpus plagis affectum dolorem ſenſit, uti alia huma-*

(a) *Iſaia* 53.

na corpora compuncta dolent: Homo itaque Jeſus Chriſtus Unigenitus Deus paſſus eſt; at non Divina Chriſti natura impaſſibilis, ſed Humana ejus ſubſtantia paſſionibus obnoxia, quam ab illa Hilarius diſtinguit, dolores utique ſenſit. Hinc divinam Chriſti Naturam, & poteſtatem ſummam ſpectans, ait, quod ſicut *telum aut aquam perforans, aut ignem compungens, aut aera vulnerans*, vim quidem ſuam habet; ſed in eorum *naturam non infert paſſionem, cum in natura non eſt vel aquam forari, vel pungi ignem, vel aerem vulnerari: ita Corporis Chriſti virtus*, quæ eſt ejus Divinitas, *ſine ſenſu pænæ vim pænæ ſævientis excepit*. Hanc *Corporis Chriſti virtutem eſſe impaſſibilem* ejus Divinitatem Hilarius hic contra Arianos, ut probavi, tuetur: hanc ergo Divinam Chriſti Naturam *pænæ ſenſu* caruiſſe demonſtrat: hanc igitur Chriſti Divinitatem doloris ſenſu affectam eſſe inficiatur; Ac proinde Chriſti Humanitatem in Paſſione *pro nobis doluiſſe* ita confirmat, ut in ſubſequentibus apertiſſime deſcripta Chriſti Paſſione aſſeveret, *Chriſtum ſecundum hominem pro nobis infirma omnia pati, ſed ſecundum Deum in his omnibus triumphare:* quo uno diſtinctionis enunciato Hilarius omnia antecedentia complexus, & clare iterum interpretatus, Dallæi falſitates coarguit, dum liquido adſtituit, *Chriſtum ut hominem infirma omnia pati*, atque adeo Chriſti humanam Naturam omni doloris, & paſſionis ſenſu, quo *omnia infirma patitur*, affectam quidem eſſe: ſed tamen *ut Deum*, ſive ſecundum Divinitatem ſine ſenſu pænæ illa excepiſſe, quæ alio loco ita declarat, ut *in Paſſione indemutabilem Dei Naturam nulla vis injurioſe perturbationis offenderet:* ea tamen *ſuſcepta voluntarie eſt, officio quidem ſatisfactura pænali, ſed nullo pænæ ſenſu læſura patientem:* non quo Chriſti humanitatem nullo pœnæ ſenſu affecerit paſſio, quippe quæ illi *dolorem* intulit: ſed quod eadem paſſio non læſerit Chriſti Divinitatem, quæ dolorem non ſentit. Putandi igitur verbum, quo Hilarius ſecundum Iſaiam Prophetam uſus eſt, non reſpicit humanam Chriſti naturam, quaſi ea nec vere doluerit, nec vere paſſa ſit, quod falſum eſſe Hilarius oſtendit hac abſoluta ratione, quia patitur illa: ſed ea vox putandi ad Chriſti Divinitatem eo ſenſu refertur, *ne quid in impaſſibilem Dei naturam incidiſſe exiſtimetur*. Hoc Hilarius præmiſit, Iſaiæ textum enucleans: Hoc itaque voluit, ut *non Humanitas Chriſti, ſed Divina impaſſibilis ejus natura doloribus caruerit*, ſalva Idiomatum communicatione, qua *Chriſtus Dei Filius, & Homo, & Unigenitus Deus* Crucifixus, paſſus, ac mortuus prædicatur. Quid autem temeritate fortius? Nam fingit Dallæus, quod Hilarius in illo commentario Capitis XXXI. S. Matthæi conſcripſit, caliginoſæ illius noctis, in qua Dominus traditus eſt, Angores, grumaſque Sanguinis non a doloribus, aut a contemplatione Crucis, cui affigendus erat, manaſſe. Hæc vero ficta a Dallæo ſunt: nihil enim hujuſmodi in illo commentarii capite legitur: in quo ſolum ſcripſit Hilarius, Chriſtum ob diſcipulorum metum oraſſe, ne Petri fides deficeret, ac ne reliqui diſcipuli diffiderent,

ipſum-

ipſumque abnegarent. Tum de Calice Hilarius Dominum ita loquentem inducit: *quomodo a me bibitur, ita ab eis bibatur ſine ſpei diffidentia, ſine ſenſu doloris, ſine metu mortis:* quibus Hilarius voluit, uti a Domino paſſionem voluntarie ſuſceptam fuiſſe, ita ab Apoſtolis, ac reliquis diſcipulis non invitis, ſed ſine obſiſtente doloris ſenſu, aut ſine ullo voluntatis, humanæ infirmitatis, ac ſenſus obſtaculo, paſſiones firmiter ſuſcipiendas eſſe. Unde Hilarius hæc addit: „ Non ergo ut non patiantur, „ rogat, ſed ut, quod Pater vult, bi„ bendi Calicis in eos ex ſe tranſeat „ firmitudo; qui omnem in ſe corpo„ ris noſtri infirmitatem aſſumpſit, id„ eo peccata noſtra portat, & pro no„ bis dolet „. Et quid diſertius? certe Hilarius de illa *Nocte*, in qua Dominus propter peccata noſtra traditus fuerat, agens, ejuſque triſtitiam, & orationes, quas pro Apoſtolis, ac pro omnibus adhibuerat, explicans, neque a Chriſto neque ab Apoſtolis, neque a reliquis Diſcipulis Paſſionis dolorem excluſit, quia Dominum *pro* nobis doluiſſe affirmavit. Cum igitur ait, Dominum voluiſſe, ut quemadmodum ipſe, ita ejus Diſcipuli *ſine ſenſu* doloris Calicem biberent: tum Hilarius, uti proxima ipſius antecedentia declarant, id ſenſit, ut Apoſtoli *ſine Paſſionis difficultate*, ac ſic nullo obſiſtente ſenſu Martyrium voluntarie amplexi, æternam Gloriam adipiſcerentur. Neque enim Hilarius Chriſti tunc patientis dolorem, nec vera Apoſtolorum Martyria inficiatus eſt: quoniam illum *dolere*, & iſtos *pati* liquidò aſſeruit.

Atque ad hæc firmanda, & ad illud Dallæi commentum rurſus eiiciendum afferam S. Hilarii auctoritatem, qui non in commentario Capitis XXXI. S. Matthæi, uti Dallæus fingit, ſed in libro X. de Trinitate ſudorem Sanguinis Chriſti ita tractavit: „ (a) Sudorem vero nemo „ infirmitati audebit deputare, quia „ & contra naturam eſt ſudare San„ guinem: nec infirmitas eſt quod „ poteſtas non ſecundum naturæ „ conſuetudinem geſſit... Neque ad „ hæreſim infirmitatis pertinere ullo „ modo poterit, quod adverſum hæ„ reſim phantaſma eſſe mentientem „ proficiat per ſudorem Sanguinis „ ad corporis veritatem. Igitur, „ cum & triſtitia de nobis eſt, & „ oratio pro nobis eſt: non poſſunt „ non omnia propter nos geſta eſſe „ intelligi. „

Satis ergo miror Dallæum mentientem: nullibi enim Hilarius ſcripſit, & finxit, Sudorem Sanguinis Chriſti de ejus doloribus neutiquam profluxiſſe: quin etiam ſignificavit, & a Chriſti ut *Dei poteſtate non infirma, & ab ejus ut hominis triſtitia Sudorem Sanguinis permanaſſe:* quippe quia *nec poteſtatis infirmitas eſt, quod non ſecundum natura conſuetudinem geſſit:* & quoniam Chriſti non infirmam potentiam, *ejuſque corporis, ac triſtitia veritatem*, ut quæ vere *geſta ſint*, idem Sudor evicit: qui proinde ut effectus illam *poteſtatem*, iſtamque *triſtitiam* dolore haud carentem, ut cauſas probavit: a quibus proinde

a Chri-

(a) S. Hil. lib. x. de Trin pag. 350. Tom. 2.

a Chriſti ſcilicet poteſtate non infirma, & ab ejus triſtiria, & doloribus, conrra quam Dallæus comminiſcitur, ille Sanguinis Sudor efluxit.

Non igirur Hilarius, uri a Cenſore falſe ſumirur, veram Chriſti rriſtitiam, veros Chriſti dolores, veramque Paſſionis ejus hiſtoriam abo'ere viſus eſt : ſed *omnia* ejuſdem Paſſionis *geſta* aſſeverans, tradidit, *Chriſtum pro nobis dolere, quari ad Crucem, & ſe offerre tum configi clavis in Cruce pendere acetum potare; ac deputari inter iniquos, ſed Paradiſum donare, Terram tremere, Solem, ac Diem fugere: tum exire e Corpore, ſed revocare animas in Corpora; ac ſepeliri Mortuum, ſed reſurgere Vivum*: denique *ſecundum hominem pro nobis infirma omnia pati, ſed ſecundum Deum in his omnibus triumphare*. Trinmphant profecto in hiſce Chriſti Diviniras, & Humanitas, atque etiam Orario, Triſtiria, Dolor, Crux, Paſſio, Mors, ac Reſurrectio, & reliqua geſta: quorum omnium veriratem, atque Hiſtoriam Hilarius, & brevius ſcripſit, & clarius.

Idem vero Hilarius illud Pſalmi 118. Oracnlum. *Manus tua fecerunt me*, de Homine, quem Deus creavit, enucleans, & ejus Corporis, arqne Animæ crearionem ex profeſſo pertractans: *(a)* animam intelligenrem hominis eſſe incorpoream vicit his verbis: „ Primum opus non habet „ in ſe aſſumptæ aliunde alterius „ naturæ originem. Incorporale eſt „ quicquid illud tum de conſilii „ ſententia inchoatur; fit enim *ad* „ *Imaginem Dei*; non Dei imago, „ quæ Imago Dei eſt Primogenitus „ omnis Creaturæ: ſed ad Imaginem „ Dei, ideſt, ſecundum Imaginis, & „ ſimilitudinis ſpeciem. Divinum in „ eo, & incorporale condendum, „ quod ſecundum Imaginem Dei, & „ & ſimilirudinem tum fiebat; exem„ plum ſcilicet, quoddam in nobis „ imaginis Dei eſt, & ſimilitudinis „ inſtiturum. Eſt ergo in hac ratio„ nali & incorporali animæ noſtræ „ ſubſtantia primum, quod ad ima„ ginem Dei factum ſir.

Tanta, tamque perſpicua Hilarii ſententia de *incorporali animæ noſtræ ſubſtantia*, & allatis veterum Teſtimoniis omnino conſona eſt, & nos cogir, ur, quæ ex alio ejus loco afferuntur, recte interpretemur. Nam commentario in Caput V. S. Matthæi refurar Infideles, qui calumniantes quærebant, quæ *in Reſurrectione Corporum ſpecies*, quæve eorum *alimonia futura ſit*, quas Queſtiones Hilarius primum diſſoluit illo Domini ennunriaro: *nonne anima (b) pluris eſt, quam eſca?* quo ſacro teſtimonio producto Hilarius deinceps ait: „ Nihil eſt, „ quod non in ſubſtantia ſua, & „ Crearione corporeum ſit .... Nam „ & Animarum ſpecies ſive obtinen„ tium corpora, ſive Corporibus exu„ lanrium, corpoream ramen naturæ „ ſuæ ſubſtantiam ſortiuntur, quia „ omne quod creatum eſt in aliquo „ ſit neceſſe eſt. Arque ideo ineptiam „ inutiliſſimæ quæſtionis Deus ar„ guens, non patirur, anima, & Cor„ pore

(b) *S. Hilar. Tract: in Pſal. 118. litt. X. num. 7.*

(b) *S. Hilar. Comment. in Cap. V. S. Matth. num. VIII.*

„ pore in æternitatis ſubſtantia col-
„ locandis, ſpem noſtram futuri in
„ reſurrectione cibi, & veſtitus ſol-
„ licitudine demorari: ne tanto præ-
„ tioſa redempti, corpus ſcilicet, at-
„ que animam contumelia in non ef-
„ ficiendis levioribus inferatur.

Ac poſtea de Baptiſmo, & de hominis corpore, & anima locutus hæc adjecit: „ Et (a) quia corpus ip-
„ ſum per Fidem mortificatum, in
„ naturam animæ, quæ ex afflatu
„ Dei, venit, quamvis id ipſum ad-
„ huc in materia ſua extet, evadat,
„ quia communio ipſis invicem con-
„ cilietur ex verbo: id circo jam
„ unum, atque idem cum anima
„ velle cæpit effici, ſcilicet ut illa
„ eſt ſpiritalis.

Miror itaque Dallæum iterum fingere, quod Hilarius de Chriſti paſſione agens, ejus Carnem in Spiritum transformarit.... Atqui ut ſupra retulimus, Hilarius contrarium aſſeruit, teſtatus, quod verbum *carnem ex Virgine, & intra Virginem aſſumens, Carni animam tribuit, & in paſſione animæ, & corporis dolores ſenſit, atque inclinato capite ita tradidit ſpiritum, ut non diſſoluto corpore Spiritus per ſe exhalans effluxerit*: non ergo Chriſti corpus mutatum fuit in Spiritum; et quia Chriſtus *Animæ, & Corporis diſtinctorum ſenſit dolores*, & quoniam in morte non Chriſti Corpus, ſed *Spiritus per ſe* exhalans effluxit.

Jam Hilarius ſicut Chriſti carnem non transformavit in Spiritum; ita Animas noſtras in corpora non immutavit. Primum enim intelligentem hominis animam incorporalem eſſe ex profeſſo probavit. Deinceps in objecto loco ſatis oſtendit ab infidelibus, quos exagitabat animas inepte pronunciatas fuiſſe corporeas; quorum ineptias non perſpicit nemo. Nam ineptum eſt ponere duas *animarum ſpecies*, unam *obtinentium corpora*, alteram *corporibus exulantium*: quas ſpecies, cum una ſit ſpecies animarum ſive corpora obtinentium, ſive a corporibus ſeparatarum; Hilarius ſuo conſequenti ſtatim adiuncto, atque connexo *ineptiæ arguit*, ideoque *illas animarum ſpecies eſſe corporeas* haud quaquam admiſit, utpote quas *inepte* afferri protulerit. Unde *animam, & Corpus* in eodem conſequenti diſtincte poſuit, eaque poſtea in *æternitate* eſſe *collocanda* ſubiunxit: quæ cum ſignificent, animam, & corpus in aliquo loco finito deinde manſura: non tamen innuunt, Hilarium approbaſſe, quod ille animarum corporearum ſint ſpecies. Ineptiæ enim ad id, quod per ſeſe ineptum eſt, referuntur. Ineptum autem eſt, non quod animæ in aliquo loco exiſtant, ſed quod earum duæ illæ ſpecies corporeæ reperiantur. Hoc igitur ſolum Hilarius *ineptiæ arguit*, & reiicit: qui quidem in ultimo loco ait, hominis baptizati *corpus Fide mortificatum in naturam animæ evadere*: ſed tamen huic dicto hanc exceptionem appoſuit, *quod Corpus in ſua materia extſtet, & anima ſit Spiritalis*. Noluit igitur, corpus in animæ naturam mutari, ſed *ipſis invicem communionem ex verbo ita conciliari*, ut & Corpus ba-

(b) *S. Hilar. Commentario in Cap. X. Matth. num.* 24.

baptiſmatis *gratia*, *& Fide mortificetur*, & corpus cum anima, aut potius anima cum Corpore ſpiritalia *velle* incipiat, habita tamen ea ratione, qua corpus utpote *materia* conſtans ab anima incorporea; & ſpiritali Hilarius adeo diſtinxit, ut hanc in illud, quod in *materia ſua extat*, mutari non poſſe cenſuerit.

Sed ipſe Hilarius poſtquam explicuit ſacrum illud Davidis pronuntiatum, *(a) accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus:* ſtatim de Baptiſmo hæc addidit: „ Quis non
„ renaſci in innocentiam volet cum
„ peccati remiſſionem Sacramentum
„ novæ Nativitatis indulgeat.

Subinde idem Sanctus expendens illa ejuſdem Davidis verba, *Vivam, & cuſtodiam ſermones tuos*, & alia etiam ſubſequentia ipſius Prophetæ (*b*) dicta interpretans ait: „ Si quis
„ exiſtimet ſibi in Sacramento Ba-
„ ptiſmi perfectam illam innocentiæ,
„ & cœleſti vita dignam redditam
„ puritatem: Johannem Baptiſtam
„ dixiſſe recolat, (*c*) *Ego quidem ba-*
„ *ptizo vos in aqua penitentiæ; qui*
„ *autem poſt me veniet, fortior me*
„ *eſt: ipſe vos baptizabit in Spiritu*
„ *Sancto, & igni*: ipſum autem Do-
„ minum Baptizatum a Joanne, cum
„ adhuc eſſet in corpore; meminerit
„ locutum, *adhuc habeo alio Baptiſ-*
„ *mo baptizari*. Eſt ergo quantum
„ licet exiſtimare perfectæ illius em-
„ mundatio puritatis etiam poſt Ba
„ ptiſmi aquas repoſita: quæ nos
„ Sancti Spiritus ſignificet adventu,
„ qui Judicii igni nos decoquat,
„ quæ per mortis injuriam a labe
„ morticinæ & ſocietate purgabit,
„ quæ Martyrii paſſione devota, ac
„ fideli ſanguine abluet: & idcirco
„ Sanctus Propheta victurum ſe di-
„ cit.... An cum ex (*d*) omni otio-
„ ſo verbo rationem ſimus præſtitu-
„ ri; Diem Judicii concupiſcemus, in
„ quo nobis eſt indefeſſus ignis ſub-
„ eundus, in quo ſubeunda ſunt
„ gravia illa, expiandæ a peccatis
„ animæ ſupplicia. Beatæ Mariæ A-
„ nimam gladius pertranſivit, ut
„ revelentur multorum cordium co-
„ gitationes. Si in judicii ſeverita-
„ tem capax illa Dei Virgo ventura
„ eſt: deſiderare quis audebit a Deo
„ judicari.... Tenuit itaque Pro-
„ pheta humanæ, & naturæ, & con-
„ ſcientiæ modum dicens: *concupivit*
„ *anima mea, ut deſiderem judicia*
„ *tua in omni tempore*. Non enim
„ judicium deſiderat, ſed ut deſide-
„ raret concupiſcit. Deſiderii enim
„ cupiditas, non judicii continebat.
„ Concupiſcit enim deſiderare, ſci-
„ licet ut in tanta innocentia ma-
„ neat, ut tuto jam, & ſine me-
„ tuendi judicii terrore deſideret:
„ rem ipſam nondum per conſcien-
„ tiam humanæ conditionis deſiderans,
„ ſed ejus deſiderium, & conſcien-
„ tia perfecte ut proveniat, inno-
„ centiæ concupiſcens. Scit verò con-
„ tinentem, & indefeſſam deſiderii
„ hujus concupiſcentiam eſſe opor-
„ tere: atque ideo adjecit *in omni*
„ *tempore*, nullum ſcilicet docens
„ otium nobis eſſe debere, quin
„ ſemper deſiderii hujus cupiditate
„ teneamur.

Er-

(a) *S. Hilar. Tractat. in Pſal.* 63. *num. XI.*

(b) *S. Hilar. Tract. in Pſal.* 118. *num. V.*
(c) *Matt.* 3. (d) *Ibid. num.* 12. *& ſeque.*

Ergo Baptiſmum ab omni peccato haud mundare, Hilarius non cenſuit; quippe qui id affirmavit, *quod Sacramentum novæ nativitatis eam peccati remiſſionem indulgeat, ut Baptizatus homo ad Innocentiam, quæ culparum omnium emundationem præfefert, renaſcatur.* Cum autem concupiſcentia e delicto primi hominis exorta, quæ tamen peccatum non eſt, ſed ad peccandum impellit, baptiſmo non auferatur, ſed in Baptizatis maneat, atque ab impuris culpis Dei gratia nos liberet: id circo Hilarius docuit, exiſtimandum non eſſe, *innocentiam incorruptam, ſive perfectam, quæ cæleſti vita digna eſt*, & concupiſcentia caret per Baptiſmum conferri. Hocce Hilarii antecedente minus bene perſpecto Dallæus falſo ſuppoſuit, Hilarium ſenſiſſe, quod Baptiſmus ab omni peccato nos eò minime emundet, quia *perfecta illius emmundatio puritatis etiam poſt Baptiſmi aquas repoſita eſt*. Atqui hæc verba Hilarius primum retulit ad illam *perfectam innocentiam, & cæleſti vita dignam*, quæ videlicet in Cœlis & concupiſcentia vacat, & omni labe peccati. Non ergo Hilarius putavit, Baptiſmum omni culpa non emundare: ſed id ex Scriptura, & Patribus tradidit, poſt Baptiſmum manere concupiſcentiam, quæ non peccatum, ſed peccati Originalis labes eſt, & ad peccandum inducit: qua tamen *caret cæleſtis, & perfecta innocentia.*

Deinde cum *Spiritus Sancti adventu illam emmundationem* Hilarius ita conjunxit, ut eliminaret falſam aliam Dallæi ſuppoſitionem, qua is dicit, Hilarium cenſuiſſe, poſtremo die omnibus tranſeundum eſſe per ignem: quæ Dallæus falſe appingit Hilario, qui ſtatim illis verbis adjecit, *quod Spiritus Sanctus judicii igne*, in quo ſcilicet Apoſtolis apparuerat, *nos ſignet, & decoquat, a labe morticina purgabit, ac martyrii paſſione devota, ac fideli ſanguine abluet*. Hanc ergo purgationem poſtremo die omnibus ſubeundam per ignem, Dallæus falſo ſumit: Cum primum Hilarius non de ultimo die, *ſed de Spiritus Sancti adventu locutus ſit; qui Judicii igne nos decoquit, atque confirmat*, ita ut Baptizatos Fideles ad Fidem ſervandam, & defendendam firmos efficiat, utque *Martyrii paſſione*, atque etiam *ſanguine abluat*. *Martyrii* autem *paſſionem* ſubeunt viventes ortodoxi. Hic igitur Hilarius non de mortuis Fidelibus penitentibus, quibus aliquid luendum ſupereſt; nec de poſtremo judicii die; ſed de vivis Catholicis, qui *Martyria* vel paſſi ſunt, vel patientur, liquido egit; ac proinde omnibus mortuis tranſeundum eſſe poſtremo die per ignem, neutiquam cenſuit. Cum itaque dixit, quod *Beata Maria Animam gladius pertranſivit, & in judicii ſeveritatem capax illa Dei Virgo ventura eſt*: id intellexit de illo *judicii igne, quo Spiritus Sanctus eam decoquens*, ipſam ad obeundum *Martyrium, interius* propter Filii Paſſionem, ac Mortem adduxit. Hanc enim *Martyrii Paſſionem* devotam a fideli Sanguine, qui a Fidelibus Martyribus funditur, Hilarius haud obſcure diſtinxit: Hanc ipſam Spiritus Sancti *judicio* & igne, ſive Charitate ſubeundam præmiſit: in hanc ergo interiorem paſſionem, quæ do-

lore animi, & Martyrii rigore non caruit, ex Simeonis Prophetia *Beatam Dei Virginem* ac Matrem *venturam* Hilarius voluit, eamque a Dei Matre in Chriſti paſſione ſuſceptam fuiſſe diſerte innuit eo præterito verbo, quod *Beata Maria Animam gladius pertranſivit, ut revelentur multorum cordium cogitationes*. Quæ *multa corda* Hilarius *a Beatæ Mariæ anima* aperte ſecluſit; quæ proinde nulla levia, ſive *cogitationum*, ſive *otioſi verbi peccata*, in quæ multi alii vel lapſi ſunt, vel labuntur, ob *idque iis ignis ſupplicia ſubennda ſunt*, dubio procul admiſit; *ideoque in tanta innocentia manſit, ut tuto jam, & ſine metuendi judicii terrore Dei judicia deſideraret*. Non igitur Beatæ Dei Genitrici, nec omnibus, ſed *multis* iis, qui purgandum aliquid habent, *gravia ignis purgantis ſupplicia ſubeunda eſſe*, Hilarius ſignificavit.

Exinde Dallæus Origenis hæreſim, quam ſupra retulimus, minus bene interpretatus, & commentarium in Iſaiam S. Baſilio magno ſuppoſitum intuitus, perperam objicit S. Baſilium magnum ab Origenis dogmate de Purgatorio igne minime abhorruiſſe: in qua oppoſitione Dallæus primitus peccat, cum ſententia de igne purgante, quo ſcilicet mortuorum quorumdam Fidelium Pænitentium animæ expiantur, certiſſimum Apoſtolicæ Eccleſiæ, & Patrum ſit dogma. Origenes autem erravit in eo, quo aſſerebat, Diaboli, & impiorum hominum penas æternas non eſſe. Quos tamen Deus æterno igni æternum addixit. Dehinc Dallæus etiam peccat, adducens commentarium in Iſaiam uti genuinum S. Baſilii Cæſareenſis Epiſcopi opus; quod tamen ab eo ſcriptum non eſſe probant illius commentarii phraſis, interpretandi modus, & ſtylus, qui a S. Baſilii phraſi, ſtylo, & enucleandæ ſcripturæ modo, quem S. Baſilius in ſuis legitimis commentariis, & operibus tenuit, maxime differunt. Denique Dallæus illius commentarii Auctori falſo attribuit errorem Origenis, qui adſtruxit Homines in impietate mortuos non æternis ignis pænis puniri, ſed igne purgari. Quam Hæreſim auctor ille ſecutus non eſt; qui cum illa Iſaiæ Prophetæ dicta ennuclearet, (a) *abluet Dominus ſorder filiorum, & Filiarum Syon, & Sanguinem Hieruſalem purgabit ex medio eorum in Spiritu judicii, & in ſpiritu combuſtionis*: tum hæc verba fecit: „ Admiſſa per ignorantiam peccata „ cum ſint veluti ſordes quedam, „ quæ animæ ſuperficiem corrumpunt ejuſque nativam deformant „ pulchritudinem, expurgatione, quæ „ per lavationem acceſſura ſit, indigent: quæ verò ad mortem ducunt „ peccata eorum, qui poſt acceptam „ cognitionem voluntarie delinquunt, „ Sanguis vocantur, ac uſtionis judicio egent. „ Dallæus ergo dolos ſibi comparat, ajens, auctorem illum philoſophari, eos, qui ad mortem voluntarie peccant, igne purgari. Hæc autem Dallæi peccata ſunt atque mendacia. Ille enim auctor ſcripſit, *admiſſa per ignorantiam peccata expurgatione, quæ per lavationem acceſſura ſit, indigere*: eos vero qui *peccata* gra-

(a) *Auctor comment. in Iſaja cap. IV. pag.* 475. *Tom.* 1. *S. Baſilii*.

gravia *ad mortem* ducentia admittunt, & *voluntarie delinquunt*, *egere uſtionis judicio*. Non igitur impios iſtos, qui *ad Mortem* uſque voluntarie peccant, purgari, ſed ſempiterna *uſtione* puniri debere, ille ſcriptor edocuit; cujus verba aliter, ac cenſor obloquitur, explananda ideo ſunt; quia Scriptor ille *expurgationem*, quæ per *lavationem*, ac non adeo per ignem, in Judæa fiebat, ab *uſtione* clare ſecernens: illam *ignorantiæ* culpis, & iſtam *peccatis*, quæ ad *mortem* ducunt, attribuit: ac proinde gravia iſta peccata, in quibus moritur impius, non expurgatione, ſed uſtione æterna puniri præmonuit adverſus errantem Origenem.

Non ergo ille ſcriptor, nec Baſilius, neque etiam Gregorius Nanzianzenus Origenis erroribus ducti fuere: qui duo Sancti ex Origenis quidem commentariis Philocaliam elaborarunt; & ea, quæ errore carebant, approbarunt: veruntamen Origeni, ut Dallæus falſo arguatur, multum non tribuerunt: quoniam S. Baſilius (a) advertit, quod ipſe Origenes *non ſanas habet in omnibus de Spiritu opiniones*.

Ac S. Gregorius Nanzianzenus ignem purgantem a ſempiterno ſupplicio, quod Origenes inficiabatur, diſtinxit; dum in Oratione 39, & 40. egit tum precipue de Sacramento Baptiſmi, tum quadamtenus de Sacramento Penitentiæ: & de Novatianis hæc protulit: „ (b) Hi quidem „ noſtra ſi velint, atque adeo Chriſti „ via, ſin minus, ſua inſiſtant, in „ altero ævo igne fortaſſe baptizabuntur, „ qui poſtremus eſt Baptiſmus, nec ſolum acerbior, ſed diuturnior, „ qui craſſam materiam inſtar fæni depaſcitur, vitiique omnis levitatem abſumit.... Ne (c) „ peccatum tuum confiteri grave ducas, ſciens quo pacto Johannes baptizaverit, „ ut per hujus vitæ pudorem futuri ſæculi pudorem, „ ignominiamque fugias. Nam hæc „ quoque ſempiterni illius ſupplicii „ pars eſt.... Ignem purgantem novi.... „ Eſt alter ignis non purgans, „ ſed ſcelerum vindex, ſive ſodomiticus ille, „ quem ſulphure, & procella permixtum Deus in Peccatores „ omnes fundit: ſive ille, qui „ Diabolo, ejuſque Angelis paratus „ eſt: ſive etiam ille, qui ante faciem „ Domini procedit, & in circuitu „ inimicos inflamat: ſive denique „ ille omnibus his formidabilior, „ qui cum in ſomni illo verme conjunctus „ eſt; nec unquam extinguitur; „ verum in ſceleratorum hominum „ pænam perennis eſt & ſempiternus. „ Hi enim omnes eam vim „ habent, ut perdant, ac deleant: „ niſi tamen hoc quoque loco quiſpiam „ ignem mitius, atque ut Deo „ vindice dignum eſt, intelligendum „ putet.

Atque ut auctoritatem repetam ab iis ultimis verbis, quæ ſola Dallæus callide profert, dimiſſis antecedentibus inter ſeſe aptis, & colligatis: afferre neceſſe eſt argumentum ex connexis prioribus, quibus Gregorius *purgantem ignem ab altero non*

(a) *S. Baſil. lib. 1. de Spirit. Sancto cap. 29.*
(b) *S. Greg. Nanzianz. Orat. 39. Tom. 2. Pag. 633.*
(c) *Ibid. Orat. 40. Pag. 653.*

purgante, ſed ſcelerum vindice ita ſecrevit, ut ab eo iſte alter ignis non purgans in ſceleratorum hominum pænam ſempiternus monſtretur: quæ demonſtratio laudati S. Juſtini, Tertulliani, Minutii Felicis, ac reliquorum veterum traditioni reſpondens, & Origenis hæreſim, & Dallæum ab illo Gregorii antecedente aberrantem refellit. Etſi autem Nanzianzenus ſubiunxit, ignem illum *Mitius* atque ut Deò vindice dignum eſt, cruciare: nihilo ſecius cenſor non vidit, id ad pænæ intenſionem, non ad pænæ æternitatem, a S. Gregorio referri. Cum enim ſecundum Patrum ac Theologorum ſententiam Deus quidem æterna ignis pæna reprobos puniat, ſed citrà dignum, hoc eſt, citra maximam, aut majorem cruciatus intenſionem, quam reprobi ipſi merentur: id circo pænam illam *mitiorem intelligendam* eſſe, Gregorius dixit; quo tamen dicto nec leviter adumbravit Origenis hæreſim; quippe quæ non in neganda majori, aut minori pænæ ignis intenſione, uti Dallæus falſo ſupponit, ſed in inficianda ſupplicii ignis æternitate conſiſtebat; quod tamen *ſupplicium æternum, immo ignem ſempiternum in ſceleratorum hominum pænam ſtatutum eſſe*, Gregorius in ſuis proximis antecedèntibus prædicans, illius pænæ minori intenſione non exhibet hæreſis, quam Origenis invexit, veſtigia; ſed iſta *ſupplicii æterni* documentis protinus delet.

Cumque Dallæus ad hæc dicta, quæ Gregorius in oratione quadrageſima ſcripſit, illud referendum affirmet, quod in præcedenti Oratione de Novatianis dixit idem Gregorius: tum nos id dictum ad ea retulimus, & utriuſque orationis textus aliquos ita colligavimus, ut alii ex aliis nexi videantur: quibus cenſor ipſe depellitur: qui dum artificium modo hoc, modo illud effingit; Et priorem dubitationis partem particulamque *fortaſſis* prætermittit, ac de ſuo addit, quod Gregorius protulerit „ Novatianos, ſi in ſchiſmate perſeverarent ſine reſipiſcentia, baptizatum iri igne: „ quorum verborum majorem partem cenſor affingit eidem Gregorio; qui non illo modo, ſed iſto, qui etiam in Græco ejus textu legitur, locutus eſt de Novatianis: *Hi quidem noſtra, ſi velint, atque adeo Chriſti via, ſin minus, ſua inſiſtant; in altero ævo igne fortaſſe baptizabuntur:* quæ *ambigendi* ratio Novatianorum purgationem per ignem atque adeo æternam ſalutem ponit in dubio, quod primam illam propoſitæ hypotheſis, aut dubitationis partem, *ſi velint*, ac partem aliam poſteriorem, *ſin minus*, utique reſpicit: in quò dubio ſtatu Novatianos Gregorius ponens, atque reſpiciens; incertam eorum converſionem, incertamque ipſorum Perſeverantiam in Schiſmate ſibi propoſuit; Ideoque noluit, Novatianos, ſi in Schiſmate perſeverarent abſque reſipiſcentia, baptizatum, aut igne purgatum iri; ſed vel eorum converſionem, vel eorum perſeverantiam in Schiſmate, & inde purgationem per ignem diuturniorem vocavit in dubium; quippe quia ipſi Gregorio incerta erat Novatianorum penitentia. Non igitur impenitentibus pænas *diuturniores* quidem, non tamen æternas Gregorius denuntiavit; ut potè qui ob dubiam Novatianorum pænitentiam in dubitatione poſue-

fuerit eorumdem purgationem per ignem. Quin etiam idem ſanctus æternum ſupplicium impænitenti ita ſignificavit: *ne peccatum tuum confiteri grave ducas, ut futuri ſæculi ignominiam fugias. Nam hæc quoque ſempiterni ſupplicii pars eſt. Qui igitur peccatum ſuum confiteri, grave ducunt, atque adeo impænitentes ſunt: iis, niſi reſipiſcant, ſempiternum ignis non purgantis, ſed Vindicis ſupplicium paratum eſſe*, Gregorius monſtravit.

Nec vero in eod.m illo Origenis errore verſatus eſt S. Gregorius Nyſſenus, *qui ignem Inferni non poſſe extingui*, atque adeo æternum eſſe prædocuit adverſus Origenem, & in eos adultos, qui differebant Baptiſma. Unde illius qui abſque B priſmo decedit, animam, Niſſenus *(a)* dixit: „ Fruſtra deflentem, & inutiliter pænitentem, non ſecus, atque divitem, qui induebatur purpura, & byſſo, quemque lautus, ac delicatus omnis generis cibus alebat, „ materiam ignis, qui non poteſt „ extingui.

At contra hoc alia tria Nyſſeni loca ex oratione Cathechetica, atque ex libro de anima, & ex libro de perfecta Vita afferuntur: quæ tamen ab Hæreticis Origeniſtis depravata fuiſſe, Photius ex S. Germani Conſtantinopolitani Archiepiſcopi ſcriptis oſtendit, ac de iſto ille hæc affirmat: „ *(b)* Contendit verò Gregorium Nyſſæ Epiſcopum, ejuſque „ ſcripta ab Origenis errore eſſe immunia. Etenim quibus delirium „ illud placet, Demonibus, & Hominibus in æternam pænam conjectis liberationem inde expectandam: illi quod virum Doctrina ſingularem, & eloquentia inſignem, „ eum agnoſcerent, claramque Sanctitatis exiſtimationem per omnium ora decantatam viderent, aggreſſi ſunt, claris, & ſalutaribus „ ejus ſcriptis obſcura, ac perniicioſa origeniani ſomnii Venena admiſcere, virtutique hominis, & „ Doctrinæ celebri Hæreticam occultè amentiam ſubiicere.... Quare „ partim additamentis falſis, partim „ rectis argumentis violenter detortis, multa ex irreprehenſibilibus „ ejus monumentis calumniari conati ſunt contra quos Germanus pietatis Patronus acutum veritatis gladium ſtringens, & vulnere proſtratos hoſtes relinquens, Victorem, „ ſuperioremque eum conſtituit; in „ quem Hæretica colluvies inſidias „ ſtruxerat, & poſuerat.... Et ut „ breviter dicam; omnia hujus Sancti Patris ſcripta ab omni Hæretica „ pravitate, & calumnia, quæ in „ impietatem vergit, immunia eſſe „ declarat. Hæc porro immanitas, „ & improbitatis refutatio, & ex „ antecedentibus loci depravati, & „ ex conſequentibus conficitur, & „ demonſtratur ex aliis ſexcentis Beati Gregorii Niſſeni libris, qui orthodoxe, & legitime ſentiunt, recte excutiens, ut nemo melius in „ ſalutares preces, ac laudes Dei laborem finiit. Libri autem, quos „ inſidiis excipere Hæretici moliti „ ſunt, & quos Germanus veritatis „ pro-

(a) *S. Greg. Nyſſen. Orat. in eos, qui differunt Baptiſma Tom. 1.*

(b) *Photius in BB. Cod. 233.*

„ propugnator primarius ab latronum inſultu ſine noxa ſervavit, „ ſunt Dialogus ad Macrinam Sororem de Anima, & liber Cathecheticus, & ille, qui de perfecta vita „ rationem continet.

Quid hiſce Propugnatoribus abeſſe poterit de maxima earum rerum ſcientia? Et tamen Dallæus antiquior, quam Germanus; Doctior, quam Photius; Audacior, quam Origenianus Hæreticus; tum *celebrem* S. Gregorii Nyſſeni *doctrinam*, tum Germani, ac Photii criticen temere calumniatur: quod & illos tres Nyſſeni libros ab Hæreticis violatos fuiſſe ariolatur Germanus: & hoc ſit ultimum eorum effugium, qui ſibi perſuadent, nihil, quod a preſenti fide alienum ſit, a veteribus ſcriptum eſſe. Atqui Dallæus ipſe ariolatur haud comprehenſo Photii judicio: quo primitus is declaravit, tres illos Nyſſeni libros *legitime* ab errore *immunes* a S. Germano & defenſos eſſe & cuſtoditos. Ergo Dallæus falſiſſime ſumit, eundem Germanum conceſiſſe, omnes trium illorum librorum codices ab Hæreticis vitiatos fuiſſe: quam ſuppoſitionem falſitatis Photius arguit, conteſtatus, quod *illos tres libros, qui orthodoxe, & legitime ſentiunt Germanus veritatis propugnator primarius ab latronum inſultu ſine noxa ſervavit*; Qui proinde haud conceſſit, omnes eorum trium librorum Codices a latronibus Hæreticis depravatos fuiſſe: quippe qui ab eorumdem *latronum inſultu*, quo aliquot ipſorum librorum volumina depravarunt, ſuum legitimum codicem *ſine noxa*, atque adeo ſine ulla hæreſis labe *ſervarat*... Quare oppoſitionem, qua aliqui in iiſdem tribus libris errores ineſſe contendebant, Germanus non effugit, neve dumtaxat fugiendo reſpondit, ab Hæreticis vitiata eſſe tria illa volumina: Sed ex eo, quod ſuus illorum trium librorum codex primarius *ſine noxa* eſſet, demonſtravit, prima eorumdem operum *ſcripta prorſus ab Origenis errore eſſe immunia*. Hinc miſerius Dallæi pertinacia quid dicere poſſumus? ipſe enim inconſulte pertendit, effugium fuiſſe illam Germani defenſionem: quæ tamen effugium non eſt, ſed veritatis demonſtratio, Photio clamitante, qui & illum trium Nyſſeni librorum Codicem *ſine noxa* a Germano *ſervatum* teſtatur, & iſta ratione, quam declaravimus, Nyſſenum ab Origenis hæreſi *immunem demonſtrari* confirmat. Quò circa nos & concilium generale ſextum, in quò Monothelitæ quædam Patrum opera depravata exhibebant, & Photium ſequentes, aſſerimus, a quibuſdam veteribus, quorum aliquos codices (a) violatos ſupra Dallæus obiecit, errores, qui ab Apoſtolica fide præſenti omnino abhorrent, cò ſcriptos non eſſe, quia in legitimis ipſorum Patrum codicibus minime inveniuntur. Ex quò illud efficitur, ab audaci, & impudenti Dallæo pertinaciæ inconſultò nos argui, cum ipſe in hæreſi pertinax, & petulans minime agnoverit, in *legitimo* illo trium Nyſſeni operum codice, quem Germanus *ſine noxa*, atque adeo *ab latronum Hæreticorum inſultu* neutiquam corruptum *ſervavit*, errores de-

(a) *Vide Diſſertationem 2.*

deprehenſos non eſſe: quod cum effugium non fuerit, ſed demonſtratio: tum nos minime effugimus, uti Dallæus blaterat, ſed demonſtramus, in plerìſque legitimis veterum ſcriptis errores, qui ab Hæreticis inſiti ſint, haudquaquam ineſſe.

Hic advertendum cenſeo, unum, vel alterum fuiſſe codicem illum a S. Germano ſervatum: quo ſubinde facile deperdito plures illorum trium librorum codices ab Hæreticis viriati remanſerunt: ex quibus libris proinde nulla argumenta S. Gregorii Nyſſeni Doctrinæ contraria elici queunt, quia iidem tres libri additamentis falſis, quæ Photius adnotat, conſtant.

Sed Dallæus contendit, primum in ea genuina Nyſſeni homilia ad Sacrum illud Pauli Apoſtoli dictum, (a) *tunc ipſe Filius ſubiicietur Patri*, contineri totius dogmatis Origeniani Myſterium. Cur iſtud Dallæus nequaquam edifferit? Nempe quia argumenti ſui exitum explicare non poteſt: id circo confugit ad occultum Myſterium: quod tamen ex Origenis ſcriptis, de quibus, ac de illa Nyſſeni homilia poſtmodum ſuo loco dicemus, colligitur, atque enodatur; quorum in nonnullis ille Filii Dei Divinitatem tuitus eſt: in aliis vero de Filio Dei minus recte ſenſit. Videat nunc, qui volet, totam illam (b) Nyſſeni homiliam; in qua is Sanctus de Chriſto Dei Filio recta docens, ubique affirmavit, illam ſubiectionem a Paulo Apoſtolo impropriè ſumi, ac non de ſtatu ſervitutis, quam Origenes aliquando errans obtruſerat, ſed de immortalitatis, ac Beatitudinis regno, quò Chriſti Humana natura potitur, intelligi debere, & explicari. Ecce ſolius Apoſtoli Myſterium a S. Gregorio Nyſſeno bene enucleatum contra quædam prava Origenis ſenſa, quæ Dallæus Myſteria perperam vocat.

Neque etiam Origenem errantem in explicandis arboribus Paradiſi terreſtris S. Gregorius Nyſſenus ſecutus eſt: quippe qui ſacras ſcripturas ſenſu, & ſpiritali, & Hiſtorico enucleandas eſſe ita propoſuit:
„ Apoſtolus (c) legem dicens eſſe
„ ſpiritualem; legis nomine com-
„ prehendit etiam Hiſtoricas narra-
„ tiones: adeo ut univerſa a Deo
„ inſpirata ſcriptura ſit lex iis, qui
„ ipſam legunt, non ſolum per
„ præcepta, ſed etiam per hiſtoricas
„ narrationes erudiens & ad cogni-
„ tionem Myſteriorum, & ad ſince-
„ ram vitæ inſtitutionem eos, qui
„ ad ſcientiam accomodate audiunt.
„ Utitur quidem expoſitione, ut ſibi
„ placet, aſpiciens ad id quod eſt
„ utile, non curat autem, quò no-
„ mine ſit vocandum genus expoſi-
„ tionis. Sed nunc quidem dicit, ſe
„ mutare vocem, traducturus Hiſto-
„ riam ad indicandam Teſtamento-
„ rum (d) diſpoſitionem: deinde
„ mentionem faciens duorum Filio-
„ rum Abrahæ, qui ei nati ſunt ex
„ Ancilla, & libera, appellat allego-
„ riam.

(a) 1. *Ad Corr.* 15.

(b) *Nota. Hæc Homilia extat initio Tomi 2. Operum S. Gregorii Nyſſeni.*

(c) *S. Greg. Nyſſ. in Proœmio comm. in cantic. pag.* 469. *Tom.* 1.

(d) *Ad Gal.* 4.

,, riam de iis contemplationem ....
,, quæ omnia, & quæcumque ſunt
,, ejuſmodi nos adhortaurur, ut Di-
,, vinas ſcrutemur ſcripturas, & at-
,, tendamus lectioni, & omni ratio-
,, ne inveſtigemus, ſicubi aliqua in-
,, veniatur rario ſublimior ea, quæ
,, eſt in prompru, deducens cogita-
,, tionem ad res magis Divinas, &
,, incorporeas. Hac de cauſa quod
,, in eſu ligui eſt prohibitum, ne-
,, que ficum eſſe credimus, ut non-
,, nulli pronuntiarunt, neque ali-
,, quam ex frugiferis arboribus. Si
,, enim tunc ficus fuiſſet lethifera,
,, nec nunc quidem eſſet omnino
,, eſculenra. Simul eriam hoc quo-
,, que didicimus a Voce Domini,
,, quæ hoc decretum pronunriar, ni-
,, hil *(a)* eſt eorum, quæ per os in-
,, grediunrur, quod inquinet homi-
,, nem. Sed in hac lege aliam que-
,, rimus intelligenriam, quæ legiſla-
,, toris digna ſit Majeſtate.... Et ſi
,, audierimus Paradiſum eſſe opus
,, Dei Plantarionis, & ſi Lignum *(b)*
,, Vitæ plantatum in medio Para-
,, diſi: quærimus ex eo, qui occul-
,, ra revelar Myſteria, ur diſcamus
,, quorumnam Agricola, & Plantaror
,, fuerir Pater, & quemadmodum
,, fieri poſſir, ut in medio Paradiſi
,, ſinr duo ligna, alterum Saluris,
,, alterum interirus: non quod per
,, fecte eſt medium, tanquam in
,, deſcriptione circuli omnino uuum
,, eſt uno centro. Si autem in cen-
,, tro extenſum fuerit ex altera par-
,, te alterum Centrum: neceſſe eſt
,, omnino, ut cum Cenrro ſimul
,, rransferatur Circulus; adeo ut
,, non ſit amplius medium id, quod
,, erar prius.... Cum ergo illic ſit
,, unus Paradiſus; quo pacto dicit
,, ſcriptura, ſeorſum quidem conſi-
,, derari urrumque lignum; in me-
,, dio autem eſſe & hoc, & illud,
,, quorum id, quod lerhiferum erat,
,, a Dei plantarione fuiſſe alienum
,, docet is Scripturæ locus, qui om-
,, nia Dei opera valde bona eſſe de-
,, clarat? in quibus niſi per philo-
,, ſophiam veritatem fueris contem-
,, platus; videbitur id, quod dici-
,, rur, eſſe fabuloſum, aut non poſ-
,, ſe conſiſtere, hominibus non ſatis
,, conſiderantibus.

Non ſaris igitur Dallæus iſta conſiderans; S. Gregorio Nyſſeno Origenis errores immerito affingit. Nam terreſtris Paradiſi locum, qui a Moyſe deſcribitur, in terris non eſſe Origenes hæreſi affirmavit; a qua hæreſi Nyſſenus abhorrens, *(d)* liquido dixit, *quod illic ſit Paradiſus*, ubi erant *Arbores Hiſtorica narratione* ſacra deſcriptæ; ex quarum aliqua fructum ne primi Parentes ederent, Deus prohibuir, mortem illis, ſi ex eo comederent, comminatus: ex quo Nyſſenus colligit, arborem illam per ſe ſe *lethiferam* non fuiſſe; ſed ex violatione Divini præcepti mortem obortam eſſe; quia ſcilicer per unum hominem *peccatum intravit in mundum*, & per *peccatum mors (e)* Apoſtolo teſte: quare cum Origenes etiam veras terreſtris Paradiſi arbores errore negaverit: eas tamen, ac præcipue *lignum*, cujus eſus, ſive ejus fru-

(a) *Ad Gal.* 4. (b) *Matth.* 19.
(c) *Gen.* 2.

(d) *Videſis S. Epiphanii Anchoratum num.* 64. (e) *Ad Rom.* 1.

fructus comeſtio vetita fuerat, Nyſſenus aſſeruit, utpotè qui idem lignum in eorum numero, quæ Deus *valde bona* creavit, dubio procul habuerit. Quocirca hæc duo Nyſſenus diſtinxit, & *eſum ligni* vetitum, & quod in ejus *eſu probibitum* eſt; quoniam ſcilicet Deus eſum ligni vetans, ſimul prohibuit præcepri ſui maximi violationem; quæ quamvis corporis ſenſibus ab Adam effecta fuerit: nihilominus ſpiritalis extitit; quia profecta eſt ab ejus animæ ſpiritalis conſenſu. Unde ejus ligni violario Adæ actio fuit & peccatum, per quod Mors intravit in Mundum; ex quò Gregorius intulit, Adæ peccatum *eſu ligni* complerum extitiſſe lethiferum; non autem vel *ficum*, vel aliam arborem per ſe ſe *lethiferam* fuiſſe: *ſi enim tunc fuiſſet lethifera; ne nunc quidem eſſet eſculenta*. Hinc voluit, duo ligna, *alterum ſalutis, alterum interitus in medio Paradiſi tanquam in unò centro omninò unum non fuiſſe*: quod verum eſt, quia & illa duo ligna erant, & alrerum ab altero in ejuſdem medii extenſione aliquantum diſtabar, at ſi alterum per ſe ſe erar *lethiferum, a Dei plantatione alienum* fuiſſet *docente Scriptura, quæ omnia Dei opera, in quibus veritas contemplari debet, valde bona eſſe declarat*. Non igitur quæ Moyſes de duabus arboribus in medio Eden conſitis narrat, nec totam Paradiſi hiſtoriam allegoricè ſolum intelligenda eſſe, Nyſſenus contendit; quippe qui &. *Paradiſum unum illic, ſive in Eden, a Deo plantatum, & omnia Dei opera valde bona, & eſum ligni vetitum, in quibus contemplanda ſit veritas*, diſſerte affirmavit; ideoque non puræ litteræ, quæ ex Apoſtolo occidit, ſed litteræ ſimul & ſpiritus contemplatione, *& Hiſtorica narratione*, ac ſpiritali intelligentia vetiti fructus; *tum omnium operum Dei valde bonorum, Paradiſi, & lignorum*, ſive arborum ejus *veritatem*, contra Origenem, contraque Dallæum expoſuit, atque cognovit.

Subinde (a) S. Gregorius Nyſſenus enucleat illa Sacri Cantici verba, expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa: lavi pedes meos, quomodo inquinabo eos: „Quæ ille „ hoc modo declarat: Audivit eum, „ qui juſſit ipſam fieri & propinquam, & columbam, & perfectam; „ ut per eam ad animam introducatur veritas; fecit enim, quæ audivit, ut quæ exverit Pelliceam illam tunicam, quam induit poſt „ peccatum: & a pedibus ablueris „ terrenas illas ſordes, quibus erat „ involuta; ut quæ a vita, quam degerat in Paradiſo, reverſa eſſet in „ terram; quoniam audivit: *terra es, & in terram reverteris*: propterea „ aditum aperuit verbo ad animam „ diducto cordis velo, hoc eſt, Carne Carnem cum dico, veterem „ hominem intelligo, quem ut exuant, ac deponant, hortatur Divinus ille Apoſtolus omnes, qui verbi lavacro ſunt abluturi ſordes pedum animæ. Vereri ergo exuto homine, & ablato cordis involucro, „ oratione aperuit aditum, quem „ ingreſſa indumentum ſibi fecit anima, convenienter expoſitioni A-

(a) *S. Greg. Nyſſ. Homil. XI. in cap. V. Cantic. tom. 1. pag. 634.*

„ poſtoli, qui jubet, exuto corporali „ veteris (a) hominis indumento, in- „ duere novam Tunicam, quæ ſe- „ cundum Deum eſt creata in San- „ ctitate, & Juſtitia.

Quis modo non abiiciat alia Dallæi figmenta? Nam fingit quod Nyſſenus tunicas pelliceas, quibus Adam a Deo veſtitus fuit, de corpore interpretatus ſit. Ficta eſt a Dallæo hæc interpretatio: quandoquidem Nyſſenus *pelliceam illam tunicam, quam poſt peccatum Adam induit*, non de Adæ corpore, ſed de corporali ipſius veteris hominis indumento expreſſe explicavit: de quò proinde folia ficulnea, quibus primus homo ſe antea contegerat, intellexit, *ut ad animam veritas introducatur*, ut ſcilicet homo *exuto corporali veteris hominis indumento*, abjectiſque ſæculi deliciis, (b) quæ velluti folia ficulnea citius areſcunt, induat verbo lavacri, ſive Baptiſmate Chriſti Novam tunicam ſpiritalem, quæ ſecundum Deum eſt creata in Sanctitate & Juſtitia. Nullum igitur errorem Origenis a quò priora Sacræ Geneſis capita ad ſolas allegorias temere traducebantur, Nyſſenus admiſit: ſed & propria illius *corporalis indumenti* notione, & allegorico ſenſu, quem *Apoſtolus* oſtenderar, eas ſacras litteras declaravit.

Hic etiam Gregorius in oratione IV. de Dominica oratione & *regnum cæli*, de quo Dominus inibi loquitur, (c) & univerſorum hominum, præcipue Sanctorum Reſurrectionem tractavit ac dixit, quod „ Hæc Terrea „ caro in Reſſurectione univerſorum „ in cæleſtem locum una cum Ani- „ ma tranſmigret.

Sed vide, quam falſo Dallæus textum Nyſſeni adleget, atque corrumpat: qui cenſor illam Nyſſeni orationem afferens ait, ab eo aſſeri corpora Sanctorum poſt Reſſurectionem aerea tenuitate, & ſubtilitate contextum iri: quæ Origenis eſſe ſciunt, qui in eo verſati ſunt: At Dallæus ſcivit lædere textum Nyſſeni, qui non aeream, neve æthercam, ſed *terream carnem Sanctorum in Reſſurrectione una cum anima in cæleſtem locum tranſmigrare ſcripſit, ac docuit*: quo documento repulit origenis hereſim, qua iſte affirmabat judicii die homines in propria conditione Carnis, quam Deus de terra formavit, haudquaquam reſurgere: quem magnum errorem Nyſſenus eo coarguit, quod in ultimo die reſurget *terrea caro*; quæ proinde non aliam aut aeris, aut etheris conditionem, ſed propriam ac veram corporis de terra ſumpti, ac ſic *terrei* naturam habebit; quam tamen Sancti homines glorioſi corporis dotibus, quarum una agilitas eſt, ornatam certo obtinebunt.

Idem S. Gregorius Nyſſenus laudata oratione in eos, qui Baptiſma differunt, aſſeveravit eodem Baptiſmate peccatum originale deleri, ideoque Baptiſmum differendum non eſſe: (d) quæ ille Sanctus vicit hoc modo:

„ Ve-

(a) *Ephes IV.*

(b) *Nota. Honores in Nyſſeni contextu non leguntur, ideoque ficti ſunt a Dallæo.*

(c) *S. Greg. Nyſſ. Orat. IV. in Dom. Orat. pag. 743. Tom. 1.*

(d) *S. Greg. Nyſſ. in orat. in eos qui diſſ. Bapt. Tom. 1. pag. 456.*

„ Venit gratia Regis, duobus affli-
„ ctis ordinibus concedens remiſſio-
„ nem: vinctis liberationem; Debi-
„ toribus debiti Remiſſionem, & id-
„ eo ego quoque ambobus ordinibus
„ convenientem aperio medicinam,
„ & cum magna fiducia polliceor,
„ quod ex diligentia procedet auxi-
„ lium.... ne quis autem exiſtimet,
„ medicinam eſſe magnæ impenſæ,
„ predico ipſa medicamenta, quæ
„ ſunt adhibenda laborantibus. Nam
„ illis quidem promitto Sanitatem
„ per aquam, & lavacrum: horum
„ autem per paucis lachrymis deleo
„ morbum, eſt enim ſimplex appli-
„ catio, & a Deo miſſum Donum,
„ & magnus revera eventus, abſque
„ uſtione, & ſectione a diuturnis li-
„ berari vulneribus, quæ paſſi ſumus
„ a morſu Serpentis. Venite ergo,
„ qui malis effecti eſtis, ad Veſtram
„ curationem; neque rem negligatis.
„ .. Morbus enim diuturnus, & in-
„ veteratus artem ſuperat... Es ex-
„ tra Paradiſum Cathecumene, ſocius
„ exilii Adæ primi noſtri Parentis.
„ Nunc autem Oſtio tibi aperto in-
„ gredere, unde es egreſſus; & ne
„ tardes, ne ſi forte mors inciderit;
„ ea tibi obſtruat aditum.

Ab hiſce minime abludunt, quæ
ipſe Nyſſenus ſcripſit de infantibus,
qui, dum rationis capaces non ſunt,
præmaturæ abripiuntur; (a) de quo-
rum anima illæ iſthæc queſivit: „ An
„ illa quoque anima judicem videbit?
„ Tribunali cum aliis ſiſtetur? Subi-
„ bit actæ vitæ judicium? accipiet
„ prò merito retributionem, & com-
„ penſationem? Vel igni purgata ju-
„ xta Evangelii verba, vel in rore
„ Benedictionis refrigerata, atque
„ refocillata... Sed cum ignorantiæ
„ morbo omnes propemodum, qui in
„ carne vivunt, correpti ſint, qui
„ quidem idoneis, & competentibus
„ curationibus ſe ſe expurgaverit, &
„ veluti lipitudinem quandam a perſ-
„ pectiva vi animæ ignorantiam qua-
„ ſi derivaverit, abluerit, atque ſu-
„ ſtulerit, dignum ſtudio lucrum,
„ conſecutus in ea, quæ ſecundum
„ naturam eſt, & expers ſit ejus vi-
„ tæ, quæ nobis propriæ convenit, &
„ accommodata eſt. At Puerulus infans
„ ſimplex malitiæ expers nullo etiam
„ nunc oculorum animi morbo par-
„ ticipationi lucis officiente, in eo,
„ quod naturale eſt, verſatur, ſani-
„ tate, quæ per purgationem contin-
„ git non indigens; quippe nec ab
„ initio quidem prorſus in animum
„ morbum admiſit... Hoc eſt quod
„ dico perfectæ, atque abſolutæ pro-
„ videntiæ opus eſſe non ſolum con-
„ tractos curare Morbos, verum e-
„ tiam prohibere, antequam contrahan-
„ tur: quam adeo opinionem etiam
„ de morte infantium modò natorum
„ habemus, quod is, qui ratione om-
„ nia facit, humanitate adductus;
„ vitiis materiam aufert, ſpatium
„ temporis voluntati per vim præ-
„ ſciam notatæ, & animadverſæ non
„ dans, ut per opera nequitiæ, vi-
„ tiique, excellentia oſtendatur, qua-
„ lis ſit, cum ad malum impetum ha-
„ beat & effectum.

Hic ergo Nyſſenus diſceptat de
de Mortui infantis anima, quæ *in rore*
Benedictionis atque adeo in Baptiſmate

(a) S. Greg. Nyſſ. in orat. de iis, qui præmature abripiuntur Tom. 2. pag. 754.

refrigerata, atque *a morſu Serpentis*, ſive ab originali peccato, ad quod Serpens *Adam*, ejuſque *Socium* omnem hominem impulerat, liberata, ac ſanata fuerit, & adepta *Benedictionem* cæleſtem: cujus proinde *ros* eſt ipſe Baptiſmus; ſive quo nec infans *Benedictionem*, nec adultus *retributionis meritum* habere poteſt: cum igitur Nyſſenus primum eam infantium *benedictionem*, & iſtud adultorum *meritum* propoſuerit: certe *ros Benedictionis* Baptiſmus in ejus textu intelligitur: quo ſuppoſito hæc duo Nyſſenus quæſivit: an infans Baptizatus, & paulo poſt mortuus in *rore Benedictionis* refrigeretur, hoc eſt vi Baptiſmi cæleſtem gloriam adipiſcatur: an vero cum aliis Baptizatis, & mortuis adultis pænitentibus Tribunali divino ita ſiſtatur, ut ſubeat iſtorum *vitæ judicium, & accipiat prò merito retributionem*, vel ſicut adultus fidelis ob levia ignorantiæ peccata *igne* purgetur: cui ultimo quæſito Nyſſenus reſpondit, parvulos Baptizatos, aut Baptiſmi *Benedictione* ac ſic Originalis culpæ liberatione donatos, & inde mortuos, *ea ſanitate, quæ per purgationem contingit* non indigere. Atqui *purgatione* iſta, ut proxime ante Nyſſenus monuit, quædam levia *ignorantiæ* peccata, in quæ adultus quiſpiam poſt Baptiſmum labitur, abluuntur. Iſtorum igitur Peccatorum levium quæ adultus actu vult, *Morbum* infans Baptizatus nec a ſui Baptiſmi initiis admiſit, quippe qui rationis capax non erat. Illis ergo locutionibus peccatum originale in parvulis, antequam baptizentur, ineſſe, Nyſſenus haudquaquam negavit, immo eos *Adæ vulneribus* ſauciatos fuiſſe præmonuit, ſed tamen adſignificavit baptizati parvuli, & paulo poſt mortui animam in *rore Benedictionis* ad cæleſtem locum adduci: ac non illa ſanitate, quæ per *ignis purgationem* in altero ſæculo fit indigere: quia iſta purgatio ſolum illis *contingit*, qui cum Baptiſmate abluti ſint, & rationis uſum habeant: in varias leves culpas incidunt, quarum aliquæ hic penitentia expiantur, aliæ poſt mortem *igne purgabuntur*: qua *purgatione* baptizati infantes, & rationis uſu carentes *præmature abrepti non egent*; quoniam eis Deus *temporis ſpatium ad vitia*, & peccata voluntarie admittenda *non dedit*, Nyſſeno affirmante, & concludente: cujus antecedentia, & hæc conſequentia cum Dallæus non viderit: ideo S. Gregorio Nyſſeno erroris crimen audacter affixit. Porro autem Nyſſenus culpæ originalis *vulnus a morſu Serpentis* illatum antea faſſus, & ſubinde parvulos *rore Benedictionis*, aut Baptiſmate, ablutos, & paulo poſt mortuos contemplatus, concluſit, eorum *voluntati temporis ſpatium* a Deo datum non fuiſſe, ut in *vitia*, & *opera nequitiæ* laberentur: quæ peccata cum ab adultis rationis capacibus, & propriæ *voluntatis* actum adhibentibus proficiſcantur: tum ex adverſo infantes baptizati, & præmature demortuo eadem vitia *nec ab initio admiſerunt*, ut potè rationis, & *Voluntatis* uſum minime habentes. Iſta igitur vitia, aut crimina quæ rationis uſu, & propriæ *voluntatis* actu complentur, ab infantibus illis ſuſcepta eſſe, Nyſſenus inficiatus: tamen in eis originale paccatum Baptiſmatis rore deletum fuiſſe præmonuit, & confirmavit.

Ve-

Venio nunc ad Chriſtum mediatorem; in quo quia duos filios, unum ſecundum naturam, alterum ſecundum adoptionem, Apollinaris Heterodoxus errore fingebat: idcirco adverſus hunc S. Gregorius Nyſſenus (a) iſta conſcripſit: „ Non enim propterea quod in noviſſimis diebus in
„ terris viſus eſt conditor ſæculorum,
„ & cum hominibus converſatus eſt:
„ ideo duo Filii in Eccleſia memo-
„ rantur, unus conditor ſæculorum,
„ & alter, qui in conſumatione ſæ-
„ culorum per Carnem humano ge-
„ neri apparuerit. Etenim ſi quis ex
„ Unigeniti Filii Dei apparitione in
„ carne, quæ diſpenſationis cauſa fa-
„ cta eſt, colligat, editum fuiſſe fi-
„ lium alterum; is dinumeratis etiam
„ omnibus, quæ ſe viris Sanctis ob-
„ tulerunt, apparitionibus ante Uni-
„ geniti Dei Filii Incarnationem, &
„ iis, quæ poſt iſtam ſanctis rurſus
„ oblatæ ſunt pro numero Divinæ
„ manifeſtationis multitudinem ſta-
„ tuet Filiorum.... quod ſi hoc ab
„ ſurdum, planeque impium eſt, ut
„ pro numero diverſarum apparitio-
„ num Unigeniti Filii Dei, tot etiam
„ Filios aſſignemus, parem profecto
„ abſurditatem incurrit is, qui ex
„ apparitione per carnem ad conſti-
„ tuendum alterum arripit occaſio-
„ nem: Sic enim cenſemus pro mo
„ dulo facultatis eorum, qui divi-
„ nas apparitiones excipiebant, ſem-
„ per illius ſupremæ, ac præſtantiſſi-
„ mæ naturæ oblatam eſſe viſionem:
„ Majorem quidem ac Deo digniore
„ his, qui aſſequi ſublimitatem illam
„ poterant, minorem verò atque or-
„ dinis inferioris iis; qui majoris
„ capaces non erant, quocirca neque
„ ſimili ratione, atque in præcedenti-
„ bus apparitionibus, diſpenſatione
„ ſecundum Carnem generi humano
„ ſe ſe offert. Verum quoniam om-
„ nes, ut inquit Propheta, declina-
„ verunt, ſimul inutiles facti ſunt;
„ neque erat, ſicut ſcriptum eſt, qui
„ poſſet intelligere, & perquirere ſub-
„ limitatem Divinitatis; propterea
„ ut magis carnali generationi appa-
„ reat Unigenitus filius, Caro fit,
„ ſeque prò exiguitate ejus, a quo
„ excipitur, contrahit, vel potius ut
„ cum ſcriptura loquar, ſe ipſum
„ exinanit; ut quantum capit Natu-
„ ra, tantum excipiat. Iſtam enim
„ generationem præter ceteras, quæ
„ præceſſerant, damnationi obnoxiam
„ fuiſſe, palam ex Domini voce di-
„ cimus, cum is tolerabiliores Sodo-
„ mitas, ac Ninivitas fuiſſe dicit, &
„ Reginam Auſtri generationem il-
„ lam in Reſſurrectione condemna-
„ turam Dominus pronuntiavit. E-
„ nim vero ſi omnes ut Moyſes ca-
„ liginem ingredi potuiſſent, in qua,
„ vidit Moyſes, quæ ſpectari non
„ poſſunt; aut quemadmodum ſubli-
„ mis ille Paulus ſupra tres Cælos
„ attolli, atque in Paradiſo de ſecre-
„ tis doceri rebus, quæ verbis efferri
„ non poſſunt, aut cum illo zelo
„ ardente Elia curru igneo in locum
„ ethæreum transferri, neque corpo-
„ ris mole, ac pondere gravari: vel
„ cum Ezechiele, atque Eſaja ſeden-
„ tem in gloriæ throno contueri, aut
„ ſupra Cherubim ſublatum, aut a
„ Seraphim collaudatum: nihil peni-

(a) *S. Greg. Nyſſ. in epiſt. ad Theoph. Alex. Epiſc. ſcripta contra Apol. pag. 644. t. 2.*

„ tus opus fuiſſet, hac Dei ſecundum „ carnem apparitione, ſi tales omnes „ fuiſſent.... Sed quoniam, ut in- „ quit Dominus, generatio prava, & „ adultera erat illa generatio: prava „ quidem, quod, ſicut ait Evange- „ lium, totus Mundus in maligno „ tum poſitus eſſet; Adultera verò, „ quod optimum ſuum ſponſum de- „ ſeruiſſet, eique, qui per improbi- „ tatem animas adulterio polluit, „ fuiſſet commixta: eam ob cauſam „ verus Medicus, qui male habentes „ curat, prout Medicinam Morbus „ exigebat, ita laboranti ſollicitudi- „ nem ſuam, & Curationem adhi- „ buit, ut quodammodo ſimul æger „ ipſe ad Naturæ noſtræ ægritudinem „ ſe conformaret, & caro fieret.

Hiſce Nyſſenus iterum originale peccatum contra falſas Dallæi calumnias ita affirmavit, ut Chriſti Dei, & hominis, ac ſic Mediatoris ſupremi *Medicinam* neceſſariam eſſe docuerit, qua ſcilicet culpa ipſa originalis, ſive Adæ *adulterium*, quò omnes hominum *animas polluit*, auferretur. Hoc igitur adulterio *omnes Adæ poſteros pollutos declinaſſe*, & *inutiles factos eſſe*, cum Davide idem Gregorius aſſeruit; ideoque voluit, quod ſi Adam illud *adulterium* non commiſiſſet, & in eo *omnes* homines non peccaſſent: tum Dei filius in hac hypotheſi carnem non aſſumpſiſſet: quæ ſententia Celebriorum Theologorum eſt, ac proinde nullius erroris argui poteſt, ut pote quæ SS. Irænei (a) Athanaſii, aliorumque Patrum ſacras litteras adlegantium auctoritatibus innitatur. Si ergo Adam, ejuſque poſteri ſuperno auxilio, ſine quo juſtus eſt nemo, in juſtitia, & Sanctitate perſeveraſſent: in hac hypotheſi Nyſſenus dixit, quod *nihil penitus opus fuiſſet Dei ſecundum Carnem apparitione*: quia poſita eadem hypotheſi Deus Adam in juſtitia perſeverantem, ejuſque poſteros *omnes*, *ſi tales* eſſent, ad gloriam adduxiſſet, uti & *quodammodo Moyſem* ad ea videnda, quæ ordinario modo ſpectari non poſſunt, & *Ezechielem*, atque *Eſaiam* ad ſe in gloriæ throno ſedentem, & Eliam ad locum ethæreum, & Paulum denique ad tertium Cælum evexit: quorum exempla uti quaſdam ſimilitudines Nyſſenus ad enucleandam illam hypotheſim attulit: quam quoniam ex vi præſentis ordinis effecerat, & primum hominem, atque omnes ex eo naſcentes peccaſſe certo crediderat: ac ſuppoſuerat: idcirco in conſequenti adſtruxit, non abſolute quidem, sed quadamtenus ex ordinariis divinæ juſtitiæ legibus opus fuiſſe Chriſto mediatore, ut Deo prò offenſa illata ſatisfactio plena, & infinitè valens tribueretur, atque iidem univerſi homines redimerentur. Ubi eſt iſthæc Nyſſeni aſſertio? Cernat Dallæus, qui falsò objicit, ob illam hypotheſim a Nyſſeno Mediationis, uti ipſe Cenſor eam appellat, neceſſitatem everti. Evertit Cenſorem Nyſſenus; qui poſteaquam illam hypotheſim, quam expoſuimus, protuliſſet: ſtatim adjecit: quod cum *totus mundus in maligno poſitus eſſet: Adultera verò ei qui animas adulterio polluerat, commixta fuiſſet: eam ob cauſam verus medicus male habentibus: & laborantibus curationem adhibuit pro-* ut

(a) *S. Irenæus lib. 3. adv. Her. 8. Athan. Orat. 3. cont. Arian.*

ut medicinam, atque adeo mediationem morbus exigebat. Exigere autem quandam neceſſitatem importat. Hanc ergo *veri Medici*, & Mediatoris Chriſti Dei; & hominis neceſſitatem non evertit, ſed confirmavit Nyſſenus eam ob cauſam, quia ſuppoſito *Adæ* adulterio, & *omnium hominum* ex ipſo natorum morbo medicina media exigebatur, ut & idem adulterium deleretur, & morbus.

Cum itaque in iſtis, aliiſque legitimis, & incorruptis S. Gregorii Nyſſeni operibus nullus error inveniatur; cumque in illis tribus libris antea recenſitis inſint errata: ſequitur, ut non illi libri, ſed tantum tres iſti ab Hæreticis depravati fuerint: ex quibus proinde tribus libris nulla argumenta, quæ Nyſſeni Fidei, & doctrinæ ſanæ adverſentur, elici queunt. Quare cum in oratione Cathechetica triduum mortis Chriſti ab Euchareſtiæ inſtitutione falsò ducatur: id ab Hæreticis ei orationi additum eſt; ut pote quæ *additamentis falſis* conſtet, ſicuti adductus Photius teſtatur.

Jam vero S. Ambroſius nullo in errore verſatus eſt; qui primum illa Pſalmi 118 verba, *retribue ſervo tuo* explicaturus, (a) de Baptiſmo, ac de igne purgante ſic egit: „ Baptiſmus
„ cæpit, quò purificentur, qui in Paradiſum redire cupiebant, & regreſſi dicerent, tranſivimus per ignem
„ & aquam. Hic per aquam ut abluantur peccata: per ignem ut exurantur... Quis eſt, qui in hoc igne
„ baptizat? Non Præsbyter, non Epiſcopus, non Joannes qui ait, ego vos
„ baptizo in pænitentiam: non Angelus, non Archangelus, non Dominationes, non Poteſtates, ſed ille, de quo Joannes ait, qui venit
„ poſt me, fortior me eſt, cujus non ſum dignus calceamenta portare: ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto,
„ & igne. Habet ventilabrum in manu,
„ & permundabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum
„ ſuum paleas autem comburet igne inextinguibili. Non de hoc Baptiſmate, quod fit per Sacerdotes Eccleſiæ, dictum ipſe Dominus teſtificetur; ſiquidem poſt conſumationem ſæculi miſſis Angelis, qui ſegregent bonos, & malos, futurum eſt baptiſma, quando per caminum ignis iniquitas exuretur;
„ ut in regno Patris Dei fulgeant Juſti ſicut ſol in regno Patris ſui.
„ Et ſi aliquis ut Petrus ſit, aut Joannes baptizatur hoc igne. Veniet ergo Baptiſta Magnus: ſic eum nomino, quomodo nominavit Gabriel
„ dicens, hic erit magnus: videbit multos ante Paradiſi ſtantes veſtibulum: movebit romphæam verſatilem: dicet his, qui a dextris ſunt,
„ non habentibus gravia peccata: intrate, qui præſumitis, qui ignem non timetis: prædixeram etiam vobis: ecce venio ſicut ignis: & per Ezechiel dixeram; Ecce proficiſcar in Hyeruſalem & inſufflabo vos in igne iræ meæ, ut tabeſcatis a plumbo, & ferro. Veniat ergo ignis conſumens, exurat in nobis plumbum iniquitatis, ferrum peccati, faciatque nos aurum ſincerum,

(a) S. *Amb. ſerm.* 3. *in Pſalm.* 118. *pag* 8. *Tom:* 2. *Goth. edit.*

„ rum, arat renes meos, & cor
„ meum, ut bona cogitem ea, quæ
„ caſtitatis ſunt, concupiſcam. Sed
„ quia hic purgatus, iterum neceſſe
„ habet illic purificari: ille quoque
„ nos purificet, cum dicat Dominus,
„ intrate in requiem meam, ut unuſ-
„ quiſque noſtrum uſtus rumphæa
„ illa flammea, non exuſtus intro-
„ greſſus in illam Paradiſi amænita-
„ tem, gratias agat Domino ſuo di-
„ cens; induxiſti nos in refrigerium,
„ qui ergo per ignem tranſierit, in-
„ trat in requiem: tranſit a materia-
„ libus, atque mundanis ad illa in-
„ corruptibilia, atque perpetua. Alius
„ iſte ignis, quo exuruntur peccata
„ non voluntaria, ſed fortuita: quem
„ paravit ſervulis ſuis Dominus Je-
„ ſus, ut eos ab iſta commoratione
„ quæ permixta eſt mortuis, emun-
„ det. Alius ille ignis, quem depu-
„ tavit Diabolo, & Angelis ejus: de
„ quo dicit, intrate in ignem æter-
„ num, quo ille dives ardebat, qui
„ ſtillari ſibi de Lazari digito poſce-
„ bat humorem. At verò Lazarus in
„ Abrahæ ſinu recumbens vitam car-
„ pebat æternam.... quantum labo-
„ ravit Phariſæus ille, ne raperet
„ aliena, ne injuſtus eſſet, ne adul-
„ teraret: quantum laboravit, ne pec-
„ caret, ſicut peccabat Publicanus;
„ quantum laboravit, ut bis in Sa-
„ batho jejunaret: quantum labora-
„ vit, ut decimam daret omnium,
„ quæ acquireret. Quis noſtrum hæc
„ facit? quanti habent poſſeſſiones, &
„ ſoli incumbunt fructibus; & ſoli
„ ſibi meſſes recondunt? Advertit hoc
„ Diabolus, & percutit cum ulcere
„ gravi, ut non teneret caput mente
„ carnis inflatus.... Mala ruina eſt
„ arrogantiæ, ſuperiores obruit ma-
„ la hæc lucta ſerpentis.

Rurſus in ejuſdem Pſalmi expoſitione S. Ambroſius (a) de illo igne hæc addidit: „ Joanni citò verſabitur
„ igneus gladius; quoniam non inve-
„ nitur in eo iniquitas, quem dilexit
„ æquitas: ſi quid in eo vitii huma-
„ ni fuit; Charitas divina decoxit.
„ Alæ enim ejus, ſicut alæ ignis, qui
„ habet hic charitatis ignem; illic
„ ignem gladii timere non poterit...
„ illo igitur igneo gladio iniquitas
„ exuretur, quæ ſedet ſuper talen-
„ tum plumbeum, ideo unus ignem
„ illum ſentire non potuit, qui eſt
„ juſtitia Dei Chriſtus; quia pecca-
„ tum non fecit. Nihil enim ignis
„ in eo, quod exurere poſſet, inve-
„ nit. Denique illi ſoli ellevatæ ſunt
„ portæ æternales, ut introiret Rex
„ Gloriæ.

Non igitur Ambroſius aſſeruit, omnes fideles igne purgatum iri; ſed eos ſanctos excepit, qui *Hic charitatem habent; ideoque ignem timere non poterunt:* unde in Joanne Evangeliſta, & aliis Sanctis, ſi quid vitii humani, levis quidem, fuit: idem *charitas divina decoxit*. Si quæ ergo leves culpæ in Sanctis, dum *hic* viverent, extiterunt: eas non ignis purgans, ſed *charitas divina*, quæ toto cælo a purgante igne differt, decoxit. Chriſtus autem ab illis Sanctis eo diſtinguitur, quia *juſtitia* eſt & *Rex Gloriæ*; qui Sanctis *charitatem*, quam hic *habuerunt*, infudit, & ſuæ Sanctiſſimæ Matri Mariæ Virgini, ac Deiparæ pri-

vi-

(a) *S. Amb. ibid. ſerm. XX.*

vilegium tribuit, ob quod omni peccato etiam leviſſimo caruit. Chriſtus itaque ut *Rex Gloriæ* per ignem non tranſiit, eique *portæ æternales elevatæ ſunt*. Deipara autem Virgo ut ab eo ornata ſingulari illa gratia, & reliqui ſancti charitate infuſa donati, ignis purgantis examen neutiquam ſubierunt. Ambroſius ergo Hilario, de quo plura diximus, conſentiens, non erravit, uti Dallæus falſo occentat: ſed ille optime tradidit, fideles aliquot mortuos pænitentes, ſi quid iſtis luendum ſuperſit, igne purgandos eſſe: purgationem vero iſtam ſanctos qui hic *charitatem* habuerunt, minime ſubituros: nec tamen ſolum infideles, verum etiam aliquos *noſtrum* quos Diabolus *gravi ulcere percutit*, æternum manſuros in igne.

Atenim S. Ambroſius duobus in capitibus libri de Fide reſurrectionis (*a*) hominum pertractavit: quæ duo capita ſimul hic afferam: „ Omnes „ naſcimur, & omnes reſurgemus: „ Sed in utroque vel vivendi, vel re- „ viviſcendi gratia diſpar, (*b*) diverſa- „ que conditio. *In momento, etiam in* „ *ictu oculi, in noviſſima tuba & mor-* „ *tui reſurgent incorrupti; & nos im-* „ *mutabimur*, quin etiam in ipſa „ morte quieſcunt alii, vivunt alii. „ Bona quies; ſed vita melior. De- „ nique Paulus ad vitam excitat „ quieſcentem dicens, *Surge, qui dor-* „ *mis, & exurge a mortuis, & illu-* „ *minabit te Chriſtus*. Ergo hic exci- „ tatur, ut vivat: ut ſimilis Paulo „ ſit; ut poſſit dicere: (*c*) *quia nos,* „ *qui vivimus, non præveniemus eos,* „ *qui dormierant*. Non enim commu- „ nem hunc vivendi loquitur uſum, „ ſpirandique commercium, ſed me- „ ritum reſurgendi. Nam cum di- „ xiſſet: (*d*) *& mortui, qui in Chriſto* „ *ſunt, reſurgent primi:* ſubiecit de- „ inde: *& nos qui vivimus, ſimul cum* „ *illis rapiemur in nubibus obviam* „ *Chriſto in aera*; utique mortuus eſt „ Paulus, & paſſione venerabili vi- „ tam corporis cum immortali gloria „ commutavit. Non fefellit ergo, „ qui ſe viventem ſcripſit in nubi- „ bus obuiam Chriſto eſſe rapien- „ dum.... itaque licet in momento „ (*e*) reſuſcitentur omnes: omnes „ tamen meritorum ordine ſuſcitan- „ tur. Et ideo primi reſurgent, qui „ maturo devotionis occurſu, & „ quodam antelucano fidei exortu „ prodeuntis ſolis æterni radios re- „ ceperunt.

An igitur Dallæi, & Poplebundi eum ſequentis fictiones (*f*) contemnendæ non ſunt? Nam comminiſcuntur, Ambroſium arbitratum fuiſſe, mortuorum reſſurrectionem non ſimul, & ſemel, ſed interiecto tempore longo futuram. Hæc autem illorum Hæreticorum figmenta ſunt, non Ambroſii documenta, quippe qui *mortuos omnes in momento*, atque adeo ſimul, & ſemel *reſuſcitatum iri* aperte affirmaverit. Sed quoniam electos *meritorum ordine primos* in reſurrectione futuros Ambroſius enuntiavit: ex hoc illi Hæretici perperam colligunt, ipſum Ambroſium voluiſſe,

(a) *S. Amb. lib. 1. de fide Reſur. Cap. 21. & 28. pag. 176. Tom. 3.* (b) *1. Corr. 15.*
(c) *1. Theſſ. IV.* (d) *Ad Gall. 4.*
(e) *Ibid. cap. 28. pag. 178.*
(f) *Popl. in lib. de ſcrip. in Ambroſio.*

mortuos omnes non ſimul, & ſemel, ſed longo ordine, ac tempore adductum iri in Reſurrectionem. Hoc verò argumentum falſitate laborat. Quid? Nonne Apoſtolus Paulus edixit, *quod Mortui in Chriſto reſurgent primi*? Ac ſi ex hoc Apoſtoli teſtunonio illi Heterodoxi cenſores inferrent, Mortuorum omnium reſurrectionem in ictu oculorum, atque in uno, & eodem inſtanti ſimul, ac ſemel haudquaquam futuram: profecto iſtud conſequens falſitatis, impietatis, & hæreſis ipſe Paulus, & Ambroſius arguent, ut qui aſſerant, *in momento* mortuos omnes reſurgere. infinita Dei virtute operante. Quare temporis Ordo *a meritorum*, & dignitatis ordine ſecernendus eſt: Nullo igitur interpoſito tempore, ſed meritorum ordine ſervato, electi ſecundum Paulum *primi reſurgent*, dum ſcilicet *devotionis occurſu primi Domino e nubibus* prodeunti obuiam ibunt, uti Ambroſius enucleat. Ergo ex eo quod mortuos *meritorum ordine ſuſcitatum iri* Ambroſius protulerit, falſo Dallæus, & alter cenſor argumentantur, Ambroſium ipſum voluiſſe, quod omnium mortuorum reſurrectio non ſimul, ac ſemel, ſed longo ordine futura ſit, quam argutationem falſam eſſe ipſe Ambroſius oſtendit, dum ſecundum Apoſtolum ait, *omnes in momento ſuſcitatum iri*, ſimulque Sanctos *meritorum ordine Primos fore*: Apoſtolo prædocente. Non igitur Ambroſius ſcripſit, nec arbitratus eſt, omnium Reſurrectionem ſimul, & ſemel haud futuram: ſed id Dallæus, & alter Cenſor errando finxerunt.

Præterea S. Ambroſius cum illud Pſalmi 1, *non reſurgent impii in judicio*, explicaret: Duo genera reſurrectionis, alterum vitæ æternæ, in quam impii non reſurgent, alterum opprobrii ſempiterni, in quod iidem impii reſurgent, expoſuit hoc modo: „ (a) *Surgent, qui bene egerunt, in*
„ *reſurrectionem vitæ*, qui male ege-
„ runt, in reſurrectionem Judicii:
„ Quod Daniel ait, (b) *in vitam æter-*
„ *nam, hoc Salvator, in reſurrectio-*
„ *nem* vitæ dixit: item quod ait Da-
„ niel, *opprobrium, & confuſionem*.
„ Salvator dixit *in Reſurrectionem Ju-*
„ *dicii*... Quoniam & Salvator duo
„ genera Reſurrectionis poſuit, &
„ Joannes in Apocalypſi dixit: *Beatus,*
„ *qui (c) habet par em in prima Reſurre-*
„ *ctione*. Iſti enim ſine judicio ve-
„ niunt ad gratiam, qui autem non
„ veniunt ad primam reſurrectionem
„ ſed ad ſecundam reſervantur. iſti
„ urentur, donec impleant tempora
„ inter primam, & ſecundam Reſur-
„ rectionem: aut ſi non impleverint,
„ diutius in ſupplicio permane-
„ bunt... ideo ergo rogemus ut in
„ prima Reſurrectione partem habere
„ mereamur. Sunt, (d) qui reſurre-
„ xerunt in Paſſione Chriſti; & iſti
„ plane Beati, qui acceperunt Chri-
„ ſti gratiam.

Ecce primam particularem Reſurrectionem aliquorum Sanctorum, qui in Chriſti Paſſione, ac morte Reſurrexerunt, teſte Evangelio. Hanc Am-

(a) *S. Ambr. Enar. in Pſal. 1. Tom. 1. pag. 762.* (b) *Jo. 24.* (c) *Apoc. 20.* (d) [illegible]. *Hic Ambroſius primum Reſurrectionem non univerſalem, ſed particularem illam Sanctorum, qui in Chriſti morte reſurrexerant, intellexit.*

Ambroſius docuit eſſe primam illam Reſurrectionem, quam in Apocalypſi Joannes exhibuit, & illum, qui in ea partem habet, Beatum vocavit; quippe quia ii Sancti, qui in Chriſti morte reſurrexerant, & poſtea cum Chriſto in Cælum aſcenderant, a Chriſto magnam Reſurrectionis *gratiam*, æternamque gloriam acceperunt, ideoque ſunt ii *plane Beati*, Ambroſio enucleante; qui proinde cum iſtam primam Reſurrectionem *tempore* diſtare *a ſecunda*, ſive ab ultima univerſali poſtremi diei Reſurrectione protulerit: in hoc non modo non erravit, ſed etiam bene locutus eſt ſecundum & Evangelium Matthæi, & Apocalypſim Joannis Apoſtoli. Jam vero ultimam Mortuorum omnium Reſurrectionem in momento futuram voluit; in qua nec duo inſtantia, nec duo tempora, ſed *duo* Reſurrectionis genera, alterum *æternæ vitæ*, alterum *confuſionis ſempiternæ* apte diſtinxit, ſicuti Daniel, & Salvator docuerant.

Idem S. Ambroſius primum de (a) Pharaone, qui Saram Abrahæ uxorem abduxerat, & poſtea de ipſo Abrahamo qui Deo diſpenſante alterum cum Agare connubium ſubierat, iſta perhibuit: „ Pharao licet Rex Egyptiorum, quem & inſolentia regalis potentiæ ſupinaret, & Egypti laſcivia, atque luxuries a ſtudio caſtitatis abduceret, vocavit Abraham, & arguit eum dicens, quid hoc feciſti mihi? Quare non dixiſti mihi quod uxor tua eſt? Sed dixiſti mihi, quod ſoror tua eſt... Nunc ecce mulier tua ante te. Etſi natura ferus, ac barbarus; tamen ſignificat etiam exteris, ac barbaris moribus eſſe curam pudoris; & adulteris etiam ſibi crimen cavendum. Qui prætendit ignorantiam, condemnat intemperantiam..... Barbarus jus novit naturæ.. Ita major lex naturæ, quam legum præſcriptio eſt.... Quia Abraham (b) ante legem Moyſis, & ante Evangelium fuit: nondum interdictum adulterium videbatur. Pæna criminis ex tempore legis eſt, quæ crimen inhibuit. Nec ante legem ulla rei damnatio eſt, ſed ex lege. Non ergo in legem commiſit Abraham, ſed legem prævenit.

Primitus itaque S. Doctor optimo ſenſu demonſtravit, adulterium *jure naturæ*, quod etiam Pharao *etſi ferus, ac barbarus noverat*, vetitum eſſe: ideoque jus iſtud, quò *adulterium* cunctis *cavendum* oſtenditur, a legum Moyſis *præſcriptione* ſimul diſtinxit, ut evidenter doceret, ante ipſum Moyſem *lege naturæ*, non Moſaica lege, quæ adulteris pænam mortis poſtmodum minata eſt, inhibitum fuiſſe adulterium. Hæc Dallæus, & quidam alius nuperus cenſor attente non legerunt, falsò obiicientes; quod Ambroſius docere videatur, Adulterium, antequam lex Moyſis promulgaretur, nondum ulla lege interdictum fuiſſe. Atqui Ambroſius primum docuit, atque præmonuit, Pharaonem prius, quam Moyſes naſceretur, noviſſe, *adulterium ſibi cavendum* ea ratione, quia *inhibitum erat ju-*

(a) *S. Ambr. lib. de Abraham Cap. 2. pag. 130. Tom. 1. Goth. Edit.*

(b) *Ibid. cap. IV. pag. 131.*

jure: naturæ quod *jus* ante *legum Moyſis præſcriptionem notum* fuerat, eodem Ambroſio prædocente: qui proinde diſertius ſignificavit, *ante Moyſem nondum ipſius Moyſis lege*, ſed *lege naturæ adulterium interdictum* fuiſſe. Cum autem Moyſis lege Polygamia permiſſa fuerit, quam tamen Chriſtus ſuſtulit, & ad primam inſtitutionem Matrimonium revocavit: tum Abraham ante Moyſem, & ante Evangelium ſimul alteram uxorem Agarem ducens, *non commiſit in legem* ſive non commiſit adulterium quoniam Deus diſpenſaverat, & Abrahami, & Agaris prolem probaverat, teſte veteri Teſtamento.

Verum S. Ambroſius adverſus eos, qui ejus doctrinam de Virginitate iniquius carpebant, (*a*) hæc ſcripſit: „ Eſt ergo etiam cæleſti voce
„ probata Virginitas, Dominiciſque
„ expetenda præceptis, quo loco ma-
„ giſterium Divinæ vocis imitemur.
„ Nam cum in ſuperioribus coniugi-
„ um memoraverit non ſoluendum,
„ niſi ex cauſa fornicationis: (*b*) in
„ poſterioribus integritatis gratiam,
„ donumque contexuit, ut doceret,
„ non damnandas eſſe nuptias, ſed
„ probandas: Nuptiis tamen ipſis in-
„ tegritatis ſtudia præferenda.

Quid eſt in iſtis, quod Cenſoris dubitantis calumnias non retundat? Nam Ambroſius & in libro de inſtitutione Virginis, & reliquis in libris, quibus Virginitas defenditur, fere ex omni Apoſtolica Scriptura, ac Traditione oſtendit, ipſam quidem *integritatem*, atque integritatis ſtudia nuptiis præferenda: verumtamen nuptias non damnandas, ſed probandas eſſe: Probatio autem nuptiarum non modo nullam labem earum honeſtati aſpergit, ſed etiam eas maculis carere demonſtrat; ut pote quæ reprobentur, & nullo prorſus modo probentur. *Probandas* igitur *nuptias* cum Ambroſius pronuntiarit: profectò nuptiarum honeſtati nullam labem aſperſit.

Sed & S. Ambroſius (*c*) de iride ita diſſeruit: „ Conſideremus etiam
„ diligenter, quid ſit, quod ait, *arcum*
„ *meum ponam in nube, & erit ſignum*
„ *Teſtamenti* inter me, & inter ter-
„ ram... non enim, ſicut plerique
„ arbitrantur, arcum iſtum dicit,
„ quem dicunt homines eſſe, quo
„ pluviarum ſigna aliquando decla-
„ rentur: in quò colores diverſi tan-
„ quam radiorum ſolis nunc rutilan-
„ tium, nunc lumine lucentium cla-
„ riore figurantur, unde & pluviæ
„ futura ſignificatur; eo quia incon-
„ ſtantia quædam ſerenitatis verſico-
„ lora ſpecie demonſtretur. Arcum
„ hunc irim quidam appellant. Sed
„ abſit, ut hunc arcum Dei dicamus.
„ Hic enim Arcus, qui iris dicitur,
„ per diem videri ſolet, per noctem
„ non apparet.... Eſt ergo virtus
„ inviſibilis Dei, quæ & ſpecie iſtius
„ arcus extendendi, & remittendi
„ moderatur prò divina Voluntate,
„ miſericordia, pietate: quæ neque
„ omnia confundi nimia ſolutione,
„ ne-

(a) *S. Amb. lib. 3. de Virginibus tom. 2.*

(b) *Nota. Hic Ambroſius vult, non ſolvendas eſſe nuptias, quod ſpectat ad Sacramentum Matrimonii: ſed loquitur de Separatione Thori.*

(c) *S. Amb. lib. de Noë, & Arca cap. 27. pag. 127. tom. 1. Gen. IX.*

„ neque dirumpi nimia irruptione „ patiatur.

Expendat modo Dallæus, pluſne argutiæ, an falſitatis afferat ad elevandam hanc expoſitionem; nam poſt Diluvium Deus voluit, *arcum non futuræ pluviæ*, ſed *ſerenitatis* eſſe ſignum ea ratione, quod Deus ipſe ſua *inviſibili virtute omnia moderetur elementa*; quæ *neque nimia aquarum ſolutione confundi*, *neque nimia earum irruptione dirumpi patiatur*. Hanc planam rationem Ambroſius attulit, qui quidem negavit, *arcum*, vel *iridem dici poſſe ſignum futuræ pluviæ* quemadmodum *plerique* homines illius divini fœderis, quod Deus cum Noè, & Orbe pepigit, ignari dicebant: Sed tamen S. Doctor nullo modo inficiatus eſt, adlegata Geneſis verba intelligenda eſſe de arcu, aut iride, quæ ſecundum Ambroſium eatenus eſt illius divini fœderis ſignum, quatenus *ſpecie iſtius arcus* Divina *inviſibilis virtus* ſignificetur, quæ aquas ita moderatur, & continet, ne qua *irruptione terreſtria omnia dirumpant, atque confundant*.

Tum aſſeruit Ambroſius Spiritus Sancti Divinitatem, ſummamque poteſtatem in libris de Spiritu Sancto, quos conſcripſit, adverſus Hæreticos Pneumatomachos: quorum aliquis unam eſſe & eandem Patris, & Filii, & Spiritus Sancti poteſtatem impie negans, obiiciebat, quod in Pauli Epiſtolis aliquando Pater, & Filius nominentur, nulla Spiritus Sancti facta mentione: quam oppoſitionem S. Ambroſius (a) ſic retulit, & confutavit: „Fortaſſe aliquis dicat, qua ratione cum dixerit hic ex Patre omnia, & per Filium omnia, de Spiritu tacuerit. Et hic cupiat præjudicium comparare. Quare ſi ſic cæpit malitioſe interpretari, quam multis inveniet locis prædicatam Sancti Spiritus poteſtatem: in quibus vel de Patre, vel de Filio nihil ſcriptura expreſſerit, ſed intelligendum relliquit... Numquid ergo cum gratia Spiritus prædicatur; Dei Patris, aut Unigeniti Filii denegatur? Itaque ſicut Pater in Filio, & Filius in Patre: ita etiam diffuſa eſt Charitas Dei in Cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis, & ſicut qui benedicitur in Chriſto, benedicitur in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quia unum nomen eſt, poteſtas una: ita etiam ubi operatio aliqua Divina aut Patris, aut Filii, aut Spiritus deſignatur: non ſolum ad Sanctum Spiritum, ſed etiam ad Patrem refertur & Filium.... Ubi autem non eſt plenum Baptiſmatis Sacramentum: Nec principium, vel ſpecies aliqua Baptiſmatis æſtimatur, plenum autem eſt, ſi Patrem, & Filium, Spiritumque fatearis. Si unum neges, totum ſubrues... Denique & illi, qui dixerant, nec ſi Spiritus Sanctus ſit, audivimus, baptizati ſunt poſtea in Nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti.... Nec contrarium videri debet; quia quamvis etiam poſtea factum ſit de Spiritu: tamen creditum eſt; & quod verbo tacitum fuerat; expreſſum eſt fide. Cum enim dicitur, in nomine Do- „ mi-

(a) *S. Amb. lib. 1. de Spir. S. cap. 3. pag.* 133. *tom.* 3.

„ mini Jeſu Chriſti: per Unitatem
„ nominis impletum Myſterium eſt,
„ nec a Chriſti Baptiſmate Spiritus
„ ſeparatur, quare Johannes in pœni-
„ tentia baptizavit; Chriſtus in Spi-
„ ritu. Nunc conſideremus utrum
„ quemadmodum in Chriſti nomine
„ plenum eſſe legimus Baptiſmatis
„ Sacramentum: ita etiam Sancto
„ tantum ſpiritu nuncupato nihil de-
„ ſit ad Myſterii plenitudinem ratio-
„ nem ſequimur, qui unum dixerit,
„ Trinitatem ſignavit:

Sciat ergo Cenſor, Ambroſium non docere, plenum eſſe Baptiſma, nuncupato tantum vel Filio, vel Spiritu Sancto. Nam S. Doctor hanc rationem primum docuit, *nec principium, nec ſpeciem aliquam Baptiſmatis, ubi hoc Sacramentum plenum non eſt, Baptiſmum, ſi Patrem, & Filium, Spiritumque fatearis; At ſi unum neges; totum ſubrues*; quod videlicet *expreſſum eſt Fide* utique ipſius *Baptiſmatis* a Chriſto inſtituti: in quo proinde conferendo ſi *Pater*, & *Filius*, & *Spiritus Sanctus* non exprimantur: totum ipſum *Baptiſma* ſubruitur, ſive nullum eſt, Ambroſio prædocente; qui ſubinde noluit, plenum eſſe Baptiſmum vel Filio, vel Spiritu tantum nuncupato. Neque enim in *una Perſona*, ſed in *Patris*, & *Filii*, & *Spiritus Sancti* collatum Baptiſmatis *Sacramentum plenum eſſe*, probavit, in quarum trium divinarum Perſonarum nomine *Chriſti Baptiſma* expreſſum, ab eoque inſtitutum ſubiunxit; quippe in quo Baptiſmo Spiritus a Filio *non ſeparatur*; ac non adeo vel ſolo Filio, vel ſolo Spiritu Sancto, ut quæſierat, nuncupato, ſed in trium Divinarum Nomine, aut *Trinitate* expreſſe *deſignata*, ut deinceps Ambroſius adſtituit, plene confertur, ut eodem Sacramento una atque eadem Patris, & Filii, & Spiritus Sancti poteſtas, atque Divinitas adverſus Pneumatomachos, quos S. Doctor refutat, demonſtretur.

Prætereo queſtionem de Anno Natalis Domini, de quo Anno variæ ſunt doctiſſimorum opiniones; quorum aliquot Chronologi cum extiterint; ideo eorum ſententiam ſequimur: Sed aliam aliorum opinionem haud obſcure S. Epiphanius *(a)* retulit, & Chriſtum Dominum ante Menſem Januarium natum fuiſſe ſignificavit; Hinc quamvis diverſam opinionem de eo die Egyptii habuerint, & Chriſtum die ſexta Januarii natum dubitando dixerint: nihilominus eidem opinationi Epiphanius ſe addictum eſſe diſerte non protulit; *(b)* ſed iſta de Domino ſcripſit: „ Baptizatus
„ eſt, ſi Egyptiorum Menſium ratio-
„ nem habeas, Athyr XII, A. D.,
„ VI eid. Novemb., hoc eſt LX. ante
„ feſtum Epiphaniorum, die, qua is
„ ſecundum carnem natus eſt.

Imprimis itaque Epiphanius illam computandorum *menſium rationem* qua *Æ yptii* utebantur, ut abſolutam, ac certam ſecutus non eſt; utpote qui particulam ſi adhibuerit, ac ſic cumputum illum in dubio poſuerit: quo factum eſt, ut ei ille Egyptiorum Annus incertus eſſet & anceps: Unde ſignificavit, *Chriſtum natum eſſe ante Feſtum Epiphaniorum* Sexto Januarii celebratum. Dies enim hic aufe-

a) *S. Epiph. hær. 51. pag. 430.*

auferendi caſu poſitus Epiphaniorum feſtum accuſandi caſu expreſſum minime denotat; ideoque innuit, ante Januarium die xxv Decembris Chriſtum ſecundum carnem natum fuiſſe; quo die major Catholicarum Eccleſiarum pars minorem Egyptiorum partem ſuperans, Natalis Domini Feſtum agebat, Veteribus teſtibus.

Tum S. Epiphanius de Audianis Hæreticis, qui judaico more Paſcha cellebrandum eſſe, errore contendebant, hæc ſcripſit: „ A primis (a) uſque temporibus variæ in Eccleſia „ de hac ſolemnitate controverſiæ, „ ac diſſenſiones extiterunt... Audiani verò ad inſtitutum ſuum „ quandam ex Apoſtolorum conſtitutione auctoritatem accomodant: „ qui liber tametſi apud nonnullos „ dubiæ Fidei ſit; non eſt tamen improbandus... Hunc illi perperam „ interpretantur; etiam Apoſtoli in „ iſta conſtitutione ita definiunt: „ Vos, inquiunt, temporum rationes ne ſubducire, ſed eo tempore „ celebrate, quo Fratres veſtri, qui „ ex circumciſione prodierunt: cum „ iis itaque Paſcha peragite. Non „ præcipiunt, quo tempore Fratres „ veſtri, qui in circumciſione ſunt, „ ſed qui ex circumciſione prodierunt; ut illos ipſos declarent, qui „ ad Eccleſiam a Circumciſione tranſierint, ex eo deinceps tempore duces, & auctores futuros; utque ad „ aliorum auctoritatem adiungerent „ ſeſe, ne alii alio tempore obeundum ſibi Paſcha crederent. Hanc „ enim omnem illi curam, ac diligentiam impendiſſe videntur, ut „ pacem, ac concordiam adſtringerent: neve diffidia, atque opinionum diſſenſiones exiſterent. Audiani verò cum Apoſtolici illius „ decreti ſenſum minime perciperent, „ ex eo ſic apud ſe cogitarunt: Paſcha Judæorum more celebrandum „ videri. Porro poſt conſtitutionem „ illam quindecim è Circumciſione Epiſcopi fuerunt, idque Hieroſolymis, quorum auctoritatem „ Chriſtianus omnis Orbis ſequi, & „ cum illis celebrare Paſcha debuit: „ una ut omnium concordia, una „ profeſſio, una celebritatis obeundæ „ ratio, ac conſuetudo firmaretur. „ Igitur ad hominum mentes in unam Eccleſiæ ſocietatem, quæ tanto temporis ſpatio nondum obtineri potuerat, conciliandas, Patrum illorum cura, diligentiaque, „ non ſine Dei nutu, Conſtantini „ temporibus incubuit. In Apoſtolorum vero conſtitutionibus ad „ concordiam perinde decretum illud „ pertinet: id quod illi ipſi teſtantur „ his verbis: *quamvis aberrent ipſi:* „ *nihil id vos commoveat*.

Porro quorumdam recentiorum nævi delectarunt Dallæum, (b) qui ex illis falsò refert S. Epiphanium narrare, *Eccleſ. a initiis Apoſtolos decreviſſe, ut judaico ritu Paſcha a Chriſtianis celeſe, ſed dicit, non fuiſſe ſepultam, quo innuit, Deiparam reſurrexiſſe poſt mortem, & in Cælum aſſumptam fuiſſe.*

(a) *S. Epiph. Hær. 70. pag. 821. & ſeq. Tom. 1.*

(b) *Nota. S. Epiphanius Hæreſi 78. num 11: Non, ut objicitur, aſſerit, Deiparam, Virginem Mortuam non eſſe, ſed dicit, non fuiſſe ſepultam, quo innuit, Deiparam reſurrexiſſe poſt mortem, & in Cælum aſſumptam fuiſſe.*

lebraretur: ſed tamen nec iſta verba in eo Epiphanii loco leguntur: nec ita ſe ſe res habet. Imprimis Epiphanius non falſo, ſed verè narravit, atque conſcripſit, *a primis uſque temporibus varias in Eccleſia de Paſchatis ſolemnitate controverſias extitiſſe:* nec tamen Apoſtolos decriviſſe, ut *Judæorum more*, quem Audiani *errando* obtrudebant, *Paſcha celebrandum eſſet*: quem morem Judaicum, & Audianorum errorem Epiphanius eodem Apocrypho Decreto, quo iſti Hæretici *perperam* abutebantur, propterea coarguit, (a) quia in illo ſcriptum erat, quod quidam *ipſi*, qui e circumciſione prodierant, ac Paſcha judaico more celebrabant, *aberrent*: in quibus vide, quid Ephiphanio artiſcerit, quidque ipſi ex adverſo Dallæus eum aliis affinxerit. Nempe Epiphanius adverſus illos Heterodoxos probavit, Apoſtolos, ſi illa *dubiæ fidæi* conſtitutio ſpectetur, non decreviſſe, ut Paſcha *Judæorum more*, quem Audiani ſequebantur, celebraretur: ſed eoſdem Apoſtolos id ſtatuiſſe, quod error ſit, Paſchatis feſtum a Chriſtianis celebrari debere ritu *Judæorum*, quippe quorum aliqui Apoſtolorum tempore ad Chriſti fidem converſi, & tamen judaicum illum morem retinentes, *aberrarent* utique a Chriſtiana *celebrandi Paſchatis* regula: quam ſervantes Apoſtoli, judaicum illum morem in Chriſtianis damnarunt erroris, ſi ſcilicet aliqui ex ipſis Judæorum ritu illum adhiberent: Non igitur illud Dallæi figmentum, ſed iſtum errorem Epiphanius ſic retulit, ut etiam alia ipſius Cenſoris dicta de Epiſcopis Hieroſolymitanis, qui judaici illius ritus munere fungerentur, aperte reprobarit his verbis: *poſt conſtitutionem illam quindecim Epiſcopi Hieroſolymis fuerunt, quorum auctoritatem ſequi, & Paſcha celebrari debuit orbis, ut una eſſet ipſius celebritatis profeſſio*; cujus *ratio firmata* fuit a NicænoConcilio *Conſtantini temporibus:* Porro autem Nycæna Synodus ſtatuit, non more judaico, ſed Die Dominico poſt XIV. lunam Paſcha a Chriſtianis celebrandum eſſe. Non ergo illi *Hieroſolymitani Epiſcopi* ritum judaicum, ſed Chriſtianum celebrandi Paſchatis morem ſecuti: hunc, non illum, Epiſcopatus munere fungentes docuerunt, referente Epiphanio, & commenta illa delente.

Hic Sanctus etiam Sethianos Hæreticos evertit, qui & omnia ab Angelis producta fuiſſe, & Sethum quem ante diluvium vixiſſe conſtat, Chriſtum fuiſſe, errore effutiebant: quos hoc modo deceptos eſſe, Epiphanius exhibuit: „ (a) Unde, quæſo, Sethiani falſas illas narrationes acce-
„ perunt, dum & fictas fabulas ob-
„ trudunt, & quæ nunquam facta
„ ſunt, pro veris velut ſomniantes
„ effutiunt? Quæ autem vera, ſoli-
„ daque ſunt, procul a ſuis ipſi men-
„ tibus rejiciunt: ſed nimirum totum
„ iſtud ex mali voluntate Dæmonis,
„ afflatuque conceptum humanis inge-
„ niis adheſit. Qua in re non minus
„ conſiderandum illud, quam admi-
„ randum venit, quemadmodum ille,
„ cum homines in abſurda, indigna-
„ que quamplurima pellexerit, quæ
„ in ſcelus pertraxerit, ſtupra vide-
„ li-

(a) *S. Epiph. hær. 34. num. 8. pag. 284.*

„ licet, adulteria, libidines, idolo-
„ rum ſuperſtitiones, ac preſtigias,
„ profuſiones ſanguinum, rapinas, &
„ inſatiabiles cupiditates, aleam, vo-
„ racitatem, aliaque id genus flagi-
„ ria: nunquam tamen ante Chriſti
„ ſervatoris adventum contumelioſam
„ in Dominum ſuum jactare vocem,
„ vel rebellare fit auſus. Expectabat
„ ſiquidem, dum Chriſtus adveniret,
„ ut vel ipſe profitetur his verbis:
„ de te ſcriptum eſt, quoniam Ange-
„ lis ſuis mandabit de te, & in ma-
„ nibus portabunt te. Illud enim per-
„ petuo a Prophetis nuntiatum au-
„ dierat, Chriſti Domini præſentiam
„ eorum redemptionem fore, qui pec-
„ caſſent, ac pœnitentiam ſuſciperent.
„ Quare & ipſe miſericordiæ nonnihil
„ ſe conſecuturum ſperabat verum
„ ubi ſuam ad obtinendam ſalutem
„ converſionem a Chriſto repudiari
„ infelix animadvertit, os illico con-
„ tra Dominum aperuit, ac maledi-
„ centiam omnem evomuit. Quin
„ eam mentem hominibus injecit, ut
„ vero contempto Deo, alium, qua-
„ ſi nuſpiam eſſet, inquirerent. Hoc
„ igitur modo Sethianos in fraudem
„ impulſos eſſe, undequaque conſta-
„ bit.

Ex his igitur ultimis verbis conſtat, S. Epiphanii oppinionem non fuiſſe, ut Diabolus, ex quo lapſus eſt, ſuam æternam damnationem ignoraret; quippe quia Dæmon ipſe per *fraudem* hoc *mentibus* Sethianorum iniecit, ſe Chriſti adventu *nonnihil Miſericordiæ conſecuturum*. Non ergo omnem miſericordiam, qua prorſus conuerteretur, conſequi ſperabat ea ratione, quod ſe ſciret Dei judicio damnatum: quæ Diaboli damnatio cum non tam aperte in Veteri teſtamento, quam in Novo, ubi Dominus *ignem æternum Diabolo, & Angelis ejus* præparatum edicit, explicetur: idcirco *ſuam converſionem a Chriſto repudiari infelix animadvertit*, non quod veram converſionem ſperaret; Sed quia ſuam damnationem a Chriſto magis patefactam videret, unde *nonnihil* miſericordiæ ſe *conſecuturum* Sethianis ſubdole Dæmon ſuadebat, & inde nihil a Chriſto Deo, & homine ſe obtinuiſſe ſuggerebat, ut ipſos Sethianos in illam *fraudem impelleret*, qua ipſi Chriſtum Deum & hominem impie negarunt, & Sethum dumtaxat hominem, qui ante Diluvium vixerat, Chriſtum fuiſſe, hæreſi aſſeruerunt. Non ergo Epiphanius narrationem illam veluti ſuam, ſed ut Diaboli commentum illorum Hæreticorum mentibus iniectum expoſuit; quippe qui ſtatim adiunxit, quod *hoc modo* utique commentitio Sethianos *in fraudem impulſos eſſe, undequaque conſtabit*.

Exponam nunc non ſapientis judicia, ſed Dallæi delirantis Somnia, qui Sanctum Johannem Chryſoſtomum Somniantem appellare nequiter auſus eſt; cum ne ipſe quidem Dallæus vigilans viderit, illam Homiliam ſecundam in Pſalmum quinquageſimum nullo prorſus modo eſſe S. Johannis Chryſoſtomi prolem: ut pote quæ ex illis commentariis, qui Euſebio Cæſarienſi Epiſcopo adſcripti ſunt, & ex aliis aliorum interpretationibus contexta ſit, atque a S. Joannis Chryſoſtomi ſtylo, & doctrina maxime abhorreat, ac recentioris cujuſdam Græculi ſtylum ſapiat, qui errando ait, quod Da-

vid (a) eos Pſalmos, qui quinquageſimum conſequuntur, *Spiritu Sancto vacuus conſcripſit*. Fide, & Spiritu Sancto vacuus impoſtor hic fuit. Fide, & critice vacuus Dallæus erat, ut qui ab hujuſmodi impoſtoribus inania, & falſa ſomnii tui teſtimonia petierit.

Alium quoque impoſtorem Julianum Pelagianum Dallæus ſecutus, falſo contendit, S. Johannem Chryſoſtomum dixiſſe, quod Parvuli (b) carent *peccato:* at vero Julianus, ut alibi vidimus, Chryſoſtomi locum depravarit & pro *peccatis*, quæ in Chryſoſtomi homilia legebantur, *peccatum* ſuppoſuit: quam violati textus ſuppoſitionem S. Auguſtinus ex græco S. Johannis Chryſoſtomi codice oſtendit, ſimulque probavit, a Chryſoſtomo non originalem culpam, quam is aliis in locis affirmat, ſed peccata quæ parvuli actu committere nequeunt, negari. Dallæus ergo Juliani fraudes conſectatus Chryſoſtomum perperam carpit & falſo.

Tum autem S. Johannes Chryſoſtomus (c) ex S. Paulo Apoſtolo, Chriſtum orbi ſalutem attuliſſe, adverſus Judæos ita monſtravit: „ Neque ab hoc uno deſiſtit, ut cum tibi dixerit Judæus, quomodo uno Chriſto recte operante orbis ſalutem eſt adeptus, poſſis ipſi dicere, quomodo uno inobediente Adamo, orbis condemnatus eſt? (d) Nam judicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in juſtificationem. Ecquid hoc ſibi vult? quod peccatum, & damnationem inducere potuerit, gratia verò non illud modo peccatum abſtulerit, ſed alia quoque omnia, quæ poſt illud admiſſa ſunt.... ideo non hic dixit gratiam, ſed *abundantiam gratiæ*. Non modo enim quantum opus erat ad peccatum tollendum, ex gratia illa accepimus, ſed multo amplius. ..Quenam igitur hic quæſtio eſt? Nempe dicere per inobedientiam unius multos effici peccatores... Quod enim uno peccante, & mortali facto, qui ex illo orti ſunt tales efficiantur, id a veriſimili non abhorret. Quod autem ex inobedientia illius alter peccator fiat, id quam conſequentiam habuerit? Invenietur quippe ille non pænas debere, niſi ex ſe peccator fuerit, quid igitur hic ſignificat *peccatores?* Mihi quidem videtur ſupplicio obnoxios, & ad mortem damnatos. Quod igitur Adamo mortuo, omnes ſimus mortales effecti, id clare & pluribus oſtendit.... Quod quæritur autem eſt, cur ita factum ſit, ſed nondum illud adjicit, neque enim id ad rem præſentem pertinet. Nam contra Judæum decertatur, qui dubitat, ac deridet illam per unum hominem juſtitiam. Ideo poſt quam oſtendit, ſupplicium ab uno in omnes derivatum, cur id factum ſit, non addit: neque enim ſuperflue lo-

„ qui-

(a) *Vide homiliam illam II. Tom. 5. op. S. Jo. Chr.*

(b) *Vide Diſſ. IV. pag. 209.*

(c) *S. Jo. Chryſ. homil. X. in Epiſt. ad Rom. pag. 520. Tom. IX.*

(d) *Rom. 16.*

„ quitur; ſed circa neceſſaria tan-
„ tum inſtat. Hoc enim non magis
„ illum, quam Judæum dicere coge-
„ bat certaminum lex, quaproter
„ rem inſolutam relinquit... poſt-
„ quam enim oſtendit ab Adamo
„ damnatum orbem, & a Chriſto
„ ſalute donatum, atque ſupplicio
„ liberatum: opportune de lege quæ
„ rit, opinionem, quam de illa ha-
„ bebant, deprimens... quod igitur
„ Chriſto fuit Crux, & Sepulchrum:
„ hoc nobis baptiſma fuit: etſi non
„ iiſdem in rebus. Ipſe namque
„ carne mortuus, ac ſepultus eſt,
„ nos autem peccato utrumque: qua
„ propter non dixit, complantati
„ cum morte, ſed in ſimilitudine
„ Mortis: Mors enim eſt & hoc, &
„ illud, ſed non ejuſdem, ſubjecti.
„ Mors enim Chriſti eſt mors pecca-
„ ti noſtra, ac quemadmodum illa,
„ ſic & hæc vera eſt.... Soluto
„ namque majore, nimirum pecca-
„ to, de minore, nempe mortis exi-
„ tio non eſt, quod dubitetur.

Hoc Chryſoſtomi argumentum ex Apoſtoli teſtificationibus erutum firmiter monſtrat, Judæos, cum a Chriſto ſalutem orbi allatam negarent multum erraſſe: quem errorem Chryſoſtomus eo coarguit, quod ſicuti *Adamo inobediente orbis damnatus fuit*: ita ex adverſo ipſe *Orbis ſalutem adeptus eſt, Chriſto recte operante*. Cujus *gratia* abundans *non illud modo peccatum abſtulit, ſed alia quoque omnia poſt illud admiſſa*: quod nullum aliud fuit, niſi *Adami inobedientis peccatum*, quo *orbis condemnatus eſt*, quodque ab *aliis omnibus poſt illud* ipſum *admiſſis* plane diſtinguitur; atque ita originale delictum eſt; cujus extantiam Chryſoſtomus ea non diluta, ſed firmiſſima ratione probavit. Quia ſolus Chriſtus ſua *morte*, ac *Baptiſmate* tantum gratiæ tribuere potuit, *quantum opus erat ad illud tollendum*: unde gratiæ abundantiam Chriſtus *orbi* largitus eſt, qua & alia omnia peccata poſt illud admiſſa, auferrentur, & ſalus æterna obtineretur. Quam tamen Chriſti gratiam Judæus nefarie *deridens*, atque argumentum ex Adæ peccato deductum infirmare fruſtra conatus, interrogando objiciebat, *quod uno mortali facto, ii, qui ex eo orti ſunt, mortales efficiantur, id a veriſimili non abhorret: quod autem ex inobedientia Adæ alter peccator fiat: id quam conſequentiam habet?* Hæc non S. Johannis Chryſoſtomi, quem falſitatibus Dallæus appetit ſed Judæi argutatio erat; quippe qui adverſus Chriſtum impie *decertabat*, & inique *deridebat* ejus *juſtitiam*, qua videlicet *Adami peccatum*, quo *orbis condemnatus* fuerat, *abſtulit*, & *ſalutis æternæ* fontes aperuit. Hæc in antecedentibus, & conſequentibus Chryſoſtomus ita declaravit, ut aperte ſubiunxerit; & *mortem peccati noſtram* eſſe *ac veram*; et per Chriſtum *ſoluto majore, nimirum peccato, de minori, nempe mortis exitio dubitandum non eſſe*: quod S. Doctor ſubſtituit adverſus Judæum errantem, & effutientem, ex Adæ peccato mortem non certa, ſed *veriſimili* ratione ortam fuiſſe: cui *veriſimili* commento proinde Chryſoſtomus oppoſuit *quod de mortis exitio non eſt quod dubitemus*. Atqui non de certo, ſed de *veriſimili* dubitatur. Ergo illa veriſimilitudo Judæi erat objectio, non autem argumentatio Chryſoſtomi, ut qui illi dubitationi judaicæ objecerit,

noſtram Mortem peccati ab Adamo inobediente admiſſi, atque adeo originalem culpam, *qua peccatores, & mortales effecti ſumus*, quamque Chriſtus ſua morte *abſtulit*, ejuſque baptiſmus aufert, & veram eſſe, & de ea dubitari non poſſe.

(a) Itidem S. Johannes Chryſoſtomus de Sara agens Chriſtum e Virgine natum eſſe, contra Judæos ſic vicit: „ Quando igitur tibi dicit Ju„ dæus, quomodo peperit Virgo? Dic „ ei: quomodo peperit ſterilis, & ve„ tula? Duo impedimenta tunc erant, „ ætas intempeſtiva, & natura vitia„ ta: In Virgine autem unum impe„ dimentum fuit, quod non eſſet par„ ticeps concubitus. Sterilis igitur „ jam viam parat Virgini. Et ut ſcias, „ propter hoc ſteriles prius fuiſſe, ut „ credatur Virginitatis partus: Audi „ verba Gabrielis ad Virginem dicta, „ poſtquam enim venit, & dixit: (b) „ *concipies in utero, & paries Filium*, „ *& vocabis nomen ejus Jeſum*: obſtu„ pefacta eſt, & admirata, dixitque: „ *quomodo erit mihi iſtud, quia Virum* „ *non cognoſco?* Quid igitur Angelus? „ *Spiritus Sanctus ſuperveniet ſuper te*, „ *& Virtus Altiſſimi obumbravit tibi*. „ Ne queras, inquit, naturæ modum, „ & ordinem; quando ſuper naturam „ ſunt, quæ fiunt; ... *Et quomodo fiet* „ *iſtud*, inquit, *quoniam virum non co*„ *gnoſco?* Sane propter hoc erit, quo„ niam virum non cognoſcis: Nam ſi „ cognoſceres Virum: Non fuiſſes ha„ bita digna, ut huic Miniſterio ſer„ vires. Itaque ea de cauſa crede: non „ quia malum nuptiæ: ſed quia me„ lior Virginitas, hunc autem ingreſ„ ſum noſtri omnium Domini dignio„ rem eſſe oportet, quam noſtrum. „ Regius enim fuit introitus. Opor„ tebat ei communem cum noſtro ejus „ eſſe ortum, & diverſum a noſtro. „ Utrumque evenit. Et quomodo? audi. „ Nam de utero prodire hoc commune „ nobiſcum eſt: abſque nuptiali au„ tem congreſſu naſci, ſupra naturæ „ eſt Originem. Uterum geſtare te„ id naturæ eſt humanæ: ſine congreſ„ ſu uterum geſtare; id natura hu„ mana ſublimius. Uteri præſtan„ tiam, & communionem, quam „ tecum habet, ediſcas: Conſidera „ autem quanta Sapientia hæc facta „ ſint, neque eminentia obſuit ſi„ militudini, & affinitati ejus no„ biſcum; neque noſtra affinitas, & „ ſimilitudo ejus obſcuravit excel„ lentiam.

Dicam ergo, Dallæum neſciſſe, quod Chryſoſtomus ſciverit Chriſtum non ex humano *concubitu*, ſed e Virgine ortum fuiſſe, ac ſic humanam ejus naturam originali culpa, quæ ex illo concubitu ordinarie trahitur, vitiatam non eſſe. Nam in Sara *duo impedimenta*, unum *ætatis*, alterum *naturæ vitiatæ* S. Doctor diſtinxit. Labes vero originalis non eſt ætatis, ſed naturæ humanæ vitium a primo homine inductum: quod proinde Originale vitium in Sara fuiſſe Chryſoſtomus intellexit, cum ipſius *Vetulæ ætatem ab ejus Natura vitiata* diſſerte ſecrevit. Atqui in *Virgine Maria unum dumtaxat impedimentum erat*, quod videlicet *non eſſet particeps concubitus*. Ergo ſecundum Chryſoſtomum eadem in Vir-

(a) *S. Jo. Chryſ. hom.* 44. *in Geneſim pag.* 443. *Tom. IV.* (b) *Luca I.*

Virgine non fuit impedimentum alterum *natura* originali peccato *vitiata*: quia Virgo Maria *unum illud*, ac non adeo iſtud aliud impedimentum habebat. Itaque Dei Filius ut homo neque ex *humano concubitu*, neque ex muliere, in qua originalis labes eſſet; ſed ex Maria Virgine, cujus *Natura* extraordinarie Originali peccato *vitiata* non fuerat, quæque numquam humani concubitus particeps extitit, natus eſt, & haſce ob duas cauſas originali labe intactus in Mundum ingreſſus fuit *ſublimius*, quam nos, qui orti ſumus e *natura vitiata*, & ex nuptiarum concubitu. Chryſoſtomus igitur ſcivit, & naturam humanam originali labe *vitiatam* fuiſſe, & hac Labe intactum Chriſtum e Virgine ortum eſſe; quoniam in hac magni momenti cauſa *naturæ vitiatæ* rationem prius attulit ad oſtendendam Chriſti eminentiam, quippe qui non ex humano concubitu, ſed e Virgine, in qua *naturæ vitiatæ* impedimentum non fuerat, natus, humanam Naturam originali labe vitiatam non habuit, omnique vitio, culpa, & macula protinus caruit.

Nec verò Chryſoſtomus liberum hominis arbitrium magnificentius, quam ſupernam Dei gratiam, exhibuit. Siquidem S. Pauli Apoſtoli ſententiam latam in eos, qui ſe aliquid habere fruſtra gloriantur, enucleavit hoc modo: „ (a) Ponamus autem te eſſe dignum laudibus, & vere habere gratiam; nec eſſe corruptum hominum judicium: ne ſic quidem oportet te efferre, & ſuperbire. Nihil enim habes donum allatum, ſed a Deo acceptum. Quid ergo te habere profers, quod non habes? At tu hoc habes, & alii tecum acceptum. Ergo habes non hoc, aut illud, ſed omnia, quæ habes, non enim tua ſunt hæc recte facta, ſed Gratiæ Dei. Etiamſi fidem dicas; ea extitit ex vocatione. Et ſi dicas remiſſionem peccatorum, ſi dona, ac Chariſmata, ſi docendi rationem, omnia inde accepiſti: quid ergo habes, inquit, quod non habes acceptum.

Non ergo de ſuprema Dei gratia minus, quam de libero hominis arbitrio, nec de iſto excellentius, quam decuerat, Chryſoſtomus locutus eſt: Sed *omnia* hujus *recte facta*, quæ ad obtinendam celeſtem gloriam attinet, *Dei gratiæ accepta* eo retulit; quia *ſuperna hæc gratia vocationis Fidei, & Salutis* liberum humanum arbitrium ſic prævenit, ut homo *nihil*, niſi *a Deo acceptum habeat*, atque adeo *ſe efferre*, & *ſuperbire non debeat*; proindeque Chryſoſtomus liberum hominis arbitrium multo magis, quam decet, non extulit, quoniam liquido monſtravit hominem non debere ſe efferre, quia ex ſe *nihil habet*: quæ Chryſoſtomi doctrina convenit cum eo S. Cypriani teſtimonio, quo is dixerat, *in nullo gloriandum, quia noſtrum nihil eſt*: quam Cypriani teſtificationem adverſus Semipelagianos Auguſtinus produxit. Scio plura alia loca, quæ hic Dallæus confuſe, & immerito objicit, ea eſſe, in quibus vel de Abrahami fide, vel de S. Pelagia Chryſoſtomus egit: quæ tamen

(a) *S. Jo. Chryſ. Homil. 12. in ep. ad Cor.*

men ex iſto loco, in quo S. Doctor de *gratia Dei* expreſſe tractavit, explicari debent: Secundum quem *ſi quis ſe fidem habere dicat, ſi remiſſionem peccatorum, & Chariſmata proferat*: ea omnia, quibus aut Abraham, aut S. Pelagia ornati fuerant, ex Dei vocatione, & ſuperno auxilio ita *extiterunt* ut Abraham libere Deo credens, & Pelagia libere pœnitens, non *ſuperbierint*, ſed *laudibus Dei vocationem, & gratiam extulerint*, Chryſoſtomo præmonente, & Dallæi inanes voces retundente. Verum idem Chryſoſtomus de Sanctis Martyribus iſta ſcripſit: „ *(a)* Religionis „ Athleræ in Cœlos cum aſcenderint „ concurrunt Angeli; omneſque undi- „ que confluunt ſupernæ virtutes eo- „ rum conſiderant vulnera, & tanquam „ victores quoſdam, ac multarum Pal- „ marum bellatores e bello, ac præliis „ revertentes, mulris trophæis, ac vi- „ ctoriis partis, cum voluptate exci- „ piunt eos omnes, & amplexantur; „ ac deinde multo ſatellitio circum- „ ſeptos ad Regem Cœlorum, ad il- „ lum thronum multa gloria redun- „ dantem, ubi Cherubim, & Sera- „ phim adſtant, deducunt, cum verò „ illuc advenerint, eumque, qui thro- „ no inſidet, adverterint, multo ma- „ jori, quam a Conſervis, a Domino „ afficiuntur honore ... Quando igi- „ tur maximam ipſi Charitatem de- „ monſtrarunt, ipſos excipit honori- „ fice, atque illa gloria pertruuntur, „ participes fiunt Chorearum, & Can- „ ticis Myſticis communicant.

Rurſus S. Doctor exponens illa Pauli Apoſtoli verba, *Si in hac vita tantum ſperantes in Chriſto ſumus; miſerabiliores ſumus omnibus hominibus*: hæc habet: „ *(b)* Quid dicis o Paule, „ quomodo in hac vita ſperantes ſu- „ mus, ſi corpora non reſurgunt: cum „ maneat Anima, & ſit immortalis? „ Quoniam ſi maneat anima, & mil- „ lies ſit immortalis, ſicut eſt revera, „ abſque Carne non accipiet bona illa „ ineffabilia .... Et nunc rurſus ali- „ ter ait, & ut maxime doleant, idem „ faciens, ac dicens, miſerabiliores ſu- „ mus omnibus hominibus, ſi poſt tot „ bella, & mortes, & mala innume- „ rabilia tantis bonis ſumus privandi.

Demum ipſe Chryſoſtomus de Coronis, quas in Die Judicii univerſalis a Deo Juſti accipient, hæc ſcribit: „ *(c)* Definivit omnibus unum „ tempus coronarum: etiam qui tam „ multis ante te annis vicit, tecum „ accipit Coronam: vides Dei curam, „ & providentiam. Non dixit, ne „ ſine nobis coronentur; ſed *ut non* „ *ſine nobis conſumarentur* itaque tunc „ quoque apparent perfecti. Præceſ- „ ſerunt in Certaminibus, ſed non „ præceſſerunt in Coronis. Ipſi enim „ fratres expectant. Nam ſi omnes „ ſumus unum Corpus; exiſtit huic „ corpori major voluptas quando „ communiter coronatur, & non „ ſingulatim.

Itaque ex anteriorum Patrum traditione Chryſoſtomus aſſeruit, Religionis Athleras, quando Martyrium ſubeundo maximam Charitatem demonſtrarunt, in Cœlos aſcendiſſe,

(a) *S. Jo. Chryſ. Homil, 74. de Mart.*
(b) *S. Jo. Chryſ. Homil. 34. in Ep. ad Corr. pag. 260. Tom. X.*
(c) *S. Jo. Chryſ. Homil. 28. in Bap. ad Hab. pag. 2. Tom. XII.*

diſſe, & ad Regem Cælorum, atque ad ejus Thronum *multa gloria redundantem deductos*, *illa ipſa gloria perfrui*: qua proinde ante ſuorum corporum reſſurrectionem fruuntur; *quando enim maximam Charitatem Martyrio demonſtrarunt*: tunc ipſos *e bello, ac præliis revertentes*, atque adeo ſtatim poſt eorum mortem, & multo ante ultimi judicii diem, *Angeli exceperant, & ad Cæleſtem gloriam, qua perfruuntur, deduxerant*: Dallæus igitur falſo pertendit, ex Chryſoſtomo clarum eſſe, Juſtorum animas ante ſupremum reſurrectionis diem Cælis excludi: cujus tamen contrarium S. Doctor lucide ſcripſit, quod ſcilicet *religionis athletæ ex hujus vitæ præliis revertentes*, illumque adeo diem ſupremum antevertentes, in *Cælos aſcenderint*: Sed Cænſor allatum poſteriorem Chryſoſtomi locum objectat: in quo ille non vidit, duas verborum Apoſtoli explicationes a Chryſoſtomo adhibitas eſſe: quarum una docuit, Juſtos *poſt bella*, *poſt innumerabilia hujus vitæ mala*, *ac poſt mortes Æternis ineffabilibus bonis privandos non eſſe*: qui proinde *poſt mortes ſuas* gaudent illis cæleſtibus bonis ante omnium reſſurrectionem.

Hinc quamquam in altera expoſitione dixit, quod Juſti *animæ abſque carne non accipient illa eadem bona*: nihilominus id non de bonis, quibus animæ Juſtorum poſt Mortem fruuntur, ſed de Gloria conſumata, atque completa animæ, & corporis intelligendum eſt: quatenus Juſti poſt corporum reſſurrectionem *majori voluptate*, aut gaudio afficientur; ſicuti ipſe S. Doctor poſtmodum declaravit.

Sed neque pro damnatis orandum eſſe Chryſoſtomus docuit, dum de Peccatore moriente ſic egit: „ (a) Anima quippe ceu domum quandam
„ deſerens, pergit ad Dominum ſuum.
„ Tu vero luges. Luge peccato-
„ rem, & ego lacrymas fundam. Im-
„ mo tanto magis, quam tu, quanto
„ majore ille ſupplicio obnoxius eſt.
„ Ego quoque hunc habens ſcopum
„ lugebo talem mortuum. Non te
„ ſolum, ſed totam Civitatem lugere
„ oportet, nec non omnes occurren-
„ tes nempe quaſi eos, qui ad mor-
„ tem ducuntur. Vere namque hæc
„ mala mors eſt mors peccatorum.
„ Sed res ſus deque verſæ ſunt. Hic
„ luctus & Philoſophicus eſt, & do-
„ ctrinam habet multam. Ille vero ex
„ puſillanimitate proficiſcitur. Si ita
„ lugeremus omnes, illos viventes e-
„ mendaremus. Quemadmodum ſi poſ-
„ ſes pharmaca adhibere, quæ mor-
„ tem illam corporalem arcerent: ad-
„ hiberes utique: ita & nunc ſi hanc
„ lugeres mortem: & a te, & ab illo eam
„ ipſam arceres. Nunc autem ænigma
„ eſt, quod accidit; quod cum poſſi-
„ mus impedire, quominus mors illa
„ accidat, non impediamus, ſed cum
„ accidit, lugeamus. Vere lachrymis
„ digni ſunt, cum ſtabunt ante tribu-
„ nal Chriſti qualia verba audient,
„ qualia patientur.... At hic totam
„ Vitam ſuam perdidit, neque vel
„ una die ſibi vixit; Sed deliciis, lu-
„ xuriæ, avaritiæ, peccato, Diabolo.
„ Annon quæſo hunc lugebimus? An-
„ non conabimur a periculis eruere?

„ poſ-

(a) *S. Jo. Chryſ. Homil. 2. in Acta Apoſt.* *pag.* 174. *Tom. IX.*

„ Poſſumus certe poſſumus, ſi volu-
„ mus, ejus ſupplicium levius efficere,
„ ſi frequenter orationes pro illo fun-
„ damus, ſi Eleemoſynam demus. E-
„ tiamſi ille indignus ſit, nos Deus
„ exaudiet... Si propter Paulum alios
„ ſervavit, & propter alios parcit: cur
„ non idipſum propter nos etiam fa-
„ ciet?

Hoc Chryſoſtomi contextu Dallæus abutitur, falsò pertendens præces ab illo pro damnatis approbatas, & velut certè utiles commendatas fuiſſe: a qua approbatione longius abeſt Chryſoſtomi oratio: in cujus connexis is Sanctus non de peccatore jam damnato, ſed de iniquo adhuc *vivente*, & morti proximo, qui ſicut alius peccator *mortuus* ante Chriſti tribunal adſtit, ita *ante* hoc idem *tribunal* adſtabit, apertiſſime loquitur, pro eoque Moriente, non pro alio jam mortuo, & damnato, *orationes fundendas* liquido monet, ut *iſte a periculo eruatur*. Atqui non iniquus jam mortuus, & damnatus, ſed peccator moriens in damnationis periculo eſt. Ergo Chryſoſtomus non approbavit, pro damnato preces adhibendas eſſe, quibus a damnatione liberandus eſſet; qui error Origenis fuit, ſed ſolum commendavit, *orationes fundi* debere pro *peccatore*, adhuc *vivente*, & proximo morti, ut emendetur, & a *periculo* æterni *ſupplicii* graviſſimi eruatur: a quo, dum moritur, erutus & inde mortuus *leviori ſupplicio* purganti addicetur: illi *periculo* devitando Chryſoſtomus ſtatim addidit *orationes fundendas*: quas proinde pro damnatis fieri, vel etiam, ut iſti æterna damnatione eximantur, utiles eſſe, nunquam Chryſoſtomus approbavit, nunquam protulit, nunquam commendavit.

Neque etiam id S. Auguſtinus, & alii, quos Dallæus citat, approbarunt, ſicuti poſtea videbimus.

Nunc autem plura S. Hieronymi dicta complectar: qui primum Origenis errori, quo iſte damnatas peccatorum animas aliquando æternis pænis liberandas eſſe effutiebat, non favit.

Qua propter prius afferam ejus commentarium in Caput IV Amos Prophetæ; Cujus hæc ſacra pronuntiata S. Hieronymus primitus affert: *Ecce dies veniunt ſuper vos, & tollent vos in Armis:* quæ S. Doctor interpretatur hoc modo: „ (a) Quan-
„ do venerit contra Hæreticos dies
„ judicii, atque vindictæ: tunc au-
„ ferentur in armis, hoc eſt, cum
„ armis ſuis, quibus adverſus Ec-
„ cleſiam dimicaverant: vel victi
„ armatura Dei, & ab illius Pugna-
„ toribus ſuperati mittentur in Le-
„ bethes, ut exurantur, & exco-
„ quantur, qui fuerunt prius nego-
„ tiatores peſtilentes: ad hoc enim
„ negotiabantur, ut morti trade-
„ rent, quos deceperant. Iſti ſunt,
„ de quibus dicitur; (b) *Filii Heli*,
„ *Filii Peſtilentiæ*, qui in Cathedra
„ peſtilentiæ ſederunt. Cumque ex-
„ cocti fuerint, & exuſti, egredien-
„ tur nudi, nihil eorum habentes
„ quæ ſibi antea præſumebant, &
„ videbunt ignominiam ſuam, &
„ proiicientur ſuper Montem Rem-
„ man, qui interpretatur ſublimi-
„ tas

(a) *S. Hier. lib. 2. Comment. in Cap. IV. Amos pag. 259. Tom. VI.* (b) *Reg. 2.*

,, tas, ut in ſuperbia ſua conteran-
,, tur. Quidam Remman viſionem
,, alicujus, ideſt? *ὁρασιν τινὸς*, inter-
,, pretantur. Non enim omnia vi-
,, dere poterant, ſed ſibi partis ali-
,, cujus ſcientiam promittebant, ut
,, proiiciantur.

Etgo Dallæus ſe in impoſtorum numero ponit, falsò aſſerens, Hieronymum commentario in Amos ſcribere, *Hæreticos, & Peccatores liberatum iri*. Nichil tale S. Doctor inibi ſcripſit; ſed tantum ait. *Hæreticos* in die judicii *exuri, & excoqui ut & conterantur in ſuperbia ſua, & proiiciantur*. Non igitur Hieronymus Origenis delirium de Damnatorum purgatione, & ſalute ſequi videtur; quia eos in die Judicii non purgati, ſed *conteri*, nec ſalvari, ſed *proiici*, diſertius affirmat.

Adhæc idem S. Doctor ea, quæ de *Inferno* Iſajas Ppheta (*a*) enunntiarat, ita explicavit: ,, Infernus, &
,, mors dilatavit animam ſuam, & aper-
,, uit os ſuum, & abſque ullo nume-
,, ro, & ſatietate devoravit in perpe
,, tuum puniendos.... Quicquid d.
,, populo dicimus Judeorum tropolo-
,, gice referri poteſt ad eos; qui ſæ-
,, culi deliciis occupati, nec reſpicien-
,, tes opera Dei, captivi ducuntur
,, peccatorum, & non habent ſcien
,, tiam Dei: & id circo fame, & ſiti
,, pereunt bonorum operum, atque vir-
,, tutum, & detrahentur in gehennam
,, ibique æternis cruciatibus deputati,
,, potentiam, & ſuperbiam miſeria
,, cernent, & humilitate mutari....
,, Sicut Diaboli, & omnium
,, (*b*) negatorum, atque impiorum,
,, qui dixerunt in corde ſuo, non eſt
,, Deus credimus æterna tormenta:
,, Sic Peccatorum, atque impiorum,
,, & tamen Chriſtianorum, quorum
,, opera igne probanda, atque purganda
,, ſunt moderatam arbitramur, & mix-
,, tam clementiæ ſententiam Judicis.

Denique S. Hieronymus contra Pelagium, qui a gravibus peccatis levia non diſtinguebat, & hæc æternis ignibus puniri effutiebat, (*c*) id dixit:
,, In hoc delirant Stoici, paria con-
,, tendentes eſſe peccata... Levia cum
,, levibus, & gravia cum gravibus
,, comparantur. Nec ferula di-
,, gnum vitium gladio vindicandum
,, eſt... Illud vero, quod in ſequenti
,, ponis capitulo; in die Judicii ini-
,, quis, & peccatoribus non parcen-
,, dum, ſed æternis eos ignibus exu-
,, rendos, ferre quis poteſt, & inter-
,, dicere te miſericordiam Dei, & an-
,, te diem judicii de ſententia Judicis
,, judicare; ut ſi voluerit iniquis, &
,, peccatoribus parcere te praſcribente
,, non poſſit? Dicis enim: ſcriptum
,, eſt in Centeſimo tertio Pſalmo: *de-*
,, *ficiant peccatores a terra, & iniqui,*
,, *ita ut non ſint*: & in Iſaja, *combu-*
,, *rentur iniqui, & peccatores ſimul, &*
,, *qui relinquunt Deum, conſumabuntur.*
,, Et non intelligis comminationem
,, Dei interdum ſonare clementiam.
,, Non enim dicit eos æternis igni-
,, bus exurendos, *ſed a terra deficere.*
,, & iniquos eos ceſſare. Aliud enim
,, eſt ipſos a peccato, & iniquitate
,, deſiſtere, & aliud ipſos perire in

L l ,, per-

(a) *S. Hier. lib. 2. Comm. in Iſaj. pag. 78. Tom. IV.*

(b) *Ibid. lib. 18. pag. 831.*

(c) *S. Hier. in Dial. cont. Pelag. pag. 700. Tom. 2.*

perpetuum, & æternis ignibus concremari. Denique Iſajas de quo ponis teſtimonium: *comburentur*, inquit *Peccatores & iniqui ſimul*, non addit in æternum. Et qui relinquunt Deum, conſumabuntur. Proprie hoc de Hæreticis loquitur, qui rectum Fidei tramitem relinquentis conſumabuntur, ſi noluerint ad Dominum reverti, quem dereliquerunt. Quæ ſententia & tibi parata eſt ſi neglexeris ad meliora converti. Deinde cujus eſt temeritatis iniquos, & Peccatores impiis jungere, qui a nobis ſic definiuntur. Omnis impius iniquus eſt, & peccator, nec reciprocatur, ut poſſimus dicere, omnis Peccator, & iniquus etiam impius eſt. Impietas enim proprie ad eos pertinet, qui notitiam Dei non habent, vel cognitam tranſgreſſione mutarunt. Peccatum autem, & iniquitas prò qualitate vitiorum poſt peccati, & iniquitatis vulnera recipit Sanitatem. Unde ſcriptum eſt in Pſalmo: (a) *Multa flagella peccatoris*, & non interitus ſempiternus; & per omnia flagella, atque cruciatus emendatur Iſrael... Quam ob cauſam & in primo Pſalmo canitur, quoniam non reſurgunt impii in judicio; jam enim in perditionem ſunt præjudicati; Peccatores autem in Judicium veniunt, ſed in conſilio juſtorum non reſurgunt: aliud enim eſt gloriam perdere reſurgendi; aliud perire perpetuo: veniet, inquit hora, in qua omnes, qui in ſepulchris ſunt, audient vocem ejus, & egredientur, qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ; qui autem mala egerunt, in reſurrectionem judicii. Unde & Apoſtolus eodem ſenſu, quia eodem & Spiritu, loquitur ad Romanos: (b) *Quicumque enim ſine lege peccaverunt*, ſine lege *peribunt: & quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur.* Sine lege impius eſt, qui in æternum peribit. In lege peccator credens in Deum, qui per legem judicabitur, & non peribit. Si Peccatores, & iniqui æternis ignibus exuruntur, non times ſententiam tuam, qui iniquum & peccatorem te eſſe dicis? Et argumentaris, hominem non eſſe ſine peccato, ſed eſſe poſſe. Ergo ſolus ille ſalvetur, qui nunquam fuit, nec eſt, ſed futurus eſt, aut forſitan nec futurus, & pereant omnes, quos verò fuiſſe legimus... Si autem, Origenes omnes rationabiles creaturas dicit non eſſe perdendas: & Diabolo tribuit pœnitentiam: quid ad nos, qui & Diabolum, & Satellites ejus, omneſque impios, & prævaricatores dicimus perire perpetuo; Et Chriſtianos, ſi in Peccato præventi fuerint, ſalvandos eſſe poſt pœnas.

In hoc minime perdifficili loco verſamur, ſi ipſum eam ſuperioribus, & ante edentibus ejus connexis conferamus: in quibus S. Doctor primitus ponit, *Diaboli, & omnium negatorum, atque impiorum hominum æterna eſſe tormenta*: ac præterea aliquot malos *Judæos*, & quoſdam Chriſtianos ab iſtis *tropologice* ſignificatos, qui *peccatorum*, præ-

(a) *Pſal. 31.*

(b) *Ad Rom. 2. 12.*

præſertim *ſuperbiæ captivi ducuntur*, *ac fame*, *& ſiti bonorum operum pereunt*, *æternis inferni cruciatibus deputandos eſſe, ibique in perpetuum puniendos:* a quibus *peccatoribus* proinde diſtinguit nonnullos alios Chriſtianos Paccatores quidem, ſed Pænitentes: quippe *quorum opera igne probanda ſint*, *atque purganda*: quæ pænitentiæ opera non plena fuerunt; ideoque & iſta, & levia ipſorum Chriſtianorum peccara *igne purgari* debent. Cum autem bona opera pænitentiæ uon omnino perfecta *igne purgentur:* tum Hieronymus ab illis gravium *peccatorum captivis*, *qui fame*, *& ſiti bonorum* operum pereunt, ſecernit alios Chriſtianos, *quorum opera pænitentium probanda ſunt igne*: Hinc S. Doctor arguit Pelagium, qui Stoicorum erroribus imbutus, & levia peccara a gravibus non diſtinguebat, & Chriſtianos eos, qui in levia peccata tantum labuntur, æterno igne puniendos effutiebat: Quem errorem Hieronymus oppugnans, ait, Scripturam *non* dicere, eos peccatores, qui *vel a peccato deſiſtunt*, vel in leves culpas incidunt, *æternis ignibus exurendos*: quapropter ex ſacris litteris Hieroymus dicit, *quod comburentur Peccatores*, *& iniqui ſimul; Non addit in æternum:* quodque *multa flagella Peccatoris*, *& non interitus ſempiternus; & per omnia flagella*, *atque cruciatus Iſrael emendatur*. *Iniquus ergo poſt emendationem* gravis peccari, ac hic poſt pœnitentiam Vita functus, ac *Peccator* ob levia peccata, quibus juſtus vivens non caruit, *igne* qnidem, ſed *non in æternum comburentur*. In hoc igitur loco Hieronymus & de peccatis levibus, & de igne purgante agens, declarar, *ea non in æternum puniri*, ſed aliquando *comburi*, ſive igne *mundari*. Quare dum ait, *Chriſtianos*, *ſi in peccato præventi fuerint*, *ſalvandos eſſe poſt pænas:* *illud leve eſſe*, *peccatum*, *& iſtes pænas* purgantes intelligit: quia *levia* peccata a gravibus antea contra Pelagium diſtinxit, & illa levia igne *purganda non æternum punienda*, addidit, ſicut *ferula dignum vitium gladio vindicandum non eſt*. Hoc de levibus peccatis S. Doctor prædocuit: Hoc igitur in contextu voluit: Hoc ergo concluſit, depulſa Origenis hæreſi, contra quam Hieronymus dicit, *Diabolum*, *& Satellites ejus*, *omneſque impios*, *& Prævaricatores perire perpetuo:* qua aſſertione S. Doctor uti *Diabolum ab impiis hominibus*, *& prævaricatoribus:* ita *impios homines a prævaricatoribus* diſerte ſecernit: iſti autem quidam ſunt Chriſtiani *prævaricatores Mandatorum Dei*, de quibus contra Pelagium inibi Hieronymus diſſerit, & ita ſentit, Chriſtianos aliquos Mandatorum Dei *prævaricatores perpetuo perire:* quos proinde ab aliis Chriſtianis non prævaricatoribus eo diſtinguit, quia hi in *levi peccato præventi ſint ſalvandi poſt pænas*. Quas S. Doctor Iſaiam explicans notat, & primum aſſerit, eos omnes, qui gravium peccatorum captivi ducuntur, quorum aliqui Chriſtiani ſunt, *deputandos eſſe æterno cruciatui:* a quo illam *purgationem* ſecludit; Ac ſic adverſus Origenem adſtruit, Damnatorum non aliquot modo, ſed omnium *Cruciatus æternos fore:* Chriſtianos autem non reprobos, ſed pie mortuos ob levia peccata *igne purgatum iri*, & liberatum, quippe *quorum opera* non reprobanda, ſed *probanda ſint atque purganda*, S. Scripruris, antiquioribus

Patribus, ac S. Hieronymo teſtibus.

Tum S. Auguſtinus de æterna vita, ac de morte æterna agens hæc ſcribit: „ (a) Fruſtra itaque nonnulli...
„ æternas damnatorum pœnas, & cru-
„ ciatus ſine intermiſſione perpetuos
„ humano miſerantur affectu, atque
„ ita futurum eſſe non credunt, non
„ quidem ſcripturis adverſando, ſed
„ pro ſuo motu dura quæque mol-
„ liendo ... Si hoc ad omnes exiſti
„ mant pertinere, non ideo neceſſe
„ eſt, ut damnationem opinentur poſ-
„ ſe finiri.... Sed pœnas damnato-
„ rum certis temporum intervallis
„ exiſtiment, ſi hoc eis placet ali-
„ quatenus mitigari:

Illi ergo putabant damnatorum pænas non finiri, ſed aliquatenus mitigari: quas tamen certo æternas eſſe docuit Auguſtinus.

Exinde S. Hieronymus de Dei Providentia agit, enucleans iſta Prophetæ Habacuc verba: *(b) Mundi ſunt oculi tui, ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris. Quare non reſpicis ſuper iniqua agentes, & taces devorante impio juſtiorem ſe*: & faciet homines quaſi piſces Maris, & quaſi reptile non habens principem? quæ S. Doctor ſic explicat: „ Si au-
„ tem (c) voluerimus generaliter in-
„ telligere ſuper Providentia, quæ-
„ rente Propheta: cur Diabolus tan-
„ tum valeat in ſæculo, & Domi-
„ nante Deo, alter exercet tyranni-
„ dem? iſtiuſmodi ſenſus erit, &
„ cum ſuperioribus hæc expoſitio
„ jungetur: Novi Domine Deus me-
„ us, Sancte meus, quia te provi-
„ dente, & defendente; non mori-
„ mur & ſcio, quia propterea po-
„ ſuiſti adverſarium, ut ipſo quaſi
„ Carnifice corriperes, & non occi-
„ deres Peccatores. Cum itaque tu
„ ſis univerſitatis rector, & Domi-
„ nus, tu, neceſſe eſt, facias, quod
„ ſine te fieri non poteſt. Et hæc di-
„ cit, non quod ipſe Propheta ſic
„ ſentiat, ut ſupra teſtatus ſum; ſed
„ quod impatientiam humanam in
„ ſua Perſona exprimat, ſicut fre-
„ quenter videmus Apoſtolum varias
„ hominum in ſe recipere ſententias,
„ & nunc dicere: *Video autem aliam*
„ *legem in membris meis repugnantem*
„ *legi mentis meæ, & captivantem me*
„ *in lege peccati, quæ eſt in membris*
„ *meis*.... Alioquin quomodo poteſt
„ ſic habere Deus homines quaſi pi-
„ ſces maris, & velut reptilia, quæ
„ non habent principem: cum An-
„ geli ſingulorum quotidie videant
„ faciem Patris, qui in Cælis eſt: &
„ circumdet Angelus Domini in cir-
„ cuitu timentium eum, & eripiat
„ eos. Sicut igitur in hominibus e-
„ tiam per ſingulos Dei cucurrit
„ Providentia, ſic in cæteris animali-
„ bus generalem quidem diſpenſa-
„ tionem & ordinem, curſumque
„ rerum intelligere poſſumus. Verbi
„ Gratia quomodo naſcatur Piſcium
„ multitudo, & vivat in aquis, quo-
„ modo reptilia, & quadrupedia orian-
„ tur in terra, & quibus alantur ci-
„ bis. Cæterum abſurdum eſt, ad
„ hoc Dei deducere Majeſtatem, ut
„ ſciat per momenta ſingula, quot
„ naſcantur culices, quotque mo-
„ rian-

(a) *S. Aug. in Enchir. Cap. 31.*
(b) *Habac. 1. V. 13. & 14.*
(c) *S. Hier. lib. 1. cap. 1. Comm. in Hab. pag. 602. Tom. 6.*

„ riantur, quæ cimicum, & pulicum
„ & muſcarum fit in terra multitu-
„ do, quanti piſces in aqua natent,
„ & qui de minoribus majorum præ-
„ dæ, cedere debeant. Non ſimus
„ tam fatui adulatores Dei, ut dum
„ potentiam ejus etiam ad ima de-
„ trahimus, in nos ipſos injurioſi
„ ſimus, eandem rationabilium,
„ quam irritionabilium providentiam
„ eſſe dicentes.

Itaque hoc divinæ Providentiæ credendæ, quæ in generalem, & ſpecialem tribuitur, fundamentum Hieronymus jecit, Deo dicens; *Cum tu ſis univerſitatis rector, & Dominus: neceſſe eſt facias, quod ſine te fieri non poteſt*. Ex quo S. Doctor, Dei providentiam aliam eſſe generalem, aliam particularem, argumentatur: quarum unam ea ratione declarat, quia *ſicut in hominibus etiam per ſingulos Dei currit Providentia: ſic in cæteris animalibus generalem Dei diſpoſitionem, & ordinem intelligere poſſumus*. alteram vero ſpecialem Dei Providentiam ad homines dirigi eo demonſtrat, quod non *ſicut animalia, non ſicut piſces, non ſicut culices*, ita Deus *homines habeat: quippe qui Deo providente, & defendente regantur*. Cum ergo Hieronymus ait, *abſurdum* eſſe, *ad hoc Dei deducere Majeſtatem, ut ſciat per momenta ſingula*, quot naſcantur *culices, quotque moriantur, quanti piſces in aqua natent, & qui de minoribus majorum præda cedere debeat*: Hiſce S. Doctor abſolute non negavit, iſta omnia animalia a Deo pernoſci, quoniam primitus aſſeruit, eadem omnia, & ſingula animalia, quæ ſunt in *univerſitate, ſine Deo fieri non poſſe*, ab eoque adeo ipſorum omnium ſingulorum ortus, interitus, prædas, numerum, *diſpoſitionem*, & *ordinem* ſciri. Ac proinde eo ſenſu Hieronymus voluit, *Dei maieſtatem ad hoc deducendam non eſſe*, ut in eodem numero, inque eadem ſpecialis Providentiæ ratione, qua hominibus *providet*, eoſque *defendit*, *volucres*, piſces, ſerpentes, & cimices habeat, ac tueatur. Cum autem ſine voluntate Dei paſſer (a) non cadat in terram: tum Hieronymus eam Dei voluntatem, & providentiam non circumſcripſit, ſed Deum univerſitatis Rectorem, ac Dominum ita aſſeveravit, ut, neceſſe eſt, faciat, quod ſine ipſo fieri non poteſt, ac proinde ſine Dei voluntate paſſer nec gignitur, nec cadit in terram, Evangelio, & Hieronymo ſignificantibus: a quo nec fatui judicati ſunt, qui malunt, infinitam Dei ſcientiam, ac Providentiam adorare, quam circumſcribere. Quia, cum Hieronymus Deum *univerſitatis Rectorem*, ſine quo nihil fieri poteſt, adſtra-

(a) *Nota. Matt. X. v. 29. & 31. Dominus diſcipulis ſuis dixit:* Nonne duo paſſeres aſſe veneunt: & unu ex illis non cadet ſuper terram ſine patre veſtro..... Nolite ergo timere: multis paſſeribus meliores eſtis vos: *quibus Dominus providentiam ſuam generalem de paſſeribus; & ſpecialem providentiam ſuam de diſcipulis affirmat; Quia iſtos* meliores paſſeribus *vocat. Diſtinctio igitur providentia generalis pro animalibus, & ſpecialis pro hominibus ab Hieronymo adhibita congruit Evangelio, contraquam falſo Dallaus occentat.*

ſtruxerit: & in omnibus, ac ſingulis inanimatis, & ratione carentibus *generalem Dei diſpoſitionem, & ordinem* expoſuerit: in hoc modum non exceſſit, ſed recte ſervavit, adorans cum fidelibus omnibus infinitam Dei ſcientiam, & providentiam: *ſine* qua nec rerum Mundi *univerſitati*, nec animantibus omnibus, & ſingulis tribu poſſunt ordo, & diſpoſitio. Solum igitur Hieronymus voluit, ut tam fatui, tamque injurioſi, in nos ipſos non ſimus, ut eandem *rationabilium, quam irrationabilium Providentiam eſſe dicamus;* ſed ut credendo agnoſcamus infinitam Dei ſapientiam, quæ erga *irrationabilia generalem diſpoſitionem, & ordinem* adhibet, & *rationabilia* ſpeciali providentia *defendit*, atque *conſervat*.

Idem S. Hieronymus, qui infinitam Dei potentiam, ſine qua nihil fieri poteſt, non circumſcripſit: neque etiam Sanctis poſt diſceſſum ſuum e corporibus infinitam Dei præſentiam, qua ſimul ubique eſt, attribuit, dum iſta errantia Vigilantii verba ita retundit: „ (a) Ais enim, vel in ſinu Abrahæ vel in loco refrigerii animas „ Apoſtolorum, & Martyrum conſedere, nec poſſe de ſuis tumulis, & „ ubi voluerint, adeſſe præſentes .... „ Tu Deo leges pones, Tu Apoſtolis „ vincula injicies, ut uſque ad diem „ judicii teneantur cuſtodia, nec ſint „ cum Domino ſuo? De quibus ſcriptum „ eſt, (b) *ſequuntur agnum, quocumque* „ *vadit:* ſi Agnus ubique, ergo hi, qui „ cum Agno ſunt, ubique eſſe credendi „ ſunt. Et cum Diabolus, & Demones toto vagentur in orbe, & celeritate nimia ubique præſentes ſint? „ Martyres poſt effuſionem ſanguinis „ ſui arca operientur incluſi, & inde exire non poterunt?

Hic S. Doctor adſignificavit, nec Chriſtum Agnum ut hominem, nec Apoſtolorum, & Martyrum, aliorumque Sanctorum animas ſimul & actu eſſe ubique præſentes: quippe qui ſequuntur Agnum quocumque vadit. At ſi Chriſtus ut homo, & ſanctorum animæ cum eo eſſent ubique præſentes: in hac hypotheſi non vaderent, neve ire it ad locum quemcumque: quia ſcilicet ſecundum iſtam hypotheſim eſſent ubique, ſicuti Chriſtus ut Deus, quoniam reapſe ut Deus ubique eſt, ad quemlibet locum non vadit, cum in omni loco ut Deus ſit præſens: ergo Hieronymus Chriſti divinitatem cum ejus humanitate non confundit; quia non illam, ſed iſtam ad *quemcumque* locum *vadere* aſſerit. Ea vero infinita præſentia Demones propterea carent, quia in toto *orbe noſtro vagantur*, atque adeo de uno loco in alium *nimia* tranſeunt *celeritate*, non tamen actu ſimul ſunt in toto orbe, alioquin in eo non *vagarentur*. Cum autem ſecundum Hieronymum *Demones* in ipſo orbe *vagentur*: idcirco non ſimul, ſed ſeorſum in eo ubique *vagantur*, & ſunt, quatenus non in omni orbis noſtri loco ſimul actu præſentes ſint, ſed ab uno loco in alium celeritate nimia progrediantur. Ergo non ſimul, ſed diviſim *ubique* poſſe eſſe Sancti *credendi* ſunt, dum e cælis, in quibus cum *Domino* ſunt, *exire* queunt, & fidelibus in terra degentibus opem ferre: & ad quemcumque terræ locum va-

(a) *S. Hier. in lib. contra Vigil. pag. 342. Tom. 2.*

(b) *Apoc.*

vadere. Non igitur actu ubique ſunt; quia ſi in omni totius orbis loco eſſent; non exirent de cœlis, neque ad quemlibet locum vaderent, cum ubique præſentes eſſent. Quapropter quoniam Hieronymus dixit, quod Sanctorum animæ Agnum, quocumque vadit, ſequantur: iſte ſucceſſionis motus, quo vadunt, non fert infinitam Sanctorum in omni loco præſentiam, ſed ſolum denotat, Sanctos, ubi voluerint, poſſe eſſe præſentes; cujus oppoſitum vigilantius errore aſſerebat.

(*a*) Tum vero Hieronymus neutiquam aſſerit, Sanctos Angelos, ſanctaſque juſtorum hominum animas, cum Beatitudine perfruantur obnoxios eſſe peccato: Sed illos, & iſtos dum in via erant, culpis ſubjacere potuiſſe adſignificat.

Ac S. Hieronymus ea, quæ contra Jovinianum ſcripſerat, ita defendit: „ (*b*) Nonne, quæſo, ſtatim in
„ principio operis mei iſta præfatus
„ ſum? Neque enim nos Marcionis,
„ & Manichæi dogma ſectantes nuptiis
„ detrahimus. Nec Tatiani Principis
„ Encratitarum errore decepti, om-
„ nem coitum ſpurcum putamus, qui
„ non ſolum nuptias, ſed cibos quo-
„ que, quos Deus creavit ad uten-
„ dum, damnat, & reprobat... pro-
„ poſitis ergo teſtimoniis, in quibus
„ Apoſtolus ſecundas concedit nup-
„ tias, ſtatim ſubjecimus: Quomodo
„ Virginibus ob fornicationis pericu-
„ lum concedit nuptias, & excuſabi-
„ le facit, quod per ſe non appeti-
„ tur: ita ob eandem fornicationem
„ concedit Viduis ſecunda matrimo-
„ nia. Melius eſt enim, licet alterum
„ & tertium, unum virum noſſe,
„ quam plurimos. Id eſt, tolerabilius
„ eſt uni homini proſtitutam eſſe,
„ quam multis. Faceſſat calumnia.
„ De ſecundo hic, & de tertio, &
„ quarto ſi libet, matrimonio diſpu-
„ tavimus, non de primo. Sed ne
„ quis in eo, quod diximus, tolera-
„ bilius eſt, uni homini proſtitutam
„ eſſe, quam multis, ad primum Ma-
„ ritum referat, cum omnis nobis
„ quæſtio de Digamia, & Trigamia
„ fuerit. Denique Digamiæ, & Tri-
„ gamiæ diſputationem hac calce ſi-
„ gnificavimus: (*c*) *omnia licent*, ſed
„ non *omnia expediunt*. Non damno
„ digamos, immo nec Trigamos; &
„ ſi dici poteſt, octogamos plus ali-
„ quid inſeram, etiam Scortatorem
„ recipio pœnitentem. Quidquid æqua-
„ liter licet, æquali lance penſandum
„ eſt: Erubeſcat calumniator meus,
„ dicens, me prima damnare Matri-
„ monia, quando legit, non damno
„ Digamos, & Trigamos, & ſi dici
„ poteſt Octogamos. Aliud eſt non
„ damnare, aliud prædicare: aliud eſt
„ veniam concedere, aliud laudare
„ virtutem; Si autem durus in eo vi-
„ deor, quia dixi quicquid æqualiter
„ licet, æquali lance penſandum eſt;
„ puto non me crudelem judicabit &
„ rigidum, qui alia loca virginitati,
„ & nuptiis, alia trigamis, & octo-
„ gamis, & pœnitentibus legerit præ-
„ parata; Chriſtum in Carne Virgi-
„ nem, in Spiritu Monogamum, quod
„ unam haberet Eccleſiam, noſter in
„ reli-

(a) *S. Hier. in Epiſt. ad Pam.*

(b) *S. Hier. in epiſt. 48. ad Pamm. pag.* 211. *& ſeq. Tom.* 1.

(c) *I. Cor.*

,, reliquis ſermo teſtatus, eſt: & cre-
,, diti ſumus nuptias condemuare?
,, Damnare dicor nuptias, cujus hic
,, ſermo eſt? Nullique dubium eſt,
,, Sacerdotes de Aaron, & Eleazar, &
,, Phinees ſtirpe generatos: qui cum
,, & ipſi uxores habuerint, recte no-
,, bis opponerentur, ſi errore Encra-
,, ritarum ducti contenderemus Ma-
,, trimonia reprobanda. Tatianum En-
,, cratitarum Principem, qui abjicit
,, Matrimonia, reprehendimus, & ipſi
,, nuptias condemnamus?... Rurſum-
,, que ubi virgines, & viduas compa-
,, ro, quid de nuptiis ſenſerim, &
,, quomodo tres gradus virginitatis,
,, viduitatiſque, vel continentiæ, &
,, conjugii fecerim, declarant ipſa,
,, quæ ſcripta ſunt. Non nego bea-
,, tas eſſe viduas, quæ ita poſt Ba-
,, ptiſmum manſerint: nec illarum
,, detraho merito, quæ cum viris in
,, caſtitate perdurant: ſed ſicut hæ ma-
,, joris premii apud Deum ſunt, quam
,, ſuapte conjugali officio ſervientes
,, ita & ipſæ æquo patiantur animo
,, Virginitatem ſibi præferri... Ecce
,, perſpicue nuptias diximus concedi
,, in Evangelio, ſed tamen eaſdem in
,, ſuo officio permanentes, præmia
,, caſtitatis capere non poſſe... In ſe-
,, cundo & tertio gradu viduas po-
,, nimus, & Maritatas; & hæretico
,, furore dicimur damnare nuptias?.
,, Vult Apoſtolus innuptas, & Vi-
,, duas abſque coitu permanere, &
,, ad exemplum ſui provocat, & fe-
,, liciores vocat, ſi ſic permanſerint.
,, Si autem ſe continere non poſſunt,
,, & ardorem libidinis non tam con-
,, tinentia volunt, quam fornicatio-
,, ne reſtinguere: melius eſt nubere;
,, quam uri.

Ecce S. Hieronymi ſcopum; quem & in refutando Joviniano, & in conſcribendis aliis epiſtolis eandem rem continentibus habuit: quo ſcopo iſta Furiæ Viduæ dixit: ,, Ha-
,, bes præterea generis tui grande
,, privilegium, quod exinde a Ca-
,, millo vel nulla, vel rara veſtræ fa-
,, miliæ ſcribitur ſecundos noſſe con-
,, cubitus: ut non tam laudanda ſis,
,, ſi Vidua perſeveres, quam exe-
,, cranda, ſi id Chriſtiana non ſer-
,, ves, quod per tanta ſæcula gentiles
,, feminæ cuſtodierunt.... Tamdiu
,, ſcito ſanguinis copulam, quamdiu
,, ille ſuum noverit creatorem.....
,, egeſſiſti aceſſentes, & morbidos cibos
,, relevaſti æſtuantem ſtomachum
,, quid vis rurſum ingerere, quod
,, tibi noxium fuit? Canis revertens
,, ad vomitum, & ſus lota ad volu-
,, tabrum luti.... Neque vero hæc
,, dicentes condemno cibos, quos
,, Deus creavit ad utendum cum
,, gratiarum actione; Sed Juvenibus
,, & puellis incentiva aufero volu-
,, ptatum... Parcus cibus, & venter
,, ſemper eſuriens triduanis jejuniis
,, præfertur. Et multo melius eſt
,, quotidie parum, quam raro ſatis
,, ſumere.... Scio, me ante hoc fer-
,, me biennium edidiſſe libros contra
,, Jovinianum; quibus venientes e
,, contrario quæſtiones, ubi Apoſto-
,, lus concedit ſecunda Matrimonia,
,, Scripturarum auctoritate contrivi.
,, Et non eſt neceſſe, eadem ex inte-
,, gro ſcribere, cum poſſis inde, quæ
,, ſcripta ſunt, mutuari.

De-

(a) *S. Hier. ep. 54. ad Furiam pag. 280. & ſeq. Tom. 1.*

Denique idem S. Hieronymus ad Ageruchiam de Monogamia hæc ſcripſit: „ (*a*) Oſtendam non præſtare „ monogamiam generi ſuo, ſed red„ dere; nec tam laudandam eſſe, ſi „ tribuat, quam omnibus execran„ dam, ſi negare tentaverit .... Vult „ Apoſtolus (*b*) alterum Matrimonium, „ præferens digamiam fornicationi... „ Volo, inquit *adoleſcentulas nubere*. „ Cur, quæſo? Quia nolo adoleſcen„ tulas fornicari. *Procreare Filios:* „ quam ob cauſam? Ne motu par„ tus ex adulterio, filios necare co„ gantur. Matres familias eſſe, quare „ obſecro? Quia multo tolerabilius „ eſt, Digamam eſſe, quam Scortum, „ & ſecundum habere virum, quam „ plures adulteros.

Nonne quæſo iſta Dallæi argutationes refellunt? Nihil enim in iis S. Hieronymus jactat adverſus conjugium generatim acceptum, & ſecundas nuptias in ſpecie. *Neque enim*, inquit S. Doctor, *nos Marcionis, & Manichæorum dogma ſectantes, nuptiis detrahimus:* quia & Apoſtolus *Virginibus ob fornicationis periculum concedit nuptias, & Viduis ſecunda Matrimonia*. Dalleus ergo adverſus S. Hieronymum plura inique jactat, & fingit: quippe quod S. Doctor expreſſe *nuptiis non detrahit*, ac ſic nihil adverſus eas generatim ſumptas jactat, immo ipſas contra Marcionem, & Manichæos probat, & aſſerit. Ac ſi Furiam, & Ageruchiam Viduas, ut in viduitate perſeverarent, hortatus eſt: tamen eis ex Apoſtolo *concedit alterum Matrimonium*, nolens *ipſas adoleſcentulas Viduas fornicari, ac præferens Digamiam fornicationi*: cui proinde *Digamiam*, ſive *ſecundum Matrimonium* ſpeciatim acceptum prætulit, ac nihil adeo iſti in ſpecie detraxit, nihil adverſus iſtud jactavit.

Et quidem Furiæ, & Ageruchi: Hieronymus dixit, *non tam laudandas eſſe, ſi perſeverent, quam execrandas, ſi Chriſtiana non ſervarent, quod per tanta ſæcula gentiles feminæ, quæ vel nunquam, vel rarò ſecundos concubitus admiſerant, cuſtodierunt, ac ſi negare tentaverit*. Quid autem aliud eſt iſtud *tentare, & negare*, niſi *voluptatum* incentivum, quo mulieres quædam *ardorem libidinis non tam continentia volunt, quam fornicatione reſtinguere?* Hæc S. Doctor in ſui operis defenſione notavit: hanc libidinem, ac fornicationem evitandas in hiſce epiſtolis monuit: Hoc igitur in iis voluit, ut illæ viduæ *execrandæ* eſſent, ſi & *ardorem libidinis fornicatione reſtinguere vellent*, & ſic continentiam a *nonnullis gentilibus fœminis vel cuſtoditam non ſervarent:* quibus admonitionibus Hieronymus ſecundas Nuptias haud reprobavit; quippe qui in eodem contextu legitimos *ſecundos concubitus* ab iiſdem *gentilibus* Mulieribus raro adhibitos poſuit, & in ſubſequenti iiſdem viduis, ſi ſe continere non poſſent, *alterum Matrimonium conceſſit*. Quod proinde *cani ad vomitum reverenti, & ſui lotæ* non aſſimilavit; & quia præmonuit, a ſe *non omnem coitum ſpurcum putari;* & quoniam in altera epiſtola de cibis nimis ſumptis, qui ardorem libidinis excitant, locutus eſt; & ita aliquas fœminas *ciborum aceſſentium pleras*, non autem ſecundas nuptias, ſimiles illis ſpurcis animalibus dixit. Neque etiam Digamos

(a) *S. Hier. Epiſt. 123. ad Ager. pag. 805. & ſeq. Tom. 1.* (b) *Ad Tim. V.*

ac Trigamos eodem loco, quo ſcortatores pœnitentes, habuit, quoniam *alia loca virginibus, alia nuptis, alia Digamis, & Trigamis, alia Scortatoribus quidem, ſed pœnitentibus*, in Cælo præparata eſſe, Hieronymus contra Calumniatorem Dallæum expoſuit.

Nec verò is nuperus Cenſor felicius de Carnium Eſu locutus eſt, haud conſiderato Hieronymi contextu, quem is poſt ea verba, quæ a Dallæo proferuntur, exhibuit hoc modo: (a) *Vinum enim cum Carnibus poſt Diluvium dedicatum eſt:* quibus hæc, quæ ſupra laudavimus addidit: *Nec Tatiani Principis Encratitarum errore decepti, omnem coitum ſpurcum putamus: qui non ſolum nuptias, ſed cibos quoque, quos Deus creavit ad utendum damnat, & reprobat.* Non ergo Marcionis, Tatiani, & Manichæi errore deceptus Hieronymus, nec de cibis, & Carnibus durius, quam illi deblaterant, locutus; carnium eſum poſt diluvium non damnavit, neque prohibuit: ſed earum uſum poſt diluvii tempora *dedicatum* eſſe probavit: Cum autem Jovinianus Heterodoxus uxoris repudium Moſaica lege conceſſum cum tempore eſus carnium miſceret: Tum S. Hieronymus plura diſtinxit: (b) Primùm quia *Repudium* juxta eloquium Salvatoris ab initio non dabatur: *at vinum cum carnibus poſt diluvium dedicatum eſt:* deinde *propter duritiam cordis noſtri per Moyſem conceſſum eſt repudium:* ſic *in Eremo murmurante populo coturnices*, ita *dentibus noſtris nervos, & virulentas carnes ingeſtas docet Apoſtolus, ſcribens ad Epheſios, Deum propoſuiſſe in adimpletione temporum recapitulare omnia:* quibus addo, quod Deus populo murmuranti, & Moyſi dixit: (c) *Cras comedetis Carnes .... Non uno die, nec duobus, vel quinque, aut decem, nec viginti quidem. Sed uſque ad menſem dierum, donec exeat per nares veſtras, & vertatur in nauſeam, eo quod repuleritis Dominum.* Hæc porrò ſacra verba Marcioni, Tatiano, & Manichæo, qui cibos, & Carnes a Deo creatas impie reprobabant, minime ſuffragantur, ea ratione ab Hieronymo allata, quod videlicet Deus, ea *creavit ad utendum*. Qui tamen ut Judæos Manna habentes, ſed carnibus carentes, ideoque murmurantes juſtis pœnis afficeret; Ipſis *coturnicum carnem* integro menſe ſic dedit, *ut verteretur in nauſeam:* quæ quoniam pæna fuit: ideo ex iſta illi Hæretici inferre non poſſunt, carnes bonas non eſſe: propterea quod bona ſunt omnia, quæ Deus creavit, quamvis aliquando carnes populo murmuranti in nauſeam, & pænam verſæ ſint: quam quidem ob *nauſeam* Hieronymus illas *coturnicum carnes murmuranti* populo datas appellavit *virulentas*; veruntamen non repudiavit: quandoquidem ſubjungit, *poſt diluvium carnes dedicatas eſſe*, ac non adeo prohibitas: quod Hieronymi enuntiatum non modo illorum Hæreticorum erratis durius non eſt: ſed etiam eorundem hæreſim, qua *carnium cibos reprobant, refellit, ac damnat*.

Dehinc Hieronymus iſta Chriſti ver-

(a) S. Hier. lib. cont. Jovin. pag. 265. to. 2.

(b) S. Hier. ibi.

(c) Num. XI.

verba, (*a*) *Ego autem dico vobis, non jurare omnino: neque per cælum, quia thronus Dei eſt, neque per terram, & cætera*, ſic explicat: „ Hanc per ele-
„ menta jurandi peſſimam conſuetu-
„ dinem ſemper habuere (*b*) Judei
„ noſcuntur, ſicuti Prophetalis eos
„ frequenter arguit ſermo; qui ju-
„ rat, aut veneratur, aut diligit
„ eum, per quem jurat. In lege
„ præceptum eſt, (*c*) ut non juremus
„ niſi per Dominum Deum noſtrum.
„ Judæi per Angelos, & urbem Je-
„ ruſalem, & templum, & elemen-
„ ta jurantes, creaturas, reſque car-
„ nales venerabantur honore, & ob-
„ ſequio Dei. Denique conſidera,
„ quod hic Salvator non per Deum
„ jurare prohibuerit, ſed per Cæ-
„ lum, & terram, & Hieroſolymam,
„ & per caput tuum. Et hoc quaſi
„ parvulis fuerat lege conceſſum, ut
„ quomodo victimas immolabant
„ Deo, ne eas Idolis immolarent:
„ ſic & jurare permitterentur in
„ Deum: non quod recte hoc face-
„ rent, ſed quod melius eſſet Deo id
„ exhibere, quam Dæmonibus. Evan-
„ gelica autem veritas non recipit
„ juramentum, cum omnis ſermo
„ fidelis pro jure jurando ſit:

Quænam eſt iſta *Evangelica* veritas? Certe illa, qua Dominus dixit, *Ego autem dico vobis, non jurare omnino neque per Cælum, neque per terram*: Hanc Evangelii veritatem Dallæo noſcendam Hieronymus præmiſit, atque prædocuit, cum eidem moroſo Cenſori dixiſſe videtur: *Conſidera, quod hic Dominus non per Deum jurare prohibuit, ſed per cælum, & terram, & Hieruſalem, & per caput tuum.* Hanc enim *poſteriorem, & peſſimam conſuetudinem jurandi per cælum, & terram, perque caput tuum non recipit Dominus, non recipit Chriſtianus, non recipit Evangelica veritas, quæ tamen juſtis de cauſis per Deum jurare non prohibet*; Ergo Hieronymus non hoc legitimum juramentum, ſed *illam peſſimam conſuetudinem jurandi per creaturas*, quam conſuetudinem *Judæi non recte* ſequebantur, liquido excluſit.

Sed & S. Hieronimus (*d*) cum tertium Prophetæ Sophoniæ caput enuclearet: efficaciam Sacramenti Euchariſtiæ ſic affirmavit: „ Tu cum
„ alium doceas, & ipſe non facias, non
„ tam Doctor, quam contemptor
„ vocandus es; de quo & in Habacuc
„ ſcribitur, *Videte contemptores, & re-*
„ *ſpicite, & admiramini mirabilia, &*
„ *diſperdimini*. (*e*) Sacerdotes quoque,
„ qui Euchariſtiæ ſerviunt, & ſan-
„ guinem Domini populis ejus divi-
„ dunt, impie agunt in legem Chri-
„ ſti, putantes, Euchariſtiam impre-
„ cantis facere Verba, non vitam, &
„ neceſſariam eſſe tantum ſolemnem
„ orationem, & non ſacerdotum me-
„ rita, de quibus dictum eſt, *Sacer-*
„ *dos*, in quo fuerit *macula, non ac-*
„ *cedet* (*f*) *offerre oblationes Domino*:
„ Cum hoc faciant Principes, Judi-
„ ces, Prophetæ, Sacerdotes Jeruſa-
„ lem: nihilominus clemens, & ju-
„ ſtus eſt Dominus: Clemens in eo,
„ quod a ſua Eccleſia non recedit:

Mm 2 „ ju-

(a) *Matt. 5. V. 34.*

(b) *S. Hier. comment. in Matth. Cap. V. pag. 30. Tom. 7.*

(c) *Nota. legendum eſt, habuiſſe.*

(d) *S. Hier. comm. in caput 5. Sophon. pag. 748. Tom. VI.* (e) *Hab. 1.* (f) *Levit. 21.*

„ juſtus in eo, quod reddit unicui-
„ que, quod meretur.

Quam moleſtum Dallæo fuit, illa Hieronymi antecedentia conſiderare, in quibus S. Doctor apertiſſime poſuit, *Sacerdotes, qui Euchariſtiæ ſerviunt, & Sanguinem Domini populis dividunt, impie agere in legem Chriſti*. Iſti ergo ſacerdotes *impie agentes, ſanguinem Domini dividunt*: ac ſic non ex opere operantis, ſed ex vi inſtitutionis Chriſti Sacramentum Euchariſtiæ conficiunt: Nam ſi qui improbi Sacerdotes ex ea vi Sacramentum haud efficerent: profecto ipſum Domini ſanguinem non dividerent populis. Atqui nonnulli *ſacerdotes*, quamvis *in Chriſti legem impie agant*: nihilo ſecius *ſanguinem Domini populis* dividunt, atque adeo valide ſacramentum Euchariſtiæ conficiunt, præmonente Hieronymo; qui proinde diſertius voluit, vel *neceſſariam eſſe ſolemnem orationem*, ſeu formam a Chriſto inſtitutam, ut valide ſacerdotes conficiant ſacramenta: vel ſacerdotum *merita* exigi, ut iſti illa digne adminiſtrent. Non igitur, ut Dalleus blaterat, in errore, quo Sacramentorum efficacia negatur, S. Hieronimus verſatus eſt, qui facile excuſari poteſt, atque defendi. Utpote qui aſſeruerit, a nonnullis ſacerdotibus, quamquam impiis, *dividi ſanguinem Domini*, atque adeo ab eis *Euchariſtiæ ſacramentum*, in quo verum Chriſti corpus eſt, ac Sanguis, valide confici, ac ſic ipſius ſacramenti efficaciam non a miniſtri meritis, ſed ab inſtitutione Chriſti, qui *a ſua Eccleſia non recedit*, certo certius manare.

Atenim ipſe Hieronymus coarguit Origenis hæreſim, qua is veram humanæ carnis reſſurrectionem negans, dubitando obiiciebat, quod ſi qui homines uti infantes, vel pueri, vel ſenes reſurgerent, aut lacte indigerent, aut cibo: quam oppoſitionem ita Hieronymus diluit: „ Argumenta
„ vero illa puerorum (*a*) & Infan-
„ tium, & Senum, & Ciborum, &
„ Stercorum, quibus adverſum Ec-
„ cleſias uteris, non ſunt tua, de
„ gentilium fonte manarunt.... E-
„ noch, & Elias, de quibus dudum
„ diximus, tanto tempore in eadem
„ permanent ætate, qua rapti ſunt;
„ habent dentes, ventrem, genitalia,
„ & tamen nec cibis, nec uxoribus
„ indigent; Quid potentiam Dei ca-
„ lumniaris?.. Ergo, inquies, & nos
„ poſt reſſurrectionem comeſuri ſu-
„ mus? Neſcio; non enim ſcriptum
„ eſt: Et tamen, ſi quæratur, non
„ puto comeſuros; legi enim non eſ-
„ ſe regnum Dei cibum, & potum:

Quare Hieronymum Dallæus perperam arguit, quod de ſtatu reſurrectionis quaſi cunctans, & dubitans ita locutus ſit: *Neſcio ac non puto nos poſt reſurrectionem comeſuros*. Nam cum *Sponſus* in decem Virginum ſimilitudine, quam S. Matthæi (*b*) Evangelium exhibet, quinque fatuis Virginibus, quæ mora interpoſita ad nuptias ſine lampadibus plenis olei perrexerant, dixerit, *neſcio vos*: non ideo iſthæc quaſi cunctando, & dubitando de earum fatuarum Virginum ſtatu, & mora pronuntiavit: ſed ea verba, *neſcio vos*, idem valent, ac vos uti meas ſponſas non probo. Ita etiam cum Hiero-
nymus

(a) *S. Hier. in lib. adv. err. Johan. Hier. pag. 440. & ſeq. Tom. 2.* (b) *Matt. X.*

Digitized by Google

nymus ait, *Ergo, inquies, & nos poſt reſurrectionem comeſuri ſumus? Neſcio:* tum iſtud *neſcio* idem eſt, ac non approbo, *nos poſt reſſurrectionem comeſuros:* qui ſenſus Hieronymi eſſe monſtratur ex ipſius antecedente; in quo affirmavit, *argumenta ciborum, quibus adverſum Eccleſias Origenes utebatur, de Stoicorum forte manaſſe;* Qui ſcilicet Philoſophi Ethnici mortuorum reſurrectionem errore negantes, ajebant, homines, ſi reſurgerent, *cibis egere;* quod argumentum *adverſum Eccleſiam pugnare*, Hieronymus prius illico protulit, ideoque non cunctando, nec dubitando, ſed certe argumenta de ciborum uſum, immo cibum, *& potum*, qui *in regno Dei non ſunt*, poſt reſurrectionem, prorſus excluſit. Unde illud *neſcire* evidenter ſignificat non approbare. Dallæus igitur Hieronymum perperam cunctationis accuſat: quippe qui S. Doctor initio argumentationis ſuæ, ac non adeo cunctanter, Origenis *calumnias*, quibus is *adverſus Eccleſiam*, *ac Dei potentiam* impie diſputabat, apte improbavit. Qui etiam ſine ulla cunctatione, ac ſine ulla dubitatione ante ultima verba oſtendit, vitæ ominum è mortuis ſuſcitandorum neceſſarios cibos non futuros, ut eorum vita, eadem ſuſtentetur: quam ciborum neceſſitatem eo Hieronymus ſtatim rejecit, quia *Henoch, & Elias tanto tempore in ætate, qua rapti ſunt, permanent: habent dentes, & ventrem: nec cibis indigent. quid potentiam Dei* calumniaris? Quid ergo Dallæus Hieronymum cunctanter calumniatur? Hic enim eam ciborum neceſſitatem, quam Origenes futuram poſt hominum reſſurrectionem objiciebat, uti impiam Dei potentiæ calumniam actutum contudit: quoniam Deus *potentia* ſua infinita ſicut *tanto tempore* Henoch, & Eliam ſine cibo conſervat: ita omnes homines, qui reſurgent, abſque cibis æternum ſervabit. Ex quo Hieronymi argumento ſtatim propoſito putandi verbum, quo is uſus eſt, explicatur. Putare enim etſi aliquando ſignificet opinari; tamen quandoque idem eſt atque ſentire, & judicare non modo apud antiquos latinos, verum etiam apud divinas Scripturas; In quibus Paulus Apoſtolus dixit: (a) *Puto autem, quod & ego ſpiritum Dei habeam:* ubi *putare* ſonat noſcere, & judicare; quia Apoſtolus ſine dubio judicavit, ac novit, quod Dei ſpiritum haberet. Ita Hieronymus iſta conſcripſit; *Non puto*, hoc eſt, non judico, *nos* poſt *reſurrectionem comeſuros;* quæ ſine opinione Hieronymus protulit, quia prædixerat illud Origenis argumentum, quod modo attulimus, pugnaſſe *adverſum Eccleſias;* Quæ proinde contra Origenis errorem certo credebant, poſt hominum omnium reſurrectionem eorum vitæ ſuſtentandæ cibos neceſſarios non fore: Quam Eccleſiarum fidem proinde Hieronymus non cunctanter, ſed indubitate propoſuit: cui propoſito poſtmodum de ſacris ſcripturis hæc ſimpliciter addidit; *Legi enim non eſſe regnum Dei cibum, & potum:* quæ ſcripturæ Divinæ, & Eccleſiæ Catholicæ abſoluta, & certa ſententia eſt, Hieronymo, & reliquis Patribus interpretantibus.

Tum & S. Hieronymus S. Auguſtino, qui ei Petrum a Paulo vere Antio-

(a) 1. Ad Cor. 4.

Digitized by Google

tiochiæ repræhenſum ſcripſerat, ita reſpondit: „ Tu igitur ne quod ego petieram, (a) faceres, novum argumentum reperiſti, ut aſſereres, Gentiles, qui in Chriſtum credidiſſent, legis onere liberos; eos autem, qui ex Judæis crederent, legi eſſe ſubiectos: ut per utrorumque perſonam, & Paulus recte reprehenderet eos, qui legem ſervarent, quaſi Doctor gentium, et Petrus jure reprehenderetur, qui Princeps circumciſionis id imperaverit Gentibus. quod ſoli qui ex Judæis erant, debuerint obſervare. Hoc ſi placet, immo quia placet, ut quicumque credunt ex Judæis, debitores ſint legis faciendæ: Tu ut Epiſcopus in toto orbe notiſſimus, debes hanc promulgare ſententiam: & in aſſenſum tuum omnes co͡piſcopos trahere. Ego in parvo tuguriolo cum Monachis, id eſt, cum compeccatoribus meis, de magnis ſtatuere non audeo, niſi hoc ingenue confiteri, me majorum ſcripta legere, & in commentariis ſecundum omnium conſuetudinem varias ponere explanationes, ut e multis ſequatur unuſquiſque, quod velit. Quod quidem te puto, & in ſæculari litteratura, & in divinis libris legiſſe, & probaſſe. Hanc autem explanationem quam primus, Origenes in decimo Stromateon libro, ubi Epiſtolam Pauli ad Galatas interpretatur, & cæteri deinceps interpretes ſunt ſecuti, illa vel maxime cauſa ſubintroducunt, ut Porphirio reſpondeant blaſphemanti, qui Pauli arguit Procacitatem, quod Principem Apoſtolorum Petrum auſus eſt reprehendere... Sed ne videar adverſus rationem tuam niti teſtium numero, & occaſione virorum illuſtrium ſubterfugere veritatem, nec manum audere conſerere: breviter de ſcripturis exempla ponam. Cum multo poſt tempore Paulus, & Barnabas veniſſent Antiochiam & congregata Eccleſia, (b) retuliſſent, *quanta feciſſet Deus cum illis*: & *quia aperuiſſet Deus gentibus* oſtium Fidei, *quidam deſcendentes de Judæa docebant fratres, atque dicebant: niſi circumcidamini ſecundum morem Moyſi, non poteſtis ſalvi fieri*. Commota igitur ſeditione non minima adverſus Paulum, & Barnabam *ſtatuerunt aſcendere*, & ipſi qui accuſabantur & hi, qui accuſabant, ad *Apoſtolos & Præſbyteros Hieroſolymam ſuper hac quæſtione*... Petrus ſolita libertate viri, inquit, *Fratres, Vos ſcitis, quoniam ab antiquis diebus in nobis elegit Deus per os meum audire gentes verbum Evangelii, & credere, & qui novit corda Deus teſtimonium perhibuit, dans illis Spiritum Sanctum, ſicut & nobis, & nihil diſcrevit inter nos & illos, Fide purificans corda illorum. Nunc autem quid tentatis Deum imponere jugum ſuper cervicem Diſcipulorum, quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti credimus ſalvari, quemadmodum & illi. Tacuit autem omnis multitudo*: & in ſententiam ejus Jacobus Apoſtolus, & omnes ſimul Præsbyteri tranſierunt. Hæc non debent moleſta eſſe Lectori, ſed & mihi, & illi utilia, ut probemus ante Apoſtolum Pau-

„ lum

(a) *S. Hier. epiſt.* 112. *al.* 89. *pag.* 734. *& ſeq. Tom.* 1. (b) *Act.* 15.

„ ſum non ignoraſſe Petrum, immo
„ Principium hujus eſſe decreti, le-
„ gem poſt Evangelium non eſſe ſer-
„ vandam ... Ego, immo alii ante
„ me expoſuerunt cauſam, quam pu-
„ taverunt, non officioſum menda-
„ cium defendentes, ſicut tu ſcribis,
„ ſed oſtendentes honeſtam diſpenſa-
„ tionem.... Scribis ad me in Epi-
„ ſtola tua, neque enim a me do-
„ cendus es, quomodo intelligatur,
„ quod idem dicit, *factus ſum Judæis,*
„ *tanquam Judæus, ut Judæos lucri-*
„ *facerem*, & cætera. Quæ ibi di-
„ cuntur compaſſione miſericordiæ,
„ non ſimulatione fallaciæ.... Nam
„ utique Judæus erat; Chriſtianus
„ autem factus, non Judæorum Sa-
„ cramenta reliquerat, quæ conve-
„ nienter ille populus, & legitimo
„ tempore, quo opportebat, acce-
„ perat: ideoque ſuſcepit ea cele-
„ branda, cum jam Chriſti eſſet A-
„ poſtolus, ut doceret, non eſſe per-
„ niciofa his, qui ea vellent, ſicut a
„ parentibus per legem acceperant,
„ cuſtodire etiam cum in Chriſtum
„ credidiſſent, non tamen in eis jam
„ conſtituerent ſpem ſalutis; quo-
„ niam per Dominum Jeſum ſalus
„ ipſa, quæ illis ſacramentis ſignifi-
„ cabatur, advenerat. Totus ſermonis
„ tui, quem diſputatione longiſſima
„ protraxiſti, hic ſenſus eſt: Ut Pe-
„ trus non erraverit in eo, quod ii,
„ qui ex Judæis crediderant, puta-
„ verit legem eſſe ſervandam: ſed in
„ eo a recti linea deviarit; quod
„ gentes cogeret judaizare. Coegerit
„ autem non docentis imperio, ſed
„ converſationis exemplo.... Quid
„ dicam de Ebionitis? qui Chriſtia-
„ nos eſſe ſe ſimulant. Uſque hodie
„ per totius Orientis Synagogas inter
„ Judæos hæreſis eſt, quæ dicitur
„ Minæorum, & a Phariſæis nunc
„ uſque damnatur. Sed dum volunt
„ & Judæi eſſe & Chriſtiani, nec Ju-
„ dæi ſunt nec Chriſtiani.... Ego e
„ contrario loquar, & reclamante
„ Mundo, libera voce pronuntio,
„ cæremonias Judæorum, & perni-
„ cioſas eſſe & mortiferas Chriſtianis,
„ & quicumque eas obſervaverit, ſi-
„ ve ex Judæis, ſive ex Gentibus,
„ eum in Baratrum Diaboli devolu-
„ tum.... Paulus autem ſuper cuius
„ nunc nomine quæſtio ventilatur,
„ crebras hujuſmodi ponit ſententias,
„ e quibus brevitatis ſtudio pauca
„ ſubnectam. (a) *Ecce ego Paulus di-*
„ *co vobis, quoniam ſi circumcidamini,*
„ *Chriſtus vobis nihil proteſt, & ite-*
„ *rum: evacuati eſtis a Chriſto, qui in*
„ *lege juſtificamini, a gratia excidiſtis.*
„ Et infra ſi ſpiritu ducimini, jam
„ non eſtis ſub lege. Ex quo appa-
„ ret; qui ſub lege eſt, non diſpen-
„ ſative, ut noſtri voluere majores;
„ Sed vere, ut tu intelligis, eum ſpi-
„ ritum ſanctum non habere. Qualia
„ autem ſint præcepta legalia Do-
„ mino docente, diſcamus: *Ego*,
„ inquit, dedi eis precepta non bo-
„ na, & juſtificationes, in quibus
„ non vivant in eis. Hæc diximus
„ non quo legem juxta Manichæum,
„ & Marcionem deſtruamus, quam
„ & ſanctam, & ſpiritualem juxta
„ Apoſtolum novimus. Sed quia poſt-
„ quam venit fides, & temporum
„ plenitudo miſit Deus Filium ſuum
„ fa-

(a) Gal. V.

„ factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, „ redimeret, ut adoptionem filiorum „ reciperemus; Et nequaquam ſub „ pædagogo, ſed ſub adulto, & Domino hærede vivamus .... Nec „ multum intereſt inter meam, & „ tuam ſententiam, qua ego dico, „ & Petrum & Paulum timore fidelium Judæorum legis exercuiſſe, „ immo ſimulaſſe mandata: Tu autem aſſeris, hoc eos feciſſe elementer, non mentientis Aſtu, ſed „ compatientis affectu:

Hiſce Hieronymus Chriſtianiſmi initia a Chriſtianiſmo *adulto* clare diſtinguens, aſſeruit, in illis Judæorum cæremonias, dummodo in eis ſpem ſalutis non conſtituerent, potuiſſe permitti, & quadam diſpenſatione tolerari: verumtamen Chriſtianiſmo *adulto* illas ipſas cæremonias eſſe mortiferas: quam diſtinctionem Hieronymus ita adhibuit, ut, contraquam Dallæus obloquitur, primum bene ſcripſerit, Auguſtinum ſenſiſſe, Gentes, quæ in Chriſtum crederent, legis Moſaicæ *onere liberas* eſſe: quem Auguſtini ſenſum in Epiſtola, quam ad Hieronymum ſcripſerat, ſignificatum ipſe Hieronymus eo firmavit; Quia cum aliqui Judæi Chriſto credentes nonnullis gentilibus ad fidem converſis dicerent, *niſi circumcidamini ſecundum morem Moiſis non poteſtis ſalvi fieri:* Petrus Apoſtolorum Princeps *ſolita libertate* decretum hoc condidit, Moſaicam *legem poſt Evangelium* non eſſe *ſervandam:* cujus decreti vi Gentes ad Chriſtum converſas illius legis onere liberas Hieronymus, & Auguſtinus declararunt; ac ſic ille hujus ſenſum rectius oſtendit. Cum autem exinde Petrus timore Judæorum adductus, aliquos Gentiles, qui in Chriſtum crediderant, *judaizare improprie coegerit non docentis imperio, ſed converſationis exemplo:* cum Petrum Paulus Apoſtolus reprehendit: quam reprehenſionem *non officioſo mendacio*, ſed quadam diſſimulatione a Paulo adhibitam eſſe, Hieronymus voluit: at cum eam diſſimulationem Auguſtinus abnueret: idcirco ad Orbis Epiſcopos cum Hieronymus miſit; qui id non de Judæorum quæſtione, quam infra exponemus, ſed de ea diſſimulatione, quam Auguſtinus admittere non videbatur, dixit, a ſe *non officioſum mendacium defendi, ſed honeſtam Petri diſpenſationem oſtendi:* & inde Auguſtino dixit, *nec multum intereſt inter meam, & tuam ſententiam:* quam proinde ſecutus Hieronymus, & *ſimulandi* verbo uſus; non fallaciam, *nec officioſum mendacium*, ſed diſſimulationem, ob quam aliquid *non mentientis aſtu, ſed compatientis affectu* permittitur, intellexit; quo Petrus ob *metum fidelium Judæorum* Gentiles aliquos, qui Chriſti fidem ſervabant, judaizare ita permiſit, ut neque Judæis, neque Gentilibus Moſaicam *legem*, poſtquam utrique in Chriſtum credidiſſent, ſervandam prius edixerit, docentibus Apoſtolorum actibus, Auguſtino, & Hieronymo, cui tamen Dallæus mentientis aſtu hoc affingit, quod ipſe Hieronymus ſcripſerit, Auguſtinum putaſſe *ſolos* Gentiles, qui in Chriſtum crederent, legis onere liberos eſſe. Atqui particula, quæ *ſolos* gentiles comminiſcitur, non extat in Hieronymi textu. Ergo Dallæus mentitur, & Hieronymum improbe accuſat & falsò, quaſi is minus bene Auguſtini ſenſum expreſſerit. Verum Hieronymus iſtud conſcripſit, Augu-

ſti-

ſtinum aſſeruiſſe, *Gentiles*, *qui in Chriſtum credidiſſent*, *legis onere liberos*. Eos *autem*, *qui ſoli ex Judæis crederent*, *legi* quidem *ſubjectos*, *& debitores eſſe legis faciendæ diſpenſative*, *ac legitimo tempore*, & quaſi *ſub pedagogo*; Sed non *ſub Adulto*: ex *quo appares*, Judæum Chriſto credentem, qui ſub lege eſt, aut in cæremoniis Judaicis ſpem ſalutis conſtituir, *vere ut tu intelligis*, *non habere Spiritum Sanctum*: quibus Hieronymus Auguſtini *ſententiam* conſectatus, edocuir, initiis Chriſtianiſmi Hebræos, qui in Chriſtum credebant, *diſpenſative*, *ut Majores noſtri voluere*, legi Moſaicæ tanquam *Pædagogo* in quo ſpes ſalutis non conſtituebatur, *ſubjectos* quidem fuiſſe: verumtamen *ſub adulto ceremonias Judaicas cuicumque ſive ex Judæis*, *ſive ex gentibus*, *qui eas obſervarit*, dum in Chriſtum credit, mortiferas eſſe. Hæc Hieronymus, ſicut ipſe Auguſtinus *intelligebat*, enuntiavit; ideoque voluit, *& Judæos*, & *Gentiles*, qui in Chriſtum *credunt*, legis Moſaicæ *onere* liberos eſſe; Ac proinde non ſolos Gentiles credentes, ut Dallæus ſibi finxit, verum etiam Judæos baptizatos ceremoniis Judaicis, eademque lege Moſaica minime adſtringi.

Sed quanto melius Hieronymus Sanctus adverſus Origenis errores a Ruffino minus bene expoſitos diſputans, cum Pſalmiſta poſuit ori ſuo cuſtodiam: tanto pejus, hanc Dallæus, ori ſuo non poſuit, auſus effutire, quod Hieronymus Ruffino tanquam palo vulnera infligebat: Infligebat autem Hieronymus vulnera inanibus Dallæi argutiis, quibus is falsò ait, Hieronymum in Auguſtinum diſputare, ejuſque ſenſa minime oſtendere. Sed contra Ruffinum de cauſa Fidei Hieronymus egit, eumque bene monuit, ne in ſuperflua criminatione, qua Dallæus utitur, verſaretur, ſed Fidei Catholicæ veritas Origenis hæreſibus contraria noſceretur.

Verum S. Hieronymus de inſcriptione Aræ Athenienſium, quam S. Paulus Apoſtolus narravit, ſic egit: „ Inſcriptio (*a*) autem Aræ non ita „ erat, ut Paulus aſſeruit, *ignoto Deo*, „ ſed ita *Diis Aſiæ*, & *Europæ*, & *Africæ*: *Diis ignotis*, & *Peregrinis*. Verum quia Paulus non pluribus Diis „ indigebat ignoto Deo, ſingulari „ verbo uſus eſt: ut doceret illum ſuum eſſe Deum, quem Athenienſes „ in Aræ titulo prænotaſſent: & recte „ eum ſcientes colere deberent, quem „ ignorantes venerabantur, & neſcire „ non poterant. Hoc autem Paulus „ faciebat raro, & ut loci potius „ quam oſtentationis opportunitas „ exigebat.

Quibus S. Doctor adſignificavit, plures in Ara illa Athenienſi inſcriptiones extitiſſe; quarum una veluti generalis erat *de Diis ignotis*; altera veluti ſingularis, quæ ita ſcripta fuerat *ignoto Deo*: id ex Diogene Laertio colligitur, qui de Epimenide ait, quod „ Sumpſit Oves nigro, (*b*) & candido „ vellere, duxitque in Arium pagum, „ & quo inde vellent, abire permiſit; „ iis qui illas ſequebantur, mandans „ ubicumque illæ accubuiſſent, ſingulas mactarent peculiari cuipiam „ Deo.

N n Hæc

(a) *S. Hier. comm. in Epiſt. ad Tit. pag. 707. Tom. VII.*

(b) *Diog. Laert. in vita Epimenidis.*

Hæc Diogenis Laertii narratio commonſtrat, in Athenienſi Ariopago nonnullas aras fuiſſe, quæ *peculiari cuipiam Deo*, qui ſcilicet unus, & alter certo nomine non deſignatus, atque adeo ignotus erat inſcriptæ fuerant: Unde S. Hieronymus optime dixit, quod Paulus Apoſtolus *uno tantum ignoto Deo*, *ſingulari verbo uſus eſt*, *ut doceret*, *illum ſuum eſſe Deum*, *quem Athenienſes* in *Aræ titulo prænotaſſent*: quem proinde *ſingularem titulum*, *qui ignoto Deo ſingulari verbo inſcribebatur*, Hieronymus ab Athenienſibus *prænotatum*, & a Diogene Laertio *peculiaris cujuſpiam Dei* nomine indicatum agnovit, magna reverentia Apoſtolum proſecutus: quoniam admiſit, & faſſus, ac tuitus eſt, eundem illum titulum, *ignoto Deo*, quem Paulus in Actibus Apoſtolorum deſcripſerat, ab Athenienſibus *in Ara prænotatum fuiſſe*: Atque etiam Hieronymus, Paulum *ſingulari ignoti Dei verbo uſum commendans*, utique hunc *ſingularem* titulum diſerte ſecrevit ab illa generali inſcriptione, *Diis Aſiæ*, *& Europæ*, *& Africæ*, *Diis Ignotis*. Ac ſic Hieronymus quidem dixit, quod iſta generalis *inſciptio non ita erat*, *ut Paulus aſſeruit*, ſed tamen addidit, quod *ſingularis* altera inſcriptio, *ignoto Deo*, ab eodem Paulo ita adhibita eſt, uti *ab Athenienſibus prænotabatur*: qua aſſertione Hieronymus diſerte inſinuavit, *non* generalem illam *ignotorum Deorum inſcriptionem*, ſed *ſingularem ignoti Dei titulum*, ut pote *quem Athenienſes prenotaſſent*, *ita fuiſſe*, uti Paulus aſſeruit.

Demum Hieronymus illa S. Pauli Apoſtoli verba. (a) *quæ ſunt ſecundum allegoriam dicta*, *ita declarat*: „ Allegoria proprie de arte grammatica eſt; „ & quo a Metaphora, vel cæteris „ tropis differat, in ſcholis parvuli „ diſcimus. Aliud prætendit verbis, „ aliud ſignificat in ſenſu. Pleni ſunt „ oratorum, & poetarum libri. Scri- „ ptura quoque divina per hanc non „ modica ex parte contexta eſt: quod „ intelligens Paulus Apoſtolus, quip- „ pe qui & Sæculares litteras aliqua ex „ parte contigerat, ipſo verbo figuræ „ uſus eſt, ut allegoriam, ſicut apud „ ſuos dicitur, appellaret: quo ſcili- „ cet ſenſu magis loci, hujus græci „ ſermonis abuſionem monſtraret... „ Ex quibus, & aliis evidens eſt, Pau- „ lum non ignoraſſe litteras ſæculares: „ & quam hic allegoriam dixit, alibi „ vocaſſe intelligentiam Spiritualem.

Deinde S. Hieronymus ut Epiſtolæ Pauli Apoſtoli ad Galatas caput V enuclearet, (b) ſic exorſus eſt: „ In „ Eccleſiis iſta queruntur: omiſſaque „ Apoſtolicorum ſimplicitate, & pu- „ ritate verborum, quaſi ad Athenæum, „ & ad auditoria convenitur, ut plau- „ ſus circumſtantium ſuſcitentur... „ Quorſum iſta? Videlicet ut & vo- „ bis, & cæteris, qui forte legere volu- „ erint, ſit reſponſum, me non Pa- „ negyricum, aut controverſiam ſcri- „ bere, ſed commentarium, id eſt, „ hoc habere propoſitum, non ut mea „ verba laudentur, ſed ut, quæ ab a- „ lio bene dicta ſunt, ita intelligan- „ tur, ut dicta ſunt. Officii mei eſt, „ obſcura diſſerere, manifeſta perſtrin- „ gere in dubiis immorari. Unde a „ pleriſque commentariorum opus ex- „ planatio nominatur: ſi quis elo-

„ quen-

(a) *Gal. IV. S. Hier. lib. 2. Comment. in Epiſt. ad Gall. pag. 471.*

(b) *S. Hier. lib. 3. comm. in ep. ad Gall. Cap. V. pag. 483. Tom. 7.*

„ quentiam quærit, vel declamationi-
„ bus delectatur, habet in utraque
„ lingua Demoſthenem, & Tullium,
„ Polemonem, & Quintilianum: Ec-
„ cleſia Chriſti non de accademia, &
„ lyceo, ſed de vili plebecula congre-
„ gata eſt. Unde & Apoſtolus, *videte*
„ inquit *vocationem veſtram Fratres,*
„ *quia non multi ſapientes ſecundum car-*
„ *nem, non multi potentes non multi no-*
„ *biles; ſed quæ ſtulta ſunt hujus mun-*
„ *di, elegit Deus, ut confundat ſapien-*
„ *tes, & infirma Mundi elegit Deus,*
„ *ut confundat fortia, & ignobilia*
„ *hujus mundi, & contemptibilia elegit*
„ *Deus, & quæ non ſunt, ut ea, quæ*
„ *ſunt, deſtrueret,* Quia enim ex crea-
„ turarum ordine, veritate, conſtan-
„ tia non cognoverat Mundus per
„ Sapientiam Deum: placuit Deo
„ per ſtultitiam prædicationis ſalvos
„ facere credentes: non in ſapientia
„ verbi, ut non evacuaretur *Crux*
„ *Chriſti.* Ubi enim ſapiens, ubi
„ grammaticus, ubi cauſarum natura
„ lium ſcrutatores? Nec in perſuaſi-
„ bilibus ſapientiæ verbis, ſed in o-
„ ſtenſione virtutis, & ſpiritus: ut
„ fides credentium non eſſet in Sa-
„ pientia hominum, ſed in virtute
„ Dei. Quamobrem & ipſe Apoſto-
„ lus ad eoſdem Corinthios loque-
„ batur, (a) *& ego veniens ad vos,*
„ *fratres, veni non per ſublimitatem*
„ *ſermonis, & ſapientiæ, annuntians*
„ *vobis teſtimonium Domini. Non enim*
„ *judicavi ſcire me*, aliquid inter vos,
„ niſi Chriſtum Jeſum, & hunc
„ Chrucifixum. Et ne forſitan puta-
„ retur hæc dicens eſſe inſipientiæ
„ prædicator, mente præſaga, quod
„ opponi poterat, evertit: *ſed loqui-*
„ *mur*, inquit, *Dei ſapientiam in my-*
„ *ſterio, quæ abſcondita eſt, quam ne-*
„ *mo principum hujus ſæculi cognovit.*
„ Quotus quiſque nunc Ariſtotelem
„ legit? Quanti Platonis vel libros
„ novere?... Ruſticanos verò &
„ Piſcatores noſtros totus orbis lo-
„ quitur, univerſus Mundus ſonat.
„ Itaque ſermone ſimplici ſimplicia
„ eorum verba pandenda ſunt: ver-
„ ba, inquam, non ſenſus. Cæte-
„ rum ſi orantibus vobis illum poſ-
„ ſim in exponendis epiſtolis eorum
„ habere ſpiritum, quem illi in di-
„ cendo habuerunt: tunc videritis
„ tantam majeſtatem, & latitudi-
„ nem in his veræ fuiſſe ſapientiæ,
„ quanta in ſæculi litteratis arro-
„ gantia, & vanitas fuit:

Hac obſervatione præſtituta Hieronymus interpretatur illa Apoſtoli dicta: *Fratres ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto. Vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite hujuſmodi in ſpiritu manſuetudinis:* conſiderans te ipſum, (a) *ne & tu tenteris:* „ Qui
„ putat Paulum juxta Humilitatem,
„ & non vere dixiſſe: *& ſi imperitus*
„ *ſermone non tamen ſcientia;* defendat
„ hujus loci conſequentiam: Debuit
„ quippe ſecundum ordinem dicere:
„ *Vos*, qui ſpirituales eſtis, inſtrui-
„ te hujuſmodi in ſpiritu lenitatis,
„ conſiderantes vos metipſos, ne &
„ vos tentemini: & non plurali in-
„ ferre numerum ſingularem. He-
„ bræus igitur ex Hebræis, & qui
„ eſſet in vernaculo ſermone doctiſ-
„ ſimus, profundos ſenſus aliena
„ lingua exprimere non valebat. Nec

(a) 1. *Corr.* (b) *S. Hier. lib.* 3. *Comm. epiſt. ad Gal. pag.* 520. *Tom. VII.*

„ curabat magnopere de verbis, cum „ ſenſum haberet in tuto. Hæc ſe„ cundum ſimplicem intelligentiam „ pergit.

Pergit S. Doctor, & iſta, quæ S. Paulus Apoſtolus ad Epheſios ſcripſerat, profert: (a) *audiens fidem veſtram, quæ eſt in Domino Jeſu, & dilectionem in omnes Sanctos, non ceſſo, gratias agens pro vobis*: de quibus, & reliquis ſubſequentibus dictis Hieronymus ait: „ (b) Licet verbi ad ver„ bum expreſſa translatio poſſit A„ poſtolum diligenti excuſare lecto„ ri, quod videatur omnis ſententiæ „ ſcatere contextus, & ſolecſimus „ fieri: nec non & in græco Vitium „ ſonat unde & nos græcis potius „ calumniatoribus reſpondentes, co„ nabimur ita juxta ſenſum tempe„ rare ordinem lectionis, ut dica„ mus: audiens *fidem veſtram* in Do„ mino Jeſu, & in omnes Sanctos, „ *non ceſo gratias agere pro vobis*, „ *memoriam veſtri facere in orationi„ bus meis*.... Quod autem ſequi„ tur, *illuminatos oculos, cordis ve„ ſtri*: ita per Hyperbaton reddi po„ teſt: *propterea* & ego audiens *fi„ dem veſtram in Dominum Jeſum, in „ agnitione ejus illuminatos oculos cor„ dis veſtri, non ceſo gratias agere „ pro vobis*.... (c) Si vero quis po„ teſt etiam juxta ſermonis, & elo„ quii contextum docere, Apoſto„ lum fuiſſe perfectum, & in artis „ grammaticæ vitia non incurriſſe, „ ille potius auſcultandus eſt. Nos „ quotieſcumque ſolæciſmos, aut ta„ le quid adnotavimus, non Apoſto„ lum pulſamus, ut malevoli crimi„ nantur, ſed magis Apoſtoli aſſer„ tores ſumus, quod Hebræus ex „ Hebræis, abſque Retorici nitore „ ſermonis, & verborum compoſi„ tione & eloquii venuſtate, nun„ quam ad fidem Chriſti totum „ Mundum tranſducere valuiſſet, ni„ ſi evangelizaſſet cum non ſapientia „ verbi, ſed in virtute Dei. Nam „ & ipſe ad Corinthios ait: & *ego* „ cum *veniſſem* ad vos, (d) *fratres*, „ *veni non in eminentia Verbi, aut Sa„ pientia, annuntians vobis teſtimonium „ Dei*: Et rurſum, *& verbum meum*, „ *& prædicatio mea non in ſuaſoriis „ ſapientiæ verbis ſed in oſtenſione Spi„ ritus, & virtutis*; & *fides veſtra „ non in ſapientia hominum, ſed in „ virtute Dei*. Ille igitur, qui ſolæ„ ciſmos in verbis facit, qui non „ poteſt hyperbaton reddere, ſenten„ tiamque concludere, audacter ſibi „ vendicat ſapientiam?... Vere enim „ ſi quis ſuperiora hujus Epiſtolæ „ contempletur: videbit ei revellata „ Myſteria, quorum partem quan„ dam modico ſuo ſermone perſtrin„ xit.

Rurſus de titulo Epiſtolæ S. Pauli Apoſtoli ad Titum agens, de eo ſic loquitur: „ (e) Qui non juxta „ humilitatem, ut plerique æſtimant, „ ſed vere dixerat, *& ſi imperitus* „ ſermone, *non tamen ſcientia*, He„ bræus ex Hebræis juxta legem Pha„ riſæus, profundos ſenſus græco ſer„ mone non explicat, ut, quod co„ gi-

(a) *Eph.* 1. (b) *S. Hier. lib.* 1. *comm. in epiſt. ad Eph. pag.* 562. *ibid.*
(c) *Ibid. pag.* 587.

(d) 1. *Corr.* 2.
(e) *S. Hier. comment. in Epiſt. ad Tit. pag.* 584. *Tom.* 7.

„ gitat, in verba vix promit. Juxta
„ ordinem igitur ſenſuum, & tex-
„ tuum, rerum potius, quam verbo-
„ rum, de ſingulis, ut ſcripta ſunt
„ diſſeramus.

Poſtremo differentiam argumen-
torum, quibus Paulus Apoſtolus
vel ad Romanos, vel ad Galatas
ſcribens uſus fuerat, (a) Hieronymus enucleavit hoc modo: „ Argu-
„ mentum itaque Epiſtolæ hujus bre-
„ viter comprehendens, hac præfatio-
„ ne commoneo, ut ſciatis, eandem
„ eſſe materiam & Epiſtolæ Pauli ad
„ Galatas, & quæ ad Romanos ſcri-
„ pta eſt. Sed hoc differre inter u-
„ tramque, quod in illa altiori ſen-
„ ſu, & profundioribus uſus eſt ar-
„ gumentis; Hic quaſi ad eos ſcri-
„ bens, de quibus in conſequentibus
„ ait, o *inſenſati Galatæ: & ſic inſi-*
„ *pientes eſtis*, tali ſe ſermone mo-
„ deratus eſt; quod increparet po-
„ tius, quam doceret, & quem poſ-
„ ſent ſtulti intelligere, communi o-
„ ratione veſtiret, & quos ratio ſua-
„ dere non poterat, revocaret au-
„ ctoritas.

Hinc iterum ait „ Sapientia Dei
„ ſtultitas eſt appellata, ut quod ſtul-
„ tum erat Dei, ſapientius fieret homi-
„ nibus (b) injuria itaque Domini no-
„ ſtra gloria eſt... Apoſtolus, qui
„ omnibus omnia factus eſt, ut om-
„ nes lucrifaceret, debitor Græcis,
„ ac Barbaris, ſapientibus, & inſi-
„ pientibus: Galatis quoque, quos
„ Paulo ante ſtultos dixerat, ſtultus
„ eſt factus, non enim ad eos his
„ uſus eſt argumentis, quibus ad Ro-
„ manos quæ ſtulti poſſent intellige-
„ re; & pene de Trivio. Quod ne
„ videretur imperitia, & non arte
„ feciſſe: prudentem placat ante le-
„ ctorem; & quæ dicturus eſt, tem-
„ perat præfatione premiſſa: *Fratres,*
„ *ſecundum hominem dico*. quod enim
„ dicturus ſum non dico ſecundum
„ Deum. Non dico ſecundum recon-
„ ditam ſapientiam, & eos qui ſoli-
„ do poſſunt veſci cibo; ſed ſecun-
„ dum eos, qui ob teneritudinem
„ ſtomachi lacteo rore paſcuntur...
„ Et nequaquam valent audire quæ
„ grandia ſunt... Unde manifeſtum
„ eſt, id feciſſe Apoſtolum, quod
„ promiſit, nec reconditis ad Gala-
„ tas uſum eſſe ſenſibus, ſed quoti-
„ dianis, & vilibus, & quæ poſſent
„ (niſi præmiſiſſet ſecundum homi-
„ nem dico) prudentibus diſplicere.

Fuit ergo jam accepta ab Hieronymo triplex exponendarum Pauli Apoſtoli ſcripturarum ratio: una de ejus *Apoſtolicorum verborum ſimplicitate*, & puritate: altera de ipſius Hebraiſmis, deque aliis ſæcularibus litteris: Tertia de explicandis illis ejuſdem, Apoſtoli locis, in quibus is dixit, quod *quæ ſtulta ſunt hujus Mundi, (c) elegit Deus, ut confundat ſapientes.*

Ac primam partem Hieronymus ab eo petiit, quod *Apoſtolicorum verborum puritas, atque ſimplicitas non in ſapientia hominum, neque in perſuaſibilibus ipſius humanæ ſapientiæ verbis, ſed in virtute Dei,* atque *in oſtenſione Spiritus, & virtutis* conſiſtit: ex qua proinde *Dei virtute Paulus Apoſtolus profundos ſenſus,*

quos

(a) *S. Hier. init. comm. epiſt. ad Gal. pag. 370. Tom. 7.*

(b) *S. Hier. lib. 2. Comm. Epiſt. ad Gall. Cap. V.* (c) *Corr. 1.*

quos cogitabat, quique obſcuritatibus involvuntur, etiam aliena lingua, græca videlicet, ſcripſit, & obſcurius expreſſit ſecundum Hieronymum quippe quo docente Paulus Apoſtŏlus *ſæculares*, atque adeo græcas *litteras non ignoravit*, ſed tamen Dei *virtute* fultus divinarum ſcripturarum *allegoriam vocavit intelligentiam ſpiritualem*, *&* *græci ſermonis abuſionem*, qua Græci Galatæ errantes ſpiritalem eam intelligentiam non agnoſcebant, *monſtravit*. Quare cum Hieronymus protulerit, quod Paulus *aliena lingua profundos ſenſûs exprimere non valebat*: id ille de *perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis*, non de *ſpiritali* ejus *ſenſuum* intelligentia deſumpſit: nam Apoſtolus *non ſuaſoriis alienæ linguæ verbis*, *ſed oſtenſione ſpiritus & virtutis profundos vel allegoriæ ſenſus exprimere valuit*: quoniam *Græci ſermonis non ignarus*, ac ſuperna ſapientia præditus illam Græcorum *abuſionem monſtraverat*. Quam *oſtenſionem* cum Hieronymus Apoſtolo aſſeruerit: tum omnino non exploſit eorum opinionem, qui *putant*, Paulum Apoſtolum *juxta Humilitatem* ita locutum fuiſſe: *etſi imperitus ſermone*, *non tamen ſcientia*. Etenim *Paulus græcum ſermonem*, *&* *ſæculares litteras non ignoravit*, Hieronymo affirmante: qui ob hunc alium ſenſum voluit, ex humilitate quidem Paulum, ut qui eam Græcorum *abuſionem* oſtenderit, illud protuliſſe: ſed tamen ex alia parte *perſuaſibilia* illa *verba* reſpiciente eundem Apoſtolum *non juxta humilitatem*, *ſed verè ſe ſuaſorio*, *&* *fallaci humanæ ſapientiæ ſermone*, *non tamen Dei ſcientia*, *imperitum dixiſſe*.

Quapropter ipſe Paulus Hebræus in ſua Epiſtolâ græce ſcripta Hebraiſmum, quo plurale nomen ut ſingulare, ac ſingulare ut plurale aliquando accipitur, poſuit: *Non* quod alienam linguam *Græcam ignoraret*; ſed quia Dei *virtute*, *&* *ſcientia* uſus, Græcos quoſdam Chriſtianos, quorum alter altero ſe perfectiorem inaniter oſtentabat, & peccatores ſine ſpiritu lenitatis corripiebat, arguit iis verbis: *Vos* qui *ſpirituales eſtis*, *inſtruite hujuſmodi in ſpiritu lenitatis*, *conſiderans te ipſum*, *ne &* *tu tenteris*: ubi *plurali vos intulit te ipſum* numero ſingulari, & Hebræorum, non Græcorum, more: quorum poſteriorum *plauſibilia verba*, in quibus plurale plurali correſpondet, Apoſtolus minime adhibuit, ut *juxta ſimplicem intelligentiam*, quam Hieronymus ſubiungit, quæque *Græci ſermonis abuſioni* opponitur, Græcorum unum, vel alterum corrigeret *virtute Dei* atque ſapientia. Ac non ipſe Hieronymus, uti a Dallæo perperam contenditur, ſed *Græci* calumniabantur, quod Paulus Apoſtolus ſolæciſmos faceret, ſententias non clauderet, ac ſibi ſapientiam *audacter vindicaret*: at *Græcis calumniatoribus*, & aliis *malevolis hominibus* Hieronymus *reſpondet*, & *juxta* Pauli *ſenſum temperat ordinem lectionis* quorumdam verborum, atque *hyperbaton*, quod verbum eſt longius protractum, reddit, ut, quæ Paulus ſuis ſacris Epiſtolis intellectu difficilibus non explicat, clare interpretetur, & ſacras litteras obſcuras eſſe ſignificet. Quod autem Græci calumniatores effutiebant, Paulum ſententias non claudere, & audacter ſibi vendicare ſapientiam: id Hieronymus hoc argu-

mca

Google

mento, refellit: *Vere enim ſi quis ſuperiora hujus Epiſtolæ ad Epheſios contempletur: videbit ei revellata myſteria; quorum partem quandam ſuo ſermone perſtrinxit*, Atqui in *ſuperioribus* ejuſdem epiſtolæ explanationibus Hieronymus poſuit, *ſe Græcis Calumniatoribus reſpondere:* Ergo hi græci *calumniando* obiiciebant, quod Paulus *ſententiam concludere, & hyperbaton reddere non poteſt, & audacter ſapientiam ſibi vendicat:* quæ proinde ut ab Hieronymo dicta Dallæus falſo coarguit, cum *hyperbaton* illud Hieronymus adverſus Græcos *calumniatores* ex Paulo Apoſtolo ſupra *reddiderit*, & ſubinde aſſeruerit, *vere* eidem Apoſtolo *Myſteria revelata* fuiſſe, eorumque *partem* ab ipſo Paulo *perſtrictam*; quam certa *ſententiæ* conclusione, ſine qua nullus ſermo perſtringitur, idem Apoſtolus *perſtrinxit*, Hieronymo affirmante.

Atque ut ad tertiam partem propoſitam veniamus; Pauli Apoſtoli teſtimonia, quæ Hieronymus tangit, afferre debemus.

Apoſtolus itaque prædicationem ſuam Corinthiis exponens 1. Corr. 1. ait:
„ Nos autem prædicamus Chriſtum
„ Crucifixum Judæis quidem ſcanda-
„ lum; Gentibus autem ſtultitiam:
„ ipſis autem vocatis Judæis, atque
„ Græcis Chriſtum Dei virtutem, &
„ Dei ſapientiam: quia quod ſtultum
„ *eſt* Dei, ſapientius eſt hominibus.

Hæc, & alia Apoſtoli oracula Hieronymus in ſuperioribus attulit in quibus quod & *ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus, & ſtulta Mund elegit Deus, ut confundat ſapientes; & per ſtultitiam prædicationis placu Deo ſalvos facere credentes:* id nih. aliud ſecundum Hieronymum alioſque Patres, & interpretes innuit: niſi quod Crucis Chriſti myſterium, & *prædicatio* Apoſtolica quandam dementiæ ſpeciem non fidelium *vocatorum* ſed infidelium oculis præbuit: ita ex Hieronymo Paulus non *prudentibus* fidelibus: ſed Galatis *ſtultis*, ſive *inſipientibus*, qui Evangelicæ *veritati non obediebant*, ſtultitiæ ſpeciem exhibuit, ſive *ſtultus factus eſt:* quam Hieronymi propoſitionem Dallæus ſcandali temere arguit. Arguet ne iſta Apoſtoli, quod ſtultum eſt Dei ſapientius eſt hominibus? impie ea reprehendet; utpote quæ recto ſenſu explicato intelligi debeant. Ergo ſiniſtre accuſat Hieronymum, qui & illud, quod *ſtultum eſt*, præmiſit, & Galatas *inſipientes* coarguit: quibus proinde *inſipientibus* & veritati *non* obtemperantibus Paulum ſtultum viſum eſſe, ipſe Hieronymus voluit, & addidit, quod Paulus *non ſecundum Deum, ſed ſecundum hominem* ea protulit, ut Fideli lectori, & prudenti minime diſplicerent. *Et ne forſitan putaretur hæc dicens eſſe inſipientiæ prædicator: loquimur*, inquit, *Dei ſapientiam in Myſterio, quam nemo principum hujus ſæculi cognovit*. Hæc igitur & illa, *ſecundum hominem* Apoſtolus ſcripſit, *ne putaretur inſipientiæ prædicator, ac ne prudentibus diſpliceret:* quam Hieronymi explanationem non tolerandam modo, ſed etiam ad defendendum Apoſtolum aptam eſſe, conſtat. Tum Hieronymus adjecit, Apoſtolum verbis vilibus, hoc eſt, *ſimplicioribus* uſum fuiſſe, ut *ſtulti* Galatæ, ſive *inſipientes*, & qui erant *de Trivio, intelligere poſſent*: in quo vilia verba nobilis cenſor immerito

accu-

Digitized by Google

accuſat. Nam Apoſtolus ipſe *non ſublimitate ſermonis*, ſed *ſermone ſimplici uſus eſt* ad *inſipientes Galatas* commonendos, & convertendos.

Ut igitur hæc multa uno fine concludam; Profectò Hieronymus in exponendis Pauli Apoſtoli Epiſtolis non ſolum moderatus fuit; verum etiam ipſum Apoſtolum ut *in arte grammatica perfectum*, *ac Dei myſteriorum ſcientia ornatum defendit*: quæ *myſteria* cum obſcura ſint: id circo ea Paulus *in verba vix promit*, ac non explicat: quod autem eadem myſteria Apoſtolus *in alienas aures puro ſermone transferre non poſſet*: hoc Dalæus confinxit, & Hieronymo falsò ſuppoſuit; quippe cujus in commentariis laudatis in Epiſtolam ad Titum, quos Cenſor adlegat, neutiquam exſtent. Quin etiam Hieronymus contrarium aſſeruit, dum dixit, quod Paulus Apoſtolus *Græci ſermonis abuſionem monſtravit*; atque adeo Divina myſteria in alienas aures græcas puro ſermone transferre potuit, ac reapſe tranſtulit; qui quamvis Hebraiſmos adhibuerit: nihilominus approbante Hieronymo in *lingua græca & in artis grammaticæ vitia non incurrit*: quo quid aptius ad Apoſtoli ſapientiam *defendendam*, quidve moderatius dici poteſt? Hieronymus ergo, & Auguſtinus in exponendis ſcripturis Divinis æque moderati fuere.

Prætercam, quod Dallæus perperam objicit; S. Hieronymum Timothei, aliorumque nomina ex Hebræo minus apte deducere: quæ objectio inepta eſt: cum in Timothei nomine plures Hebrææ litteræ contineantur.

Prætercam ctiam multa, quæ ex S. Auguſtino Dallæus iterum affert; quæ tamen in ſuperioribus diſſertationibus abunde diluimus; jam ipſe Auguſtinus (a) de Dæmonibus igne æterno cruciandis ſic agit: „ Si autem quiſquam nulla habere corpora Dæmones aſſeverat: non eſt „ de hac re aut laborandum operoſa „ inquiſitione, aut contentioſa diſputatione certandum. Cur enim non „ dicamus, quamvis miris, tamen „ veris modis, etiam ſpiritus incorporeos poſſe pœna corporalis ignis „ affligi; Si ſpiritus hominum etiam ipſi profecto incorporei & „ nunc poterunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt „ corporum ſuorum vinculis inſolubiliter alligari.

Etſi igitur alibi Auguſtinus ea de re diſputavit; tamen hic eam ſententiam certiorem oſtendit, quæ Angelos *nulla habere corpora* tradit; quoniam *de hac re*, & aſſertione *certandum non eſſe*, ita S. Doctor aſſeveravit, ut etiam *ſpiritus incorporeos poſſe pœna corporalis ignis affligi*, *ſicut ſpiritus hominum profecto incorporeos corporalibus membris includi*, probaverit: qui proinde Angelis corpoream naturam minime tribuit, ut Dallæus falſo contendit; quippe quia Auguſtinus & *Angelos*, & *Spiritus hominum profectò*, aut vere *incorporeos* eſſe confirmavit.

Ac S. Auguſtinus quidem ſex creationis dies ſecundum ſacram Moyſis hiſtoriam admiſit: iis autem Sanctorum Angelorum ſcientiam, qua creata omnia, & in verbo Dei, & in ipſis

(a) *S. Auguſ. lib. 21. De Civit. Dei Cap. X: pag. 631. Tom. VII.*

ipſis creaturis noverunt, ſignificari ſic docuit: „ (a) Utrum ergo prætererint dies illi, an iſtis, qui eorum vocabulis, & nomine cenſentur, in temporum ordine quotidie tranſcurrentibus illi in ipſis rerum conditionibus maneant: ut non ſolum in his tribus, antequam fierent luminaria, ſed etiam in reliquis item tribus diei nomen intelligamus in ſpecie rei, quæ creata eſt?... (b) invenimus ergo ſenarium numerum primum eſſe perfectum ea ratione, quod ſuis partibus compleatur....quia ergo (c) Angeli creaturam in ea ipſa creatura ſic ſciunt, ut ei ſcientiæ electione, ac dilectione præponant, quod eam ſciunt in veritate, per quam facta ſunt omnia, participes ejus effecti: ideo per omnes ſex dies non nominatur nox, ſed poſt veſperam, & mane dies unus: item poſt veſperam & mane dies ſecundus: deinde poſt Veſperam, & mane dies tertius: ac ſic uſque in mane ſexti diei: unde incipit ſeptimus quietis Dei; quamvis cum ſuis noctibus, dies tamen, non noctes narrantur, tunc enim nox ad diem pertinet, non dies ad noctem: cum ſublimes, & ſancti angeli id, quod creaturam in ipſa creatura noverunt, referunt ad illius honorem, & amorem, in quo æternas rationes, quibus creata eſt, contemplantur, eaque concordiſſima contemplatione ſunt unus dies, quem fecit Dominus, cui conjungetur eccleſia de hac peregrinatione liberata, ut & nos exultemus, & jucundemur in ea. (d) quiſquis ergo non eam, quam pro noſtro modulo vel indagare, vel putare potuimus, ſed aliam requirit in illorum dierum ennumeratione ſententiam, quæ non in profetia figurate, ſed in hac creaturarum conditione proprie, meliuſque poſſit intelligi, quærat, & divinitus adiutus inveniat, fieri enim poteſt, ut etiam ego aliam his divinæ ſcripturæ verbis congruentiorem fortaſſis inveniam, neque enim ita hanc confirmo, ut aliam quæ proponenda ſit, inveniri non poſſe contendam... nonne per omnes ſex dies, cum ea, quæ per ſingulos Deo condere placuit, conderentur, primo hæc accipiebat in verbo Dei, ut in ejus notitia primitus fierent, cum diceretur, *& ſic eſt factum?* Deinde cum facta eſſent in ſua propria natura, qua ſunt, Deoque placuiſſent, quæ bona ſunt, tunc itidem ea cognoſcebant alia quadam inferiore cognitione, quæ nomine veſperæ ſignificata eſt: ac deinde facta veſpera fiebat mane, cum de ſuo Deus opere laudaretur.... immo verò prius, atque poſterius per ſex dies quæ commemorata ſunt; facta ſunt: & ſimul omnia facta ſunt: quia & hæc ſcriptura, quæ per memoratos dies (e) narrat opera Dei & iſta, quæ ſimul Deum dicit feciſſe omnia, verax eſt, & utraque una eſt; quia uno ſpiritu verita-

(a) *S. Auguſt. lib. IV. de gen. ad litt. Cap. 1. pag. 159. Tom. 3.*

(b) *Ibid. Cap. 2.* (c) *Ibid.*

(d) *Ibid. Cap. 28.* (e) *Ecc. 18.*

„ tis inſpirante conſcripta eſt.... (a) Dies ergo ille, quem Deus primitus fecit, ſi ſpiritalis, rationaliſque creaturæ eſt, Angelorum ſupercæleſtiumque virtutum præſentatus eſt, omnibus operibus Dei hoc ordine præſentiæ, quo ordine ſcientiæ, qua & in verbo Dei facienda pernoſceret, & in creatura facta cognoſceret, non per intervallorum temporalium moras, ſed prius, & poſterius habens in connexione Creaturarum: in efficacia verò creatoris omnia ſimul, ſic enim fecit, quæ futura eſſent, ut non temporaliter faceret temporalia; ſed ab eo facta currerent tempora, ac per hoc iſti dies ſeptem, quos lux corporis cæleſtis circumeundo explicar, atque replicat ſecundum quandam umbram ſignificationis admonent, nos quærere illos dies, quibus lux creata ſpiritalis omnibus operibus Dei per ſenarii numeri perfectionem præſentari potuerit, atque inde ſeptimam requiem diei mane habere, & veſperam non habere: ut non ſit hoc Deo requieviſſe in die ſeptimo, tanquam die ſeptimo eguerit ad requiem ſuam: ſed quod in conſpectu Angelorum ſuorum requieverit ab univerſis operibus ſuis, quæ fecit, non utique, niſi in ſeipſo, qui factus non eſt: ideſt, ut creatura ejus angelica, quæ cognoſcendis omnibus operibus ejus in ipſo, & in iſtis, tanquam die cum veſpera, præſentata eſt, nihil poſt omnia valde bona opera ejus melius cognoſceret, quam illum ab omnibus in ſe ipſo requieſcere, nullo eorum egentem, quo ſit beatior.... (b) *Hic eſt*, inquit, *liber creaturæ Cæli, & Terræ, cum factus eſt dies*: ſatis, ut opinor, oſtendens, non hic ſe ita commemoraſſe cælum, & terram, ſicut in principio, antequam fieret dies, cum tenebræ eſſent ſuper abyſſum: ſed quomodo factum eſt cælum, & terra, cum factus eſt dies, id eſt, jam formatis, atque diſtinctis partibus, & generibus rerum, quibus univerſa creatura compoſita, atque diſpoſita reddit hanc ſpeciem, quæ Mundus vocatur.... Fecit Deus Cælum, & Terram, (c) ut in cælo, & terra intelligeremus quicquid in eis eſt, ſicut loqui divina ſcriptura conſuevit.

In hac expoſitione Auguſtinum erraſſe, Dallæus imperite contendit, minime intuitus & litteras ſacras, & S. Doctoris contextum; in quo is primitus ponit, & ſine dubio comprobat, prius *atque poſterius per ſex dies* (d) ea, quæ a Divinis ſcripturis *commemorantur facta eſſe: & ſimul omnia facta*: quoniam ſacræ litteræ teſtantur, quod, qui *vivit in æternum, creavit omnia ſimul*. Iſtud porrò *ſimul ad Creatoris efficaciam*: illud verò prius, & *poſterius*, atque *ſex dies* ad *creaturarum connexionem*, Auguſtinus apertiſſime refert, ac diſerte commonſtrat, ab infinita Dei *efficacia* in momento, atque adeo *ſimul*

(a) *Ibid. Cap.* 35.
(b) *Ibid. lib. V. Cap.* 1. *Gen.* 2.
(c) *Ibid. Cap.* 2.
(d) *Eccleſ.* 18.

mul in principio *cælum*, & *terram*, & *quicquid in eis eſt*, ſive corporearum rerum *genera*, quæ in illis continebantur, creata fuiſſe; Sed tamen in *tribus* primis diebus, & in *reliquis item tribus* connexis, atque diſtinctis *intelligendam eſſe ſpeciem rei, quæ creata eſt*, & *Mundus vocatur*: unde *invenimus ſenarium numerum primum eſſe perfectum ea ratione, quod ſuis partibus compleatur* quam rationem Auguſtinus imprimis uti neceſſariam affert animadverſionem, & multis, quæ modo exhibuimus, poſtea ediſſerit. Ergo Dallæus Auguſtino falſe imponit, quod non per ſex dierum intervalla, ſed momento mundum creatum voluerit. Quamvis enim S. Doctor enucleans illum Eccleſiaſtici locum, ubi Deus *creaſſe omnia ſimul* dicitur, hæc retulerit ad Creatoris *efficaciam*, qua *ſimul* creavit in principio *Cælum*, & *terram*, & *quicquid* in eis contentum erat, atque etiam *tempora*, *quæ ab eo facta currerent*: tamen & prænotavit, & adſtituit, *primis ſex diebus*, ac non adeo momento, creaturarum *ſpeciem*, quæ *Mundus vocatur*, & Mundi *partes*, in quibus eadem *tempora facta currebant*, *formatas* eſſe atque *creatas*. Illi porro ſex dies formali ſenſu non fuere ſex gradus cognitionis Angelicæ, ſed iſtos ſignificarunt ex Auguſtino ſcribente, quod creata *lux corporis cæleſtis*, quæ circumeundo *Dies ſeptem replicat*, *ſecundum quandam umbram ſignificationis nos admonet* quærere *lucem ſpiritualem*, & *rationalem*, hoc eſt, *ſcientiam ſanctorum Angelorum*, qui utique in principio, in quo Deus Cælum, & terram, tempora fecit, aliqua creata, & deinceps *facienda non per intervallorum temporalium moras in verbo noverunt*. & *prius*, & *poſterius in creaturarum factarum connexione* ſciverunt. Ergo Auguſtinus edocuit, & Angelos momento, quo Cælum, & terra, ac tempora ab infinita Dei *efficacia ſimul* creata ſunt, *in verbo pernoviſſe facienda*, utique per dies ſequentes, atque connexos & horum *faciendorum ſpeciem* non eodem illo momento factam ſed *faciendam cognoviſſe*: & proinde ſex creationis dies veros, ac proprios fuiſſe, ut pote quos *lux corporis cæleſtis explicaverit, ac replicaverit.* Et cum *lux corporis cæleſtis* fuerit: jam oſtendit, eoſdem dies *corporeos* non fuiſſe *ſpiritales* gradus angelicæ ſcientiæ, ſed ab illis iſtos *ſecundum quandam ſignificationis umbram* eſſe denotatos *per ſenarii numeri perfectionem*: quam Angeli, qui *ſimul in Verbo facienda pernoverant*, in *creaturarum prius*, & *poſterius factarum ſpecie*, & *connexione* ita agnoverunt, ut etiam cognoverint, *Die ſeptimo Deum, qui ſemper in ſeipſo quieſcit*, a *ſuis operibus* requieviſſe, nullo, quo ſit beatior, egentem. Quæ Auguſtini documenta, cum & Dei *efficaciam* in creando, & ſummam perfectionem in quieſcendo, & creatam Angelorum ſcientiam magnam in cognoſcendo, & creaturarum prius, & poſterius factarum *connexionem*, ac denique ſex creationis dies, & ſeptimum quietis demonſtrent: cum his pronuntiatis petulans Cenſor imperite, & inconſultò erroris notam apponit.

Sed & S. Auguſtinus Sanctorum animas poſt mortem ſtatim in cælum recipi cum pluribus veteribus docuit,

" tis inſpirante conſcripta eſt.... (a)
" Dies ergo ille, quem Deus pri-
" mitus fecit, ſi ſpiritalis, rationa-
" liſque creaturæ eſt, Angelorum
" ſupercæleſtiumque virtutum præ-
" ſentatus eſt, omnibus operibus
" Dei hoc ordine præſentiæ, quo
" ordine ſcientiæ, qua & in verbo
" Dei facienda pernoſceret, & in
" creatura facta cognoſceret, non
" per intervallorum temporalium
" moras, ſed prius, & poſterius
" habens in connexione Creatura-
" rum: in efficacia verò creatoris
" omnia ſimul, ſic enim fecit, quæ
" futura eſſent, ut non temporali-
" ter faceret temporalia; ſed ab eo
" facta currerent tempora, ac per
" hoc iſti dies ſeptem, quos lux
" corporis cæleſtis circumeundo ex-
" plicat, atque replicat ſecundum
" quandam umbram ſignificationis
" admonent, nos quærere illos dies,
" quibus lux creata ſpiritalis omni-
" bus operibus Dei per ſenarii nu-
" meri perfectionem præſentari po-
" tuerit, atque inde ſeptimam re-
" quiem diei mane habere, & veſ-
" peram non habere: ut non ſit hoc
" Deo requieviſſe in die ſeptimo,
" tanquam die ſeptimo eguerit ad
" requiem ſuam: ſed quod in con-
" ſpectu Angelorum ſuorum requie-
" verit ab univerſis operibus ſuis,
" quæ fecit, non utique, niſi in
" ſeipſo, qui factus non eſt: ideſt,
" ut creatura ejus angelica, quæ
" cognoſcendis omnibus operibus e-
" jus in ipſo, & in iſtis, tanquam
" die cum veſpera, præſentata eſt,
" nihil poſt omnia valde bona opera
" ejus melius cognoſceret, quam il-
" lum ab omnibus in ſe ipſo re-
" quieſcere, nullo eorum egentem,
" quo ſit beatior.... (b) *Hic eſt*, in-
" quit, *liber creaturæ Cæli, & Ter-*
" *ræ, cum factus eſt dies*: ſatis, ut
" opinor, oſtendens, non hic ſe ita
" commemoraſſe cælum, & terram,
" ſicut in principio, antequam fie-
" ret dies, cum tenebræ eſſent ſuper
" abyſſum: ſed quomodo factum eſt
" cælum, & terra, cum factus eſt
" dies, id eſt, jam formatis, atque
" diſtinctis partibus, & generibus
" rerum, quibus univerſa creatura
" compoſita, atque diſpoſita reddit
" hanc ſpeciem, quæ Mundus vo-
" catur.... Fecit Deus Cælum, &
" Terram, (c) ut in cælo, & terra
" intelligeremus quicquid in eis eſt,
" ſicut loqui divina ſcriptura con-
" ſuevit.

In hac expoſitione Auguſtinum erraſſe, Dallæus imperite contendit, minime intuitus & litteras ſacras, & S. Doctoris contextum; in quo is primitus ponit, & ſine dubio comprobat, prius *atque poſterius per ſex dies* (d) ea, quæ a Divinis ſcripturis *commemorantur facta eſſe: & ſimul omnia facta*: quoniam ſacræ litteræ teſtantur, quod, qui *vivit in æternum, creavit omnia ſimul*. Iſtud porrò *ſimul ad Creatoris efficaciam*: illud verò prius, & *poſterius*, atque *ſex dies* ad *creaturarum connexionem*, Auguſtinus apertiſſime refert, ac diſerte commonſtrat, ab infinita Dei *efficacia* in momento, atque adeo *ſi-*

mul

(a) *Ibid. Cap.* 35.
(b) *Ibid. lib. V. Cap.* 1. *Gen.* 2.

(c) *Ibid. Cap.* 2.
(d) *Eccleſ.* 18.

ſimul in principio *cælum*, & *terram*, & *quicquid in eis eſt*, ſive corporearum rerum *genera*, quæ in illis continebantur, creata fuiſſe; Sed tamen in *tribus* primis diebus, & in *reliquis item tribus* connexis, atque diſtinctis *intelligendam eſſe ſpeciem rei, quæ creata eſt*, & *Mundus vocatur:* unde *invenimus ſenarium numerum primum eſſe perfectum ea ratione, quod ſuis partibus compleatur* quam rationem Auguſtinus imprimis uti neceſſariam affert animadverſionem, & multis, quæ modo exhibuimus, poſtea ediſſerit. Ergo Dallæus Auguſtino falſe imponit, quod non per ſex dierum intervalla, ſed momento mundum creatum voluerit. Quamvis enim S. Doctor enucleans illum Eccleſiaſtici locum, ubi Deus *creaſſe omnia ſimul* dicitur, hæc retulerit ad Creatoris *efficaciam*, qua *ſimul* creavit in principio *Cælum*, & *terram*, & *quicquid* in eis contentum erat, atque etiam *tempora*, *quæ ab eo facta currerent:* tamen & prænotavit, & adſtituit, *primis ſex diebus*, ac non adeo momento, creaturarum *ſpeciem*, quæ *Mundus vocatur*, & Mundi *partes*, in quibus eadem *tempora facta currebant*, *formatas* eſſe atque *creatas*. Illi porro ſex dies formali ſenſu non fuere ſex gradus cognitionis Angelicæ, ſed iſtos ſignificarunt ex Auguſtino ſcribente, quod creata *lux corporis cæleſtis*, quæ circumeundo *Dies ſeptem replicat*, *ſecundum quandam umbram ſignificationis nos admonet* quærere *lucem ſpiritualem*, & *rationalem*, hoc eſt, *ſcientiam ſanctorum Angelorum*, cui utique in principio, in quo Deus Cælum, & terram, tempora fecit, aliqua creata, & deinceps *facienda non per intervallorum temporalium moras in verbo noverunt*. & *prius*, & *poſterius in creaturarum factarum connexione* ſciverunt. Ergo Auguſtinus edocuit, & Angelos momento, quo Cælum, & terra, ac tempora ab infinita Dei *efficacia ſimul* creata ſunt, *in verbo pernoviſſe facienda*, utique per dies ſequentes, atque connexos & horum *faciendorum ſpeciem* non eodem illo momento factam ſed *faciendam cognoviſſe:* & proinde ſex creationis dies veros, ac proprios fuiſſe, ut pote quos *lux corporis cæleſtis explicaverit, ac replicaverit.* Et cum *lux corporis cæleſtis* fuerit: jam oſtendit, eoſdem dies *corporeos* non fuiſſe *ſpiritales* gradus angelicæ ſcientiæ, ſed ab illis iſtos *ſecundum quandam ſignificationis umbram* eſſe denotatos per *ſenarii numeri perfectionem:* quam Angeli, qui *ſimul in Verbo facienda pernoverant*, in *creaturarum prius*, & *poſterius factarum ſpecie*, & *connexione* ita agnoverunt, ut etiam cognoverint, *Die ſeptimo Deum*, *qui ſemper in ſeipſo quieſcit*, a *ſuis operibus* requieviſſe, nullo, quo ſit beatior, egentem. Quæ Auguſtini documenta, cum & Dei *efficaciam* in creando, & ſummam perfectionem in quieſcendo, & creatam Angelorum ſcientiam magnam in cognoſcendo, & creaturarum prius, & poſterius factarum *connexionem*, ac denique ſex creationis dies, & ſeptimum quietis demonſtrent: tum his pronuntiatis petulans Cenſor imperite, & inconſultò erroris notam apponit.

Sed & S. Auguſtinus Sanctorum animas poſt mortem ſtatim in cælum recipi cum pluribus veteribus docuit,

Digitized by Google

de Nebridio (a) ita locutus: „ Nunc „ vivit Nebridius in ſinu Abrahæ, „ quicquid illud eſt, quod ille ſigni- „ ficet ſinus, ubi Nebridius meus vi- „ vit... Jam non ponit aures ad os „ meum, ſed ſpirituale os ad fontem „ tuum, & bibit, quantum poteſt, „ ſapientiam pro aviditate ſua, ſine „ fine felix.

Tum de divite, & Lazaro agens, (b) ſcripſit: „ Sinum Abrahæ „ requiem eſſe Beatorum Pauperum, „ quorum eſt regnum Cælorum, in „ quo poſt hanc vitam recipiuntur.

Rurſus idem S. Doctor de Juſtis id affirmavit: „ (c) Juſtorum ani- „ mas prorſus inferos neſcire, ubi „ antiqui Sancti detinebantur; donec „ eos inde Sanguis Chriſti & ad ea „ loca deſcenſus erueret.

Poſthæc ex Malachiæ Prophetæ verbis, quibus is Judicium novi ſinum prædixerat, Auguſtinus id intulit: „ „ Ex his, (d) que dicta ſunt, vide- „ tur evidentius apparere, in illo Ju- „ dicio quaſdam quorumdam purga- „ torias pænas futuras. Ubi enim di- „ citur, *quis ſuſtinebit diem introitus* „ *ejus, aut quis ferre poterit, ut aſ-* „ *piciet eum*, quia ipſe *ingreditur qua-* „ *ſi ignis conflatorius, & mundabit fi-* „ *lios Levi, & fundet eos quaſi aurum,* „ *& ſicut argentum*: quid alind intelli- „ gendum eſt? Dicit tale aliquid & „ Iſaias *lavabit Dominus ſordes Filio-* „ *rum, & Filiarum Syon, & Sanguinem* „ *emundabit de medio eorum ſpiritu ju-* „ *dicii, & ſpiritu combuſtionis*: niſi „ forte ſic eos dicendum eſt emunda- „ ri a ſordibus, & eliquari, quo- „ dammodo, cum ab eis mali per „ pænale Judicium ſeparantur, ut il- „ lorum ſegregatio, atque damnatio „ purgatio ſit iſtorum. quia ſine ta- „ lium de cætero permixtione victuri, „ ſunt. Sed cum dicit, & *emundabit* „ *filios Levi, & fundet eos ſicut aurum,* „ *& argentum, & erunt Domino offe-* „ *rentes hoſtias in juſtitia, & placebit* „ *Domino ſacrificium Juda, & Hieruſa-* „ *lem*, utique oſtendit eos ipſos, qui „ emundabuntur deinceps in ſacrifi- „ ciis juſtitiæ, Domino eſſe placitu- „ ros: ac per hoc ipſi a ſua injuſti- „ ria mundabuntur, in qua Domino „ diſplicebant. Hoſtiæ porro in ple- „ na, perfectaque juſtitia, cum mun- „ dati fuerunt, ipſi erunt. Quid e- „ nim acceptius Deo ut tales offerant, „ quam ſeipſos? Verum iſta quæſtio „ de Purgatoriis pænis ut diligen- „ tius pertractetur, in tempus aliud „ differenda eſt. Filios autem Levi, „ & Juda, & Hieruſalem, ipſam „ Dei Eccleſiam debemus accipere, „ non ex Hebræis tantum, ſed ex „ aliis etiam gentibus congregatam: „ Nec talem, qualis nunc eſt: ubi ſi „ dixerimus quia peccatum non ha- „ bemus, nos ipſi ſeducimus, & ve- „ ritas in nobis non eſt. Sed qualis „ tunc erit, velut area per vintila- „ tionem, ita per Judicium purgata „ noviſſimum, eiſque igne mundatis, „ quibus talis mundatio neceſſaria „ eſt, ita ut nullus omnino ſit, qui „ offe-

(a) *S. Auguſt. lib. IX. Conf. Cap. 3. Tom. 1.*

(b) *S. Auguſt. lib. 2. Quæſt. Evang. Q. 38. Tom. 3.*

(c) *S. Auguſt. lib.* XX. *de Civ. Dei Cap.* XX. *Tom. VII.*

(d) *S. Auguſt. lib. XX. de Civ. Dei Cap. XXV. Tom. VII.*

„ offerat ſacrificium pro peccatis ſuis,
„ omnes enim, qui ſic offerunt, pro-
„ fecto in peccatis ſunt, pro qui-
„ bus dimittendis offerunt, ut cum
„ obtulerint, acceptumque Deo fue-
„ rit, tunc dimittantur.

Exinde de abditis quarumdam animarum receptaculis Auguſtinus (a) iſta con'c ipſit: „ tempus, quod in-
„ ter hominis mortem, & ultimam
„ Reſurrectionem interpoſitum eſt,
„ animas abditis receptaculis conti-
„ net, ſicut unaquæque anima di-
„ gna eſt vel requie, vel ærumna,
„ pro eo, quod ſortita eſt in Car-
„ ne, cum viveret. Neque negan-
„ dum eſt, Defunctorum animas
„ pietate ſuorum viventium releva-
„ ri, cum pro illi ſacrificium Me-
„ diatoris offertur, vel eleemoſynæ
„ in Eccleſia fiunt, ſed eis hæc pro-
„ ſunt, qui cum viverent, ut hæc
„ ſibi poſtea poſſent prodeſſe, meru-
„ erunt. Eſt enim quidam vivendi
„ modus nec tam bonus, ut non
„ requirat iſta poſt mortem, nec tam
„ malus, ut non ei proſint iſta poſt
„ mortem. Eſt vero talis in bono,
„ ut iſta non requirat, & eſt rur-
„ ſus talis in malo, ut nec his va-
„ leat, cum ex hac vita tranſierit,
„ adjuvari. Quo circa hic omne
„ meritum comparatur, quo poſſit
„ poſt hanc vitam relevari quiſquam,
„ vel gravari. Nemo ſe autem ſpe-
„ ret, quod hic neglexerit, cum obie-
„ rit, apud Deum promereri. Non
„ igitur iſta, quæ pro defunctis
„ commendandis frequentat Eccleſia,
„ illi Apoſtolicæ ſunt adverſa ſen-
„ tentiæ, qua dictum eſt, *omnes e-*
„ *nim adſtabimus ante tribunal Chriſti,*
„ *ut referat unuſquiſque ſecundum ea,*
„ *quæ per corpus geſſit, ſive bonum,*
„ *ſive malum*: quia etiam hoc meri-
„ tum ſibi quiſque dum in corpore
„ viveret, comparavit, ut ei poſ-
„ ſint iſta prodeſſe: non enim om-
„ nibus proſunt. Et quare non om-
„ nibus proſunt, niſi propter diffe-
„ rentiam Vitæ, quam quiſque geſ-
„ ſit in corpore? Cum ergo ſacrifi-
„ cium ſive altaris, ſive quarum-
„ cumque eleemoſynarum pro Bapti-
„ zatis defunctis omnibus offerun-
„ tur, pro valde bonis gratiarum
„ actiones ſunt, pro non valde ma-
„ lis etiamſi nulla ſunt adjumenta
„ mortuorum, qualeſcumque vivo-
„ rum conſolationes ſunt. Quibus
„ autem proſunt, aut ad hoc pro-
„ ſunt, ut ſit plena remiſſio, aut
„ certe proſunt, ut tolerabilior fiat
„ ipſa damnatio.

Sed hanc quæſtionem diligentius explanans, (b) dixit. „ Sunt enim,
„ quos nihil omnino adjuvant iſta,
„ ſive pro eis fiant, quorum tam
„ mala ſunt opera, ut neque talibus
„ digni ſint adjuvari; Sive pro eis,
„ quorum tam bona, ut talibus in-
„ digeant adjumentis. Genere igitur
„ vitæ quod geſſit quiſque per cor-
„ pus, efficitur, ut proſint, vel non
„ proſint iſta quæcumque pro illis
„ piè fiunt, cum reliquerint cor-
„ pus.

Tandem S. Auguſtinus oſtendit, ſpiritum immundum, qui erat in Pythoniſſa, Deo permittente egiſſe, ut

(a) *S. Auguſt. in Ench. Cap. 3. Tom. VII.*

(b) *S. Auguſt. in lib. de Cura geren-da pro mortuis Cap. 1. Tom. VI.*

ut Samuelis imago a Saule videretur. Qua de re S. Doctor ait: „ (a) quod ſi hoc movet, quod licuerit maligno ſpiritui excitare animam juſti; & tanquam de abditis receptaculis evocare: nonne magis mirandum eſt, quod Satanas ipſum Dominum aſſumpſit, & conſtituit ſuper pinnam Templi?

Ex his plane intelligitur, ſecundum Auguſtinum *abdita receptacula fuiſſe ſuperiora* inferorum loca, in quibus *antiqui Sancti*, atque adeo ipſius Samuelis Prophetæ anima extabant. Atqui Auguſtinus expreſſe docuit, *Juſtorum animas prorſus inferos neſcire*, ubi *antiqui Sancti detinebantur, donec eos inde Chriſti ad ea* „ *loca deſcenſus erueret*. Ergo tempus, quod inter hominis mortem, & *ultimam Reſurrectionem interpoſitum eſt, non continet* poſt *Chriſti* ad ea *loca deſcenſum abditis receptaculis animas Juſtorum* ſive *antiquorum*, ſive ad novum teſtamentum pertinentium. quoniam eos *antiquos Juſtos inde Chriſti ſanguis eruit: & animæ Juſtorum novi fœderis ita inferos prorſus neſciunt, ut Beatorum Pauperum ſit regnum Cælorum, in quo poſt hanc vitam recipiuntur*, Auguſtino affirmante, atque credente. Qui proinde adverſus falſas Dallæi objectiones tradidit ex pleriſque veteribus, *Juſtorum animas poſt hanc vitam*, ac non adeo ſolum poſt ultimam Reſurrectionem ſed etiam ante iſtam, ſive ante poſtremum Reſurrectionis omnium diem, ſtatim *recipi in Cælo*.

Itaque *tempus* illud *inter hominis mortem, & ultimam reſurrectionem interpoſitum* vel in inferis damnatos, vel in *abditis* eorum receptaculis fidelium pœnitentium animas continet, *prout unaquæque iſtarum digna eſt vel requie, vel ærumna*: Requiem vero futuram Auguſtinus nullo modo retulit ad *Beatos*, quippe *qui poſt hanc vitam recipiuntur in cœlo*, ideoque *Sacrificia Altaris*, quæ pro iiſdem *Beatis valde bonis* in Eccleſia *offeruntur*, *gratiarum actiones ſunt*. Requiem ergo illam intellexit *plenam eſſe remiſſionem, quam pro aliquibus baptizatis defunctis* ſacrificia eadem obtinent, quæ pro non valde malis iiſdem nonnullis defunctis, qui diuturniori *ærumna* afficiuntur, etiam *propitiationes* ſunt, quibus iſti *relevantur*. Ergo poſt Chriſti ad *inferorum loca deſcenſum* Auguſtinus nullo pacto voluit; *Beatorum* ſive *antiquorum*, ſive *recentium* animas in illis *receptaculis* eſſe, ſed iſtos *valde bonos in cœlo receptos* aſſeruit, ac *non valde malos baptizatos Defunctos* in iiſdem receptaculis abditis docuit ita contineri, ut ſacrificiis mediatoris, atque eleemoſynis aut plenam purgatoriæ pœnæ remiſſionem, aut adjumenta conſequantur. Quæ cum damnatis Auguſtinus negaverit: ideo prò iſtis orationes adhibendas, & ſacrificia faciendа inficiatus eſt, quippe qui aperte dixerit, quod *pro valde malis nulla ſunt adjumenta mortuorum, ut tolerabilior fiat ipſa damnatio*: quam poſteriorem enuntiationem licet dubitando, & ſubobſcure ſubjunxerit: nihilominus inde re diligentius expenſa clarius, & certius adjecit, quod *ſunt, quos nihil omnino adjuvant*

iſta,

(a) *S. Auguſt. lib. 2. Quæſt. ad Simpl. Q. 3. Tom. VI.*

iſta, ſive *pro eis fiant*, *quorum tam mala ſunt opera*, *ut neque talibus di gni ſint adjuvari: ſive pro eis*, *quorum tam bona*, *ut talibus non indigeant adjumentis*: quæ proinde Damnatos *nihil omnino adjuvant*; ac ſic iſtorum æterna damnatio tolerabilior ſit, Deo puniente citra condignum.

Verum in explicando illo Malachiæ oraculo Auguſtinus nuſquam pronuntiavit, Sanctiſſimorum hominum corpora poſt reſurrectionem igne luſtratum iri: ſed id ſcripſit, *in illo judicio quaſdam quorumdam purgatorias pœnas futuras & eliquari quodammodo*, *cum ab eis per pœnale judicium ſeparantur*, *ut illorum ſegregatio atque damnatio purgatio ſit iſtorum*, *quia ſine talium de cætero permixtione victuri ſunt*. Atqui jam Auguſtinus declaravit, & *antiqui teſtamenti* juſtos poſt Chriſti *deſcenſum* ad inferos, ab iis liberatos, & novæ legis *Beatos pauperes in Cælo receptos*, ac non adeo cum damnatis ante ultimam omnium reſurrectionem permixtos eſſe. Dallæus igitur falſo aſſerit, Auguſtinum voluiſſe, Sanctiſſimorum hominum corpora poſt ultimam reſurrectionem igne purgatum iri, quandoquidem S. Doctor hic loquitur non de Sanctis, *qui poſt hanc vitam in cælo recipiuntur*, ac ſic neque apud inferos ſunt neque cum damnatis, ut Cenſor falſe ſupponit, miſcentur ſecundum Auguſtini ſententiam: qui etiam differt non de omnibus hominibus, ſed de quibuſdam, qui non purgatoriis ignis pœnis poſt omnium reſurrectionem afficientur, ſed eorum *purgatio* tantum erit *ſegregatio*; qua ſcilicet in die judicii a damnatis *ſeparabuntur*, ac de cætero *cum eorum permixtione victuri non ſunt*, ac reliqui fideles pœnitentes ante reſurrectionem *igne mundari* ab Auguſtino *judicantur*, qui *quæſtionem de purgatoriis pœnis in aliud tempus diſtulit pertractandam*: in qua deinde pertractata S. Doctor liquido dixit, quod mediatoris ſacrificia pro illis baptizatis defunctis *pie fiunt*, quorum *animæ*, *poſt quam reliquerint corpus*, in abditis receptaculis continentur, & iiſdem ſacrificiis vel relevantur, vel *plenam obtinent remiſſionem*. Cum autem *in die judicii nullus omnino erit*, *qui ſacrificia offerat pro peccatis*: tum plane colligitur, fidelium purgantium animas ante judicii diem, cum multo ante iſtam *corpus relinquant*, *igne mundari*, plenamque conſequi remiſſionem. Non igitur Sanctorum animæ, quæ in *Cælo* ſunt, ſed Baptizati defuncti; quorum *opera valde mala non ſunt*, ante ultimum judicium, non poſt ultimam reſurrectionem, igne purgantur, declarante Auguſtino.

Hic vero de *Sideribus* iſta contra Philoſophos Ethnicos protulit. „(a) Philoſophi, contra quorum „calumnias defendimus Civitatem „Dei, hoc eſt, ejus Eccleſiam, ſa„pienter ſibi videntur irridere, quod „dicimus, . . . Utrum Plato verum „de Sideribus dicat, alia quæſtio „eſt; neque enim ei continuo con„cedendum eſt, Globos iſtos lumi„num, ſive Orbiculos luce corpo„rea ſuper terram ſeu die, ſeu no„cte fulgentes, ſuis quibuſdam pro-

„priis

(a) S. Auguſt. lib. 13. de Civ. Dei Cap. 16. Tom. VII.

„ priis animis vivere, iiſque intellectualibus, & Beatis.

Ac libros contra Fauſtum Manichæum ſcriptos, qui a Dallæo proferuntur (*a*) retractans, ait: „ In „ decimo quarto de Sole, & Luna „ talia dicta ſunt, tanquam ſentiant, „ & ideo tolerent vanos adoratores „ ſuos; quamvis verba ibi accipi „ poſſint ab animali ad inanimale „ tranſlata modo locutionis, qui vo„ catur græce Methaphora.

Ergo Auguſtinus ſenſit, Solem, & Lunam, ac reliqua ſydera proprie animata, & intellectu prædita non eſſe, neque adeo ad Eccleſiam pertinere: cum de his non modo ſe dubitaſſe, verum etiam per metaphoram *locutum* eſſe; S. Doctor dubio procul declararit, ob quod conſtituit; ac tandem certo ſe ſciſſe iudicavit, nulla ſydera ſenſu, intellectu, ac ratione conſtare; & Platoni *concedendum non eſſe; ſyderum globos propriis animis & intellectualibus vivere:* quæ dubitationem, & Platonis errorem liquido removent.

Jam S. Auguſtinus illis verbis, quæ de Pythoniſſa fecerat, quæque ſupra retulimus, de Samuele hæc addidit: „ (*b*) non eſt abſurdum credere, „ ex aliqua diſpenſatione divinæ vo„ luntatis permiſſum fuiſſe, ut non „ invitus, nec dominante, aut ſub„ jugante magica potentia, ſed vo„ lens, atque obtemperans occultæ „ diſpenſationi Dei, quæ Pythoniſ„ ſam illam, & Saulem latebat, con„ ſentiret ... Cum Imago Samuelis „ Saulem prædiceret moriturum, Di„ xit etiam ſecum futurum... Niſi „ forte profundiore, & perplexiore „ inquiſitione, quæ vel virium mea„ rum, vel temporis excedit angu„ ſtias, inveniatur ad liquidum, vel „ poſſe, vel non poſſe animam ho„ minum, cum ex hac vita emigra„ verit, magicis Carminibus evoca„ tam vivorum apparere conſpecti„ bus, etiam corporis lineamenta „ geſtantem.

Auguſtinus igitur propendet in priorem ſententiam, qua dicitur, quod Deo permittente, non dominante magica potentia malignus Spiritus, qui erat in Pythoniſſa, potuerit, de abditis receptaculis Samuelis animam evocare: ſicut Dominus nulla ſuæ poteſtatis diminutione *permiſit*, ut Satanas ipſum aſſumpſerit, & ſuper pinnam Templi ſtatuerit; quod *non eſt abſurdum credere*, Auguſtino aſſerente; qui proinde hanc ſententiam ſecutus, aliam opinionem, quæ magicis Carminibus animam humanam evocari poſſe, vel non poſſe dubitat, uti *perplexiorem* reliquit in medio: nec tamen voluit, animam humanam, cum ex hac vita emigraverit, corporeis lineamentis conſtare. Nam, ut antea vidimus, intelligentem hominis animam *nullum corpus* eſſe probavit. Solum itaque ex altera *perplexiori* opinione innuit, eandem animam a corpore ſeparatam, ſi, Deo, permittente, evocetur magicis carminibus, *apparere* vivorum *conſpectibus;* ideoque non vera, ſed apparentia corporis lineamenta geſtare; in qua *apparenti* ſpe-

(a) *S. Auguſt. lib. 2. Retrac. Cap. VII. Tom. 1.*

(b) *S. Auguſt. lib. 2. Quæſt. ad Simpl. Quæſt. 3. 16. Tom. 6.*

ſpecie hominis imago agnoſcatur. Priorem igitur ſententiam veriſimiliorem Auguſtinus amplexus, poſteriorem opinionem uti perplexiorem reliqnit in medio.

At de primis Parentibns, ſi & non peccaſſent, & ex conjugio liberos ſnſcepturi eſſent, ita pertractavit: „ (*a*) Sicut in Paradiſo nullus
„ æſtus, ant frigus: ita in ejns Ha
„ bitatore nulla ex cupiditate, vel ti-
„ more accedebat bonæ voluntatis
„ offenſio. Nihil omnino triſte, ni-
„ hil erat inaniter lætum: gaudium
„ verum perpetnabatur ex Deo; in
„ quem flagrabat (*b*) *Charitas de cor-*
„ *de puro, & conſcientia bona, &*
„ *fide non ficta:* atque inter ſe con-
„ jngum fida, ex honeſto amore ſo-
„ cietas, concors mentis, corporiſ-
„ qne vigilia, & mandati ſine labo-
„ re cuſtodia. Non laxitudo fatiga-
„ bat otioſum: Non ſomnus preme-
„ bat invitum. In tanta facilitate
„ rernm, & felicitate hominnm ab-
„ ſit, ut ſuſpicemur non potuiſſe
„ prolem ſeri ſine libidinis morbo;
„ ſed eo voluntatis nutu moveren-
„ tur illa membra, quo cætera, &
„ ſine ardoris illecebroſo ſtimulo,
„ cnm tranquillitate animi, & cor
„ poris, nulla corruptione integri-
„ tatis infunderetnr gremio Maritus
„ nxoris. Neque enim qnia expe-
„ rientia probari non poteſt; ideo
„ credendnm non eſt qnando illas cor-
„ poris partes non ageret turbidus ca-
„ lor, ſed ſpontanea poteſtas, ſicut
„ opus eſſet, adhiberet.

Hinc S. Doctor in librorum ſuorum Retractationibus ait: „ (*c*) li-
„ brum edidi, cujus inſcriptio eſt,
„ de bono conjugali: nbi de propa-
„ gatione Filiorum, priuſquam ho-
„ mines mortem peccando mererentur,
„ quoniam concubitus mortalium cor-
„ porum res videtur, quæſtio ma-
„ gna dilata eſt; Sed in aliis poſtea
„ litteris noſtris ſatis, quantum ar-
„ bitror, explicatur.

Viditne iſta omnia Dallæus? neqne enim intuitus eſt, nunquam dubitaſſe Auguſtinum quin primi homines, ſi non peccaſſent, prolem ex ſolo conjugio, non alio modo, ſuſcepiſſent. Quare in libro, qui de Bono conjugali inſcribitur minime decidit quæſtionem, non dubitando quidem, ſed illam diſputationem in aliud tempus differendo. *Quæſtio* namque ab eo, tum, cum librum illum componeret *dilata* eſt, non quo S. Doctor anceps eſſet, ſed ut eam alibi *explicaret*. *Explicata* porro ab ipſo quæſtio fuit, ac definita; quippe qui certiſſimum ſtatuit, *in Paradiſo fidam ſocietatem conjugum fore;* ſi iſti Dei mandatum cuſtodiſſent, & *prolem ſeri* potniſſe; cum nullo libidinis motu, *nullo illecebroſo ſtimulo, nulla integritatis corruptione infunderetur gremio maritus uxoris:* Hoc *credendum* Auguſtinus propoſuit, atque adeo contra Dallæi opinationes (*d*) definiit. & *explicavit.*

(a) *S. Auguſt. lib.* 14. *De Civit. Dei Cap.* 26. *pag.* 376. *Tom.* 7.

(b) *Tim.* 1.

(c) *S. Auguſ. lib.* 2. *Retrac. Cap.* 22. *T.* 1.

(d) *Nota. Dallaus citat pro hac re Auguſtini annotationes in Job: quod tamen* opus mendoſum *eſſe, ac non adeo citandum S. Doctor declaravit lib.* 2. *retr. Cap.* 13.

Digitized by Google

Nunquam vero Auguſtimus (*a*) in ſuis legitimis libris ambegit, aut in medio reliquit, Mundus ne animal ſit an ſecus: ſed Platonem, alioſque Ethnicos Philoſophos arguit, quod & plures falſos Deos admitterent, & *Mundum* eſſe *animal* ex ſuis *inanibus ſuſpicionibus* dicerent.

Idem Auguſtinus (*b*) cum de ſeptuaginta interpretum verſione tractaret: eos ſingulos diviſim acceptos Prophetas fuiſſe non dixit: Sed ut ejus Auctoritatem ſuperius attulimus, ex eo, quod ſimul omnes interpretationem ſuam *inter ſe* contulerint, & in illa *hoc ſignum Divinitatis apparuerit*: id S. Doctor argumentatus eſt, quod *altitudo ibi prophetica eſſe credenda eſt: Spiritus* enim, *qui in Prophetis erat, quando illa dixerunt, idem ipſe erat etiam in ſeptuaginta viris, quando iſta interpretati ſunt, qui auctoritate Divina & aliud dicere potuit tanquam ille utrumque dixiſſet, & hoc ipſum aliter, ut ſi non eadem verba; idem tamen ſenſus bene intelligentibus dilucesceret, & aliud praetermittere, & aliquid addere, ut etiam hinc oſtenderetur, non humanam fuiſſe in illo opere ſervitutem, quam verbis debebat interpres; ſed Divinam potius poteſtatem.*

Ecce a *ſeptuaginta interpretibus Prophetas*; qui eos ætate præiverant, & plures ſacras veteris Teſtamenti litteras *ſcripſerant*, Auguſtinus diſtinxit: atque declaravit in ſeptuaginta interpretum verſione *ſignum Divinitatis*, & *altitudinem Propheticam apparuiſſe*, ac præterea illis congregatis *ſpiritum*, qui in *Prophetis* fuit, ideo adfuiſſe, quia iidem ſeptuaginta *viri*, *non diviſi*, *ſed collecti* interpretationem ſuam *inter ſe* ſimul *contulerint*: in qua collatione proinde *altitudinem Propheticam eſſe credendam*, eoſque interpretes, ſimul acceptos, cum ſcilicet congregati eſſent, Spiritu Sancto afflatos fuiſſe Auguſtinus edocuit: quam Doctrinam velut mirificam Dallæus temere carpit. Quandoquidem Sancti Apoſtoli ex Hebræis ſcripturis, & ſeptuaginta interpretum verſione uſi, indicarunt, etiam iſtos interpretes, cum congregati interpretationem ſuam, inter ſe contuliſſent, & approbaſſent a Spiritu Sancto fuiſſe directos. Nec verò Auguſtinus, uti a Dallæo fingitur, dixit, quæcunque in Septuaginta interpretum verſione aliter, quam in Hebræis fontibus ſunt; ea non ab eorum interpretum errore, ſed a Deo profecta, id ſane Dallæus finxit, ſed Aguſtinus non protulit: qui S. Doctor ſolum id ſcripſit, quod in ſeptuaginta verſione Spiritus Sanctus auctoritate Divina potuit & *aliud dicere*, & *aliquid addere*, & *hoc ipſum aliter*, *ut ſi non eadem verba*, *idem tamen ſenſus bene intelligentibus dilucesceret*. In iſto igitur aliquo verborum additamento, quod in Hebræa ſcriptura non extat, nulli errores apparent, quia eorum verborum, quæ apud ipſam Hebræam Scripturam ſunt, *idem ſenſus bene intelligentibus dilucescit*, exceptis nonnullis aliis enuntiatis, quorum aliqua veteres obſervarunt, & *tantummodo addiderunt*,

(a) *S. Auguſt. lib. 15. Cap. 17. De Civit. Dei Tom. 7.*

(b) *S. Auguſt. lib. 18. de Civit. De Cap. 43. Tom. 7*

runt, quæ in Hebræis inventa, apud ſeptuaginta non erant: Non itaque quarumdam vocum in Hebræis codicibus non extantium alius ſenſus eſt, atque earum, quæ in illa verſione leguntur: cui non omnia, nec quæcumque, ſed ſed aliqua apud *Hebræos inventa antiqui addiderunt*. Ac proinde omnia, quæ in Hebræis codicibus, & in ſeptuaginta interpretum opere erant, a Deo manaſſe Auguſtinus monſtravit.

Nec verò is in retractationibus ſuis multa contra veritatem a ſe ſcripta ante fuiſſe dixit, ſed nonnulla præter veritatem dicta, & alia neglecta, atque unum ſolum errorem, quem antea attulimus, retractavit ex ſcripturæ, & Patrum teſtimoniis, quorum etiam *multorum* Sanctorum ſententias ad Catholicam regulam attinentes adduxit contra Julianum, ac ſtatuit, *Fidem Catholicam eorum non diſſonanti conteſtatione firmari:* Potuit ergo errare ſeorſum, plurium Patrum teſtificationibus *nondum quæſitis*: Sed *inventa multorum* Patrum ſimul ſumptorum *conteſtatione non diſſonanti*, Auguſtinus errare non potuit, ut pote ipſorum plerorumque Patrum uniter acceptorum *fidem, regulam*, & ſententias ſecutus: in quibus, & pluribus aliis rebus, quæ ad religionem pertinent, conſtituendis S. Doctor firmiſſimus fuit contra quam Dallæus blaterat, non perlectis Auguſtini Monumentis.

Cum autem Dallæus Juſtino, Irenæo, Tertulliano, Clementi Alexandrino, Cypriano, Methodio, Epiphanio, Hilario, Baſilio, Gregorio Nyſſeno, Nanzianzeno, Chryſoſtomo, Ambroſio, Hieronymo, & Auguſtino, ut vidimus, errores falsò adſeribat: is Cenſor in iis imputandis hallucinatus fuit. At major eorum Patrum pars in rebus ad fidem ſpectantibus decepta non eſt, quia pleri que ipſi Patres, & alii ſubſequentes *fidem Catholicam defenderunt*, teſtibus Cajo Romano Præsbytero, Hieronymo, Auguſtino, Concilio Chalcedonenſi: in quo etiam Auguſtinus, & Leo Magnus ut *Fidei Teſtes* reliquis Patribus conſentientes adducti fuere. Id ergo S. Gregorio Magno, qui, ut alii ſanctitate, ac doctrina ornatus fuit, quem & Photius celebrat, ac de S. Johanne Damaſceno, aliiſque R. Pontificibus judicandum eſt, atque credendum.

At Dallæus temere locutus, omnia Patrum teſtimonia ante producta diſſimulavit. Nam ipſi veteres Chriſti Divinitatem ab ejus Humanitate, quæ in una Filii Dei Perſona ſubſiſtit, diſtinguunt: ſtatum animarum poſt mortem, & veram Carnis Reſurrectionem declarant: Corpus, non Spiritum, in partes poſſe diſſolui oſtendentes, corporis naturam ſibi non ignotam evincunt: denique in Euchariſtiæ Sacramento eſſe verum Corpus, & Sanguinem Chriſti Filii Dei commonſtrant: quorum proinde inſtitutis recentes controverſias Eccleſia bene diremptſit: etſi autem Gelaſii Cyziceni Hiſtoriam ſupra relatam aliqui editores minus bene arguerunt erroris, quem in ea non ineſſe, critici advertunt: tamen ex uno, vel altero errante, ſicut multos homines ægrotare poſſe, ita plures veteres errare potuiſſe, cenſor perperam colligit. Nam Synodus Prima Nycæna, & Chalcedonenſis ad dogmata definienda

Pp 2 uſæ

uſæ ſunt plurium veterum teſtimonio: qui proinde errare non potuerunt in afferenda doctrina Eccleſiæ Catholicæ, quæ non humana infirmitate, qua multi homines ægrotare queunt, laborat, ſed Divino Chriſti præſidio munita errare nec potuit, nec poteſt, Evangelio, ac Patribus teſtibus, quorum & aliquot diviſim in eos errores, quos ipſis Cenſor affingit, lapſi non ſunt: & plerique ſimul, quia fidem Catholicam defenderant, neque errarunt, nec potuerunt errare.

§. ULTIMUS.

ANIMADVERSIO, IN QUA

Dallæi oppoſitio in eum retorquetur, & Traditionis neceſſitas oſtenditur, ac finis Operi imponitur.

ATque ut huic operi, quod contra duos Dallæi libros de uſu Patrum ſpeciatim adornavi, adjuvante Domino finem imponam: ex eo, quod ipſe Cenſor ultimo loco profert, Patrum conſenſum demonſtrabo, ac demum Traditionum neceſſitatem evincam.

Mitto, quod Dallæus falsò putavit, apud nos nullam eſſe recentium celebriorum Catholicorum Scriptorum auctoritatem; qui cum Traditionem Patrum teſtificationibus comprobent; ideo æſtimandi ſunt, quod & vera dicunt, & ſint veterum inſtitutionibus eruditi. Antiqui verò Patres a recentioribus Scriptoribus Orthodoxis differunt, maxime quod alii veteres Apoſtolorum temporibus proximi, alii Apoſtolicis Patribus ſuppares extiterunt.

Horum porrò unum S. Auguſtinum Dallæus propterea commendat, quia utilior, & celebrior eſt ipſius operum lectio. Atqui S. Auguſtinus in libris de Doctrina Chriſtiana, quos Cenſor laudat, ad eas ſacras Scripturas, quarum Canonem Eccleſia conſtituit, recurrendum prædocuit; atque in libris contra Julianum Sanctorum patrum monumenta ſuppoſititiis, & adulterinis inconfuſa, eoſque *veritatis* teſtes, eorumque *non diſſonantem conteſtationem*, ac fidei *Catholicæ regulam*, cujus illi defenſores fuerant, concelebravit. Ergo plerorumque præſertim Sanctorum Patrum, ut pote Fidei teſtium, conſenſus neceſſariò eſt adhibendus, ut Dallæi, & aliorum hæreſes eliminentur.

Atque etiam S. Pauli Apoſtoli, S. Irenæi, S. Auguſtini, & reliquorum Patrum inerrans conſenſus neceſſarius creditur, quo Traditionis non ſolum utilitas, ſed etiam neceſſitas oſtendatur, qua ſcilicet Fidei dogmata aſſerantur, & hæreſes expugnentur.

Primum enim Apoſtolus docuit, (*a*) *tenendas eſſe traditiones* ſive *per ſermonem*, ſive *per Epiſtolam* latas. Atqui traditiones in ſacris Epiſtolis ſcriptæ & utiles ſunt & neceſſariæ: Traditiones igitur per *Sermonem* ab *Epiſtola* ſcripta diſtinctum duntaxat prolatæ æque utiles, & neceſſariæ ab Apoſtolo proponuntur.

Quin etiam id (*b*) Dallæus ipſe demonſtrat: qui Patrum ſcripta utilia, affirmans, fatetur, in Patrum monumentis occurrere graves ad morum ſanctitatem adhortationes: in eorum quo-

(a) 2. *Ad Theſſalon.* 2.

(b) *Dallæus lib.* 2. *cit. cap.* 6.

Digitized by Google

quoque ſcriptis Chriſtianæ religionis fundamenta illuſtrari: eoſdemque multos Patres excellenti ingenio præditos, diverſis & locis, & temporibus natos diſparibus inter ſe naturæ dotibus, per quingentos, & mille annos, una fide, uno animo, unaque voluntate conſtanter in omnibus Chriſtianiſmi fundamentis conveniſſe, Chriſto adorationem adhibuiſſe, prò Chriſti Doctrina Vitam ſuam lætanter profudiſſe, ac Sacra Evangelia ab illis multis ita ſuſcepta fuiſſe, ut eas ob cauſas ſit & admirabilis eorum de Evangelii veritate conſenſus, & ipſorum teſtimonium ſuſpectum eſſe non poſſit.

Atqui hoc eodem Dallæi argumento probatur Traditionis non ſcriptæ neceſſitas; quæ ſcilicet traditio neceſſaria eſt, ut quatuor eſſe Sancta Evangelia, atque a pluribus apocryphis, quæ hæretici nequiter invexerant, ſecreta monſtrentur. Nam ſi multorum Patrum Doctrina, quam ipſi ex traditione ab Apoſtolis non ſcripta cæperunt, per hypothesim non admittatur: tum nullo modo oſtendi poteſt, quatuor eſſe Sacra Evangelia, & a ſuppoſititiis diſtingui; quia id ſacræ Scripturæ non aſſerunt. Ergo ad quaternarium ſacrorum Evangeliorum numerum evincendum neceſſario Traditio non ſcripta adducenda eſt, & admittenda: quæ proinde cum ad Chriſti divinitatem contra impios Socinianos probandam, tum ad alia dogmata, quæ ab Eccleſia Romana Catholica creduntur commonſtranda, neceſſarie afferri debet.

Etſi autem unus, vel alter, E. C. Cyprianus, ac Firmilianus a nota non rebaptizandorum Hæreticorum, qui rite baptizati fuerint, cauſa receſſerunt: tamen maxima Chriſtianorum pars a Dallæo ſupra adlegata, & Eccleſia Romana, & Catholica a S. Auguſtino ſæpe laudata illud dogma de non rebaptizandis Hæreticis acceperunt a Traditione Apoſtolica nentiquam ſcripta. Quare falſæ Cypriani, ac Firmiliani de ea re Sententiæ, & plerorumque veterum illud ipſum dogma aſſerentium, et Eccleſiæ auctoritati pondus non detrahunt ea ratione, quod, fatente Dallæo, multi fuerint, qui inter ſe conſentientes Chriſtianæ Religionis doctrinam illuſtrarunt. Multi porro et illud dogma, et reliqua Catholica Dogmata, quæ ſupra memoravimus, tradiderunt, ſine ulla plerorumque diſſenſione. Traditio igitur Apoſtolica haud Scripta, quæ plura dogmata continet, quamque plerique Patres conſentientes docuerunt, neceſſario admittenda eſt, atque credenda.

Hoc quoque S. Irenæus initio a nobis adlegatus, & poſtremò a Dallæo adductus firmavit, qui adverſus Valentinianos, qui plures æones, aut plures divinitates confingebant, & ſcripturis victi ad Traditiones Apocryphas confugiebant, diſſeruit: ac pluribus Eccleſiæ monumentis, Diptycis, Actiſque perſpectis, in quibus falſæ illæ æonum traditiones non reperiebantur, ipſos æones non ſolum novitatis errantis arguit; ſed etiam contra illos Hæreticos ad Traditionem Apoſtolicam, ſic provocavit: „ Cum enim ex ſcripturis arguuntur, in accuſationem convertuntur ipſarum Scripturarum, quaſi non recte habeant, neque ſint ex auctoritate, & quia variè ſint dictæ, & quia non poſſit ex his in-

„ ve-

„ veniri veritas ab his, qui neſciunt
„ traditionem. Non enim per litte-
„ ras traditam illam, ſed per vivam
„ vocem: ob quam cauſam & Pau-
„ lum dixiſſe, (a) *Sapientiam autem*
„ *loquimur inter perfectos:* ſapientiam
„ autem non mundi hujus; & hanc
„ ſapientiam unuſquiſque eorum eſſe
„ dicit, quam (b) a ſemetipſo & in-
„ venerit, finctionem videlicet, ut
„ digne ſecundum eos ſit veritas, ali-
„ quando quidem in Valentino, ali-
„ quando; autem in Marcione, ali-
„ quando in Cerintho.... Cum au-
„ tem ad eam iterum Traditionem,
„ quæ eſt ab Apoſtolis, quæ per ſuc-
„ ceſſiones Epiſcoporum in Eccleſiis
„ cuſtoditur, provocamus eos: ad-
„ verſantur Traditioni.

Quid ergo Dallæus eſt aſſecutus? ipſius crimen, & falſa ſuppoſitio in eum torquentur. Nam Irenæus & ſacram Scripturam, & *Traditionem, quæ eſt ab Apoſtolis*, quæque per *ſucceſſiones Epiſcoporum in Eccleſiis cuſtoditur*, æque ut duo Catholicæ religionis principia poſuit, & credidit; quorum alterum, nimirum *Traditionem, quæ eſt ab Apoſtolis*, objicit Valentinianis, qui *Apoſtolorum Traditioni adverſabantur, & fictionem a Cerintho, Marcione, & Valentino inventam* errore vocabant *Traditionem:* quam illorum Hæreticorum *fictionem in Eccleſiis non inveniri*, ſed eam, quæ *eſt ab Apoſtolis, Traditionem* ab hiſce Eccleſiis *cuſtodiri*, Irenæus oſtendit.

Quibus jactis Irenæi fundamentis Dallæus refellitur. Sicut enim Mahumetis, & Davidis Georgii figmenta nova, & impia eſſe probatur non ſolum ex eo, quod ex veterum principiis hauſta non ſint, verum etiam quod et adverſus Divinas litteras, et adverſus Traditiones Apoſtolicas, quæ duo erant Catholicorum veterum principia, nequiter pugnent eo *pacto*, quo Valentinianorum *fictiones* et contra Sacram Scripturam, et contra Apoſtolicam Traditionem impie decertarunt, Irenæo docente: ita igitur Dallæus cum ſuis Proteſtantibus Hæreticis maxime errat, quod *Traditioni*, quæ eſt ab *Apoſtolis adverſetur*, & adverſus veterum, ac præſertim Irenæi, cujus ipſe Cenſor teſtimonium producit, principia depugnet.

Jam verò idem Dallæus admittit, et adlegat alteram textus Irenæi partem, qua is ſignificavit, Valentinianorum *fictionem in Eccleſiis non inveniri*. Sed tamen Cenſor ille alteram ſententiæ Irenæi partem ſubdole omiſit, qua hic expreſſe affirmavit, Valentinianos *Apoſtolorum traditioni adverſari*.

Tum Cenſor ex priori parte argumentatur adverſus eos impoſtores, qui quædam figmenta tanquam nova dogmara neceſſaria è ſuo cerebro, non ex veræ Religionis principiis, procudunt, adhiberi poſſe veterum auctoritatem; qua illorum impoſtorum audacia compeſcetur, ſi doceatur, ea Arcana Patribus penitus ignota fuiſſe, ideoque ea falſa eſſe, quod Patres eadem ipſa plane neſcierint, quæ argumentatio firma, invictaque eſt, quippe quam rationem adverſus Valentinianos attulit Irænæus,

(a) 1. Corr. 2.

(b) Nota. Lege fictionem.

Digitized by Google

næus, Dallæo proponente, ac fatente. Atqui Patribus pleriſque omnibus, ac præcipue Irenæo Traditio Apoſtolica penitus ignota non fuit, neque is neſciit, quia *Traditionem, quæ eſt ab Apoſtolis*, aperte Valentinianis oppoſuit. Hæc ergo altera argumentationis pars, quam Irenæus adhibuit, quaque Apoſtolorum traditionem non ſcriptam adſtruxit, firma eſt, & invicta, proinde Apoſtolica Traditio neceſſaria, & aptiſſima eſt ad Valentinianos, & alios recentes Hæreticos refutandos: qui modo Traditionem Apoſtolicam hæreſi negant, eamque Arcanam, ſive Eccleſiis ignotam fuiſſe, cum Dallæo falſiſſime jactant: Quoniam Irenæus Valentinianorum Traditionem appellavit *fictionem* Eccleſiis ignotam: atque hanc ab *Apoſtolorum Traditione* eo diſtinxit, quod iſta per *ſucceſſionem Epiſcoporum in Eccleſiis cuſtodita*, ac non adeo Arcana, ſed ab ipſis Eccleſiis cognita, & credita fuerit. Cum igitur Romanus Pontifex definierit, ad Sacram Scripturam æquè, atque ad Apoſtolorum Traditionem non ſcriptam Primas defferendas eſſe: id certe adjuvat, immo firmiter probat auctoritas Patrum, quibus ea, *quæ eſt ab Apoſtolis, Traditio*, ignota non fuit: utpote quæ ab ipſis *cuſtodita* ſit, & adeo eodem loco habita, quò nunc habetur, & creditur: e quo illud exiſtit, omnia ſacra dogmata, quæ modo Eccleſia Romana, & Catholica credit, contra Proteſtantes ex Divinis litteris, atque ex Apoſtolorum Traditione non ſcripta firmiſſime evinci; qua probatione invicta Dallæus ipſe refutatur; cujus animus de veritate deductus in plures errores quaſi tempeſtate defertur: ad quos errores coarguendos, indeficiens plerorumque Patrum auctoritas, quam paſſim in hoc minimo opere attuli, plurimum valet.

FINIS OPERIS.

CRITICÆ APOLOGETICÆ.

Veterum Patrum à P. M. Petro Thoma Santabarbara Carmelita adverſus Hæreticos Dallæum, & Johannem Clericum adornatæ, & completæ.

Appendix, ſive Diſſertatio de Platoniſmo circa Verbum Dei antiquis Patribus falsè adfićto.

CUm in Superiori Critice opere de legitimis Patrum ſcripis, eorumque uſu, ac doctrina, qua & ornati fuerunt, & Apoſtolicam traditionem generatim monſtrarunt, ſatis egerimus: jam hæc particularis Diſſertatio de Platoniſmo circa Verbum Dei, aut Dei Filium, antiquis Patribus falsè adficto, ad opus iſtud, in quo de Veterum operibus, ac documentis univerſim tractavimus, minime attingit, ideoque veluti quædam Appendix habenda eſt, quam inſtituo adverſus Hæreticum Joannem Clericum, alioſque Socinianos, qui Chriſti divinitatem impie negantes, Platoniſmum de Verbo Dei Veteribus Eccleſiaſticis temere affingunt.

Equidem cenſeo Platonis falſam opinationem, quam habuit de Deo, prius afferre, ut conſtet, ab ea antiquiſſimos Eccleſiæ Patres, quorum fidem hic defendimus, alienos fuiſſe.

Plato igitur in Epinomide de Deo ſic egit: „ (a) Quem autem „ Deum exiſtimem, dicam vobis,
„ quamvis id abſurdum ſit, ac rurſus aliqua ratione non abſurdum:
„ Nam qui omnium nobis bonorum
„ cauſa eſt: quomodo non eum lon-
„ ge maxime, id eſt, prudentiæ cau-
„ ſam fuiſſe exiſtimandum eſt? Quem
„ autem Deum, Megille, & Clinia,
„ laudibus effero? Cœlum procul du-
„ bio, quod æquiſſimum eſt, ut que-
„ madmodum omnes Dæmones ſimul
„ & Dii faciunt, ita nos quoque
„ majorem in modum colamus, &
„ precemur. Atque illud quidem
„ aliorum omnium bonorum cauſam
„ nobis extitiſſe, omnes confitebi-
„ mur.... (b) Hoc autem univer-
„ ſum Cælum, vel Mundus, ſeu quo
„ alio nomine appellari ſe maxime
„ probet, a nobis appelletur.... His
„ omnibus de cauſis beatum illum
„ Deum genuit.... Deum ſibi ſuffi-
„ cientem, & perfectiſſimum gene-
„ rabat.... Mortalia enim, & im-
„ mortalia animalia capiens, ac
„ completus hic Mundus ſic animal
„ viſibile viſibilia compræhendens,
„ in-

(a) *Plato in Epin. pag.* 1005.

(b) *Ibid. pag.* 1047.

„ intelligibilis, ſenſilis, maximus, „ pulcherrimus & perfectiſſimus „ extitit, unum hoc Cælum, Uni„ genitus.

Tullius Cicero (*a*) ex Vellejo Stoico Philoſopho Platonis errorem ſic affert, atque coarguit: „ Idem & „ in Thimæo dicit & in legibus, „ & Mundum Deum eſſe, & Cælum, „ & aſtra, & terram, & animos... „ quæ & per ſe ſunt falſa perſpicue, „ & inter ſe ſe vehementer repu„ gnantia.

Hoc autem falſiſſimum Platonis Siſtema deſtruitur celebri teſtimonio S. Joannis Apoſtoli, qui divinitus inſtructus ait: „ In principio erat Ver„ bum & Verbum erat apud Deum, „ & Deus erat Verbum, omnia per „ ipſum facta ſunt.... & Mundus „ per ipſum factus eſt.

S. Juſtinus Martyr adverſus infideles, qui Chriſto vero Deo, & ho„ mini impie non credebant, diſce„ ptans Platonis enuntiata ſic refutat: „ (*b*) Atque ut a Doctoribus noſtris, „ id eſt a Doctrina per Prophetas „ vulgata, acceptum eſſe intelliga„ tis, quod dixit Plato, Deum, cum „ materiam informem vertiſſet, Mun„ dum feciſſe: audite, quid totidem „ verbis dixerit Moyſes primus Pro„ phetarum, & Scriptoribus omni„ bus vetuſtior, ut ſupra demonſtra„ vimus, per quem Spiritus prophe„ ticus, quomodo Mundum Deus „ initio, & ex quibus condiderit, „ declarat his verbis: in principio fe„ cit Deus Cælum, & Terram: Ter„ ra autem erat inviſibilis, & incom„ poſita, & tenebræ ſuper abyſſum: „ & ſpiritus Dei ferebatur ſuper a„ quas, & dixit Deus, fiat lux, & „ facta eſt lux. Verbo igitur Dei ex „ ſubiectis, & a Moyſe deſignatis re„ bus Mundum univerſum eſſe con„ ditum, & Plato, & qui eadem, ac „ ille dicunt, & nos ipſi didicimus, „ vobiſque licet idem perſpicere. „ Atque erebum etiam, ut Poetæ vo„ cant, prius a Moyſe dictum novi„ mus, & quod apud Platonem in „ Timæo phyſicis rationibus de Filio „ Dei inveſtigatur, cum ait; *& de„ cuſſavit eum in univerſo*: pariter a „ Moyſe mutuatus dixit.... Scrip„ tum enim apud Moyſen legimus, „ quo tempore Iſraelitæ ex Ægypto „ profecti in ſolitudine verſabantur, „ occurriſſe illis venenatas feras, vi„ peras, aſpides, & ſerpentum omne „ genus, quod populum necabat: „ tuncque Moyſen, Deo aſpirante, „ & præcipiendo impellente, æs ac„ cepiſſe, & Crucis effigiem feciſſe; „ eaque ſancto tabernaculo impoſita, „ dixiſſe populo: Si inſpexeritis hoc „ ſignum, & credideritis, ſalvi in „ eo eritis: quo facto ſerpentes ex„ tinctos eſſe, ſcribit, ac populum „ hoc modo exitium tradit effugiſ„ ſe. His lectis, Plato, nec ſatis „ accurate perſpectis, cum figuram „ Crucis eſſe non attenderet, ſed „ decuſſationem eſſe crederet, alte„ ram illam poſt Principem Deum „ virtutem in univerſo decuſſatam „ eſſe dixit, quod autem ab eo ter„ tium dicitur, inde ortum, quod „ ſpiritum Dei apud Moyſen, ut „ ſupra diximus, ſuper aquas ferri „ legerat. Secundum enim locum

(a) *Cicero lib. 1. de Natur. Deor. num. 10.*

(b) *S. Juſt. Apol. 1. Num. 34. pag. 78.*

„ Dei Verbo, quod in univerſo decuſſatum eſſe dixit; Tertium verò ei, qui ſuper aquas ferri dictus eſt, Spiritui tribuit his verbis: (a) *Tertia autem circa tertium*. ... liquet ergo, res noſtras eſſe omni humana ſcientia ſubliniores; quia quidquid ad Verbum pertinet, id extitit Chriſtus, qui pro nobis apparuit, nempe Corpus, Verbum, & Anima. Quæcumque enim præclare dixere, aut excogitavere Philoſophi, aut legumlatores: hæc invento, & conſiderato aliqua ex parte Verbo elaborarunt. Sed quia non omnia, quæ ſunt Verbi, ideſt Chriſti, cognoverunt, per ſæpe ſecum ipſis pugnantia dixerunt. Et qui Chriſto ſecundum humanam naturam antiquiores unamquamque rem ratione inveſtigare, aut refellere aggreſſi ſunt: ii ut impii, & curioſi in judicium abducti fuere.

Idem Juſtinus cum in quemdam agrum à mare non remotum profectus eſſet: tunc eum quidam ſenior aſſectabatur, è quo Juſtinus iſta quæſivit: „ (b) Num quæſo, quod dicis, tale eſt, quale id, quod & Plato ſubobſcure tradit de Mundo, corruptioni obnoxium dicens, quatenus genitus eſt, futurum tamen propter Dei voluntatem, ut nec ſolvatur, nec in mortis fatum incurrat? Idem tibi placet de Anima, ac generatim de omnibus dici? Quæcumque enim poſt Deum ſunt, aut erunt aliquando, ea naturam habent corruptioni obnoxiam, ac talia ſunt, ut aboleri poſſint, ac jam nulla eſſe. Quonam ergo jam quis, inquam, utatur Magiſtro, aut unde adjuvetur, ſi, ne iſti quidem verum viderunt? extitere longe ab hoc tempore Viri quidam iſtis omnibus, qui Philoſophi exiſtimantur, antiquiores, beati, & juſti, & Deo chari, qui Spiritu Sancto afflante, locuti ſunt, & futura vaticinati ſunt, quæ quidem nunc fiunt; Prophetæ vocantur. Hi verum ſoli & viderunt, & hominibus nuntiarunt, neminem metuentes, nec gloriæ cupiditate victi, ſed ea tantum prædicentes, quæ audierant, & viderant Spiritu Sancto repleti. Extant adhuc eorum ſcripta, quæ ſi quis legat, plurimum inde & ad principiorum, & ad finis, & ad eorum, quæ Philoſophus ſcire debet, cognitionem adipiſci poterit, fidem his habens. Hæc ille ... Mihi vero ſtatim in animo ignis accenſus eſt, meque amor invaſit Prophetarum, & hominum illorum, qui Chriſti ſunt amici, cumque illius ſermones apud animum proponerem: hanc ſolam reperiebam philoſophiam, quæ quidem tuta, & utilis foret. Ad hunc ergo modum, atque hac de cauſa Philoſophus, vellem equidem, ut omnes rationem meæ ſimilem ineuntes a Salvatoris doctrina non aberrarent ... Hæc ipſa vere ex Patre prolata progenies ante res omnes creatas una erat cum Patre, & cum ea Pater colloquebatur, quemadmodum Scriptura per Salomonem de-

„ ela-

(a) *S. Juſt. Apol. 2. num. X. pag. 95.*

(b) *S. Juſt. in Dial. cum Tryph. Jud. num. 5. pag. 107. & ſequ.*

„ claravit, hanc ipſam, quæ ſapien-
„ tia a Salomone dicitur, & Princi-
„ pium ante omnia opera, & proge-
„ niem a Deo genitam eſſe.

Clemens Alexandrinus de Chriſti Divinitate, & humanitate ſecundum Iſaiam Prophetam ſic loquitur: „ (a) Ipſum Dominum Puellum
„ nominat, id per Eſaiam prædicens
„ Spiritus... Per eundem Prophetam
„ narrat ejus magnitudinem: Admi-
„ rabilis, conſiliarius, Deus potens,
„ Pater (b) æternus, Princeps pacis...
„ O magnum Deum! O perfectum
„ Puerum! Filius in Patre, & Pater
„ in Filio.

Idem Clemens ex Apoſtolo hæc dixit: (c) *Contendimus, ſive peregrinantes, ſive apud eum verſantes, ei placere, uni ſcilicet Deo, cujus omnia ſunt opus & creatura, & Mundus, & ſuper mundana:* Ac poſtea de Platone, qui aliqua ad Mundum ſpectantia a Moyſis libris ſumpſerat, & minus bene expoſuerat, hæc ſcripſit: (d) *Plato quoque dixit aperte: utrum ſuis nullum habens ortus principium: an ortus eſt? Ortus eſt, ut qui cœperit aliquo principio. Nam & cum ſit aſpectabilis; eſt tractabilis; & cum ſit tractabilis; eſt corporeus. Et rurſus quando dixit, atque effectorem quidem, & Patrem hujus univerſi invenire eſt difficile: non ſolum Mundum oſtendit eſſe genitum; ſed etiam ex ſeipſo ſignificat eſſe genitum tanquam Filium:* Huic erranti Platonis opinioni, Clemens exinde iſthæc opponit: *Nunquam enim a ſua excedit ſpecula Dei Filius, ut qui non dividatur, non diſſecetur, non tranſeat a loco ad locum, ſit autem ſemper ubique, & contineatur nuſquam: tota mens, tota lux paterna totus oculus, qui omnia videt, omnia audit, ſcit omnia, poteſtate ſcrutatur poteſtates. Ei ſubjecta eſt univerſa militia Angelorum ... qui eſt Dominus univerſorum ... Neque Dominum impatibilem, qui ſine principio eſt genitus, unquam tangit invidia.*

Demum S. Auguſtinus contra quemdam Platonicum, qui Verbi Dei Incarnationem errore inficiabatur, hæc dixit: „ (e) Prædicas Patrem, & ejus
„ Filium, quem vocas paternum intel-
„ lectum, ſeu mentem, & horum me-
„ dium, quem putamus te dicere Spi-
„ ritum Sanctum, & more veſtro ap-
„ pellas tres Deos? Ubi etſi verbis in-
„ diſciplinatis utimini? Videtis tamen
„ qualitercumque, & quaſi per quadam
„ tenuis imaginationis umbracula, quo
„ nitendum ſit, ſed Incarnationem
„ incommutabilis Filii Dei, qua ſal-
„ vamur, & ad illa, quæ credimus,
„ vel ex quantulacumque parte intelli-
„ gimus, venire poſſitis, non vultis
„ agnoſcere... Hoc fortaſſe credere
„ recuſatis, intuentes Porphyrium in
„ his ipſis libris; ex quibus multa
„ poſui; quos de regreſſu animæ ſcri-
„ pſit tam crebro præcipere, omne
„ corpus eſſe ſugiendum, ut anima

(a) *Clem. Alex. lib. 1. Pedag. Cap. V. pag. 91.*

(b) *Nota. Clemens Dei Filium ut magnum Deum vocavit Patrem æternum; ſed Perſonam Patris a filii Perſona diſtinxit his verbis*, filius in Patre, & Pater in filio.

(c) *Clem. Alex. lib. IV. Strom. pag. 541.*

(d) *Clem. Alex. lib. V. Strom. pag. 592.*

(e) *S. Auguſt. lib. X. de Civit. Dei cap. 29. pag. 53. Tom. 7.*

„ poſſit beata permanere cum Deo.
„ Sed ipſe potius iſta ſentiens cor-
„ rigendus fuit, præſertim cum de
„ anima Mundi hujus viſibilis, & tam
„ ingentis corporeæ molis cum illo
„ tam incredibilia ſapiatis. Platone
„ quippe auctore animal eſſe dicitis
„ Mundum, & Animal beatiſſimum,
„ quod vultis eſſe etiam ſempiternum.

Plato igitur apertiſſime dixit: *quem Deum laudibus effero? Cælum procul dubio. Hoc autem univerſum Cælum, vel Mundus a nobis appelletur, & intelligibilis Dei imago, ſenſilis, maximus, pulcherrimus extitit unum hoc Cælum, Unigenitus*. Unigenitum ergo Dei Filium, ejuſque imaginem, immo Deum Mundum eſſe affirmavit Plato, captus maximo errore.

Errore etiam ductus impius Hæreticus Joannes Clericus *(a)* fingit plures platonicas voces a quibuſdam Scriptoribus, atque ab Hæreticis etiam in Religionem Judaicam, & in Chriſtianam invectas fuiſſe, antequam Evangelium ſcriberet Joannes Apoſtolus, qui ſingulari ſenſu eaſdem Platonicas voces adhibuit.

Sed in hiſce iſtius Sociniani Hæretici fictionibus defixa eſt audacia, quam S. Joannes Apoſtolus allatis verbis effregit: quare dicat nunc Hæreticus ille, a quo Joannes Apoſtolus illud, *in principio erat*, acceperit? An a Platone? At nullibi Plato id ſcripſit: quamvis aliqua de Moyſis libris deſumpſerit: qui tamen Moyſes primus omnium Prophetarum, atque Scriptorum initio. Sacræ Geneſeos id poſuit, *in principio creavit Deus Cælum & terram*: ad quod proinde *principium*, ſive temporis initium, in quo Deus Mundum Cœli, & Terræ nomine contentum creavit, attinent verba Joannis, qui ſubinde non a Platone, ſed a Moyſe *principii* nomen accepit, & Divinum pronuntiatum errori Platonis contrarium prætulit. A quo prophano Scriptore cum *Cælum*, ſive *Mundus* alter *Deus*, *& intelligibilis Dei imago*, *& Unigenitus appellatus ſit*: hunc magnum errorem coarguit Divina Joannis ſententia, qua oſtenditur, & *Deum Verbum*, quod in Creationis, ac temporum *principio erat*, *& ſine quo factum eſt nihil*, omnium creatarum rerum, atque adeo Cœli, & Terræ eſſe creans *principium*; Et *Mundum factum eſſe per ipſum Verbum*, *& omnia* ab eo creata fuiſſe, & ſic *Mundum*, ut qui *factus ſit*, Deum non eſſe.

Non ergo a Platone, non a Platonicis Scriptoribus Ethnicis, non ab Hæreticis utique Platoni adhærentibus, voces aliquæ invectæ ſunt in Religionem Chriſtianam, antequam Joannes Evangelium conſcriberet; qui neque ſua illa verba, & ſenſa uti a Platone, & a Platonicis accepta deſcripſit, quoniam Apoſtolus ipſe ad Moyſis *principium* alludens, divinitus poſuit, *Mundum a Deo Verbo Patris Unigenito factum fuiſſe*; ac ſic Mundum nec Deum eſſe, nec Verbum illud decuſſatum, quod Cœlo, aut plano Mundo Plato affinxit: cujus errori oppoſitum cum Joannes *de Verbo Deo Mundi factore* docuerit; certe is Apoſtolus non ex Platone, neque ex Platonicis errantibus ſed ex Moyſe, exque aliis Prophetis, Verbi, quod in principio erat, & nomen capit, & ſenſum.

Ne-

(a) *Jo.n. Cleric. comm. in Joan. & Epiſt. Critic.* 7. 8. 9.

Neque etiam aut a Platone, aut à Philone Hebræo Platonis ſectatore, uti Socinianus ille falsò auguratur, ſed ex Davide Joannes Evangeliſta, Apoſtolus Paulus, S. Juſtinus Martyr, & Athenagoras ton logon acceperunt. Nam Paulus Apoſtolus de Filio Dei, ac *de Verbo virtutis ſuæ diſertè agens*; (a) ipſum Chriſtum verum Deum eſſe ex Pſalmo 44. expreſſe adprobavit. Apoſtoli igitur, non Platonis, non Philonis, non aliorum Platonicorum vocem ton logon adhibuerunt, ſed hanc a ſacris veteris teſtamenti Scripturis ſumpſerunt: quod Joannes feciſſe credendus eſt: quoniam aliorum Apoſtolorum morem ſecutus, ex profeſſo oſtendit, *Verbum Unigenitum Patris*, quod Humanitatem aſſumpſit, verum Deum eſſe & æternum, quippe quod *In principio erat*, atque *omnia*, ipſumque *Mundum fecerat*, ſive creaverat. Quam veram Filii Dei divinitatem cum Paulus Apoſtolus ex adlegato Pſalmo *evicerit*, a Davidis ſacris Pſalmis *Verbi* nomen accipiens: tum Joannes ex iiſdem divinis litteris ſumpſit ton logon, quia idem, ac Paulus, probavit. Et ſicuti illud, *in principio*, e ſacra Geneſi exprompſit; ita Verbum ex aliis divinis voluminibus excerpſit.

Hinc S. Juſtinus in ejuſdem Pſalmi 44. (b) initiis legens ton logon, & id de Chriſto explicans, ipſius Pſalmi eo textum ad probandam Chriſti divinitatem adhibuit contra Tryphonem Judæum, alioſque ejus Socios. Cur autem Juſtinus adverſus Judæos non adlegavit Philonem Hebræum? Is enim ab Judæis Alexandrinis tam celebris habitus eſt, ut ab iiſdem Legatus ad Cajum Cæſaris Nepotem miſſus fuerit. Philonis igitur nomen, & ſcripta vulgò nuncupabantur ab iiſdem Hebræis: ad quos tamen revincendos non Philonis, ſed Pſalmi ton logon Juſtinus adduxit. Non ergo ex Philonis operibus, neque ex ejus vocibus quamvis pervulgatis; ſed & ex Sacris litteris, & ex iſtarum vocabulis Verbi *nomen* Juſtinus excerpſit: quod ipſum de S. Joanne Apoſtolo affirmandum eſt: quia Juſtinus ſecundum Prophetarum, & Apoſtolorum doctrinam probavit, Chriſtum eſſe Dei Verbum, & Deum, a quo caro, ſive humanitas aſſumpta eſt, veteri Teſtamento indicante, ac novo exprimente.

Huc adde, quod Tertullianus ex eodem illo Pſalmo (c) ton logon, ſive *Sermonem* contra Praxeam Hæreticum attulit. Ac demum (d) Theophilus Antiochenus Epiſcopus ad Verbi Dei divinitatem oſtendendam iis ſacris litteris, quæ de *Verbo Domini* loquuntur, uſus eſt.

Non igitur Joannes Evangeliſta, non Paulus Apoſtolus, non Patrum ullus aut a (e) Platone, aut a Philone Hebræo, aut ab alio Platonico, ſed a Prophetis logon, quod *Verbum* eſt Deus, acceperunt.

Sed Hæreticus Joannes Clericus arguratur, Platonem, & Scripturas idem de Verbo Dei docere, & Chriſtia-

(a) *S. Paul. Apoſt. in cap. 1. Epiſt. ad Hebræos.*

(b) *S. Juſtin. in Dial. cum Tryph. Jud.*

(c) *Tertul. 1. lib. contr. Prax. cap. X.*

(d) *Nota. Theophilus Antiochenus ex Pſalmo 32. Verbi nomen excerpſit.*

(e) *In lib. 1. ad Autol.*

ſtianos iis, quæ ipſe Plato ſcripſerat, credidiſſe: (a) ad quæ oſtentanda ille Socinianus affert hæc verba Platonis in Timæo dicentis: „ Sic igitur Dei circa futurum aliquando Deum inſtituta ratiocinatio levem illum, & æquabilem, & ex medio undequaque æqualem, & totum, & perfectum ex perfectis corporibus corpus effecit.

Quid eſt autem tam temerarium, quam falſum, cui impietas adjuncta eſt, ſentire, atque defendere? Impium enim illud Platonis, & Sociniani Hetherodoxi commentum de *futuro Deo* arcent Sacræ Joannis Scripturæ, in quibus legitur, quod & *in principio erat Verbum*, & *Deus erat Verbum*. Ergo *Verbum* non erat futurus Deus, ſed in *principio*, in quo Mundus conditus eſt, *erat Deus Verbum*, quod proinde non futurus, ſed ex eo, quia erat *in principio*, æternus eſt Deus. Non igitur Joannes a Platone id accepit, non Platonicus fuit, non denique Divina ejus Scriptura Platonis commento conſona eſt: quippe quæ totum illud Platonis figmentum de futuro Deo commentitio funditus diruat.

Præterea illa Platonis verba lucem ipſius Auctoris deſiderant, qui eo loci, quem Clericus, & reliqui Sociniani obtrudunt, hæc etiam habet: „ (b) Cum videret Deus frigus, & calorem corpori nocere; propter hanc cauſam, & rationem ex omnibus perfectum, ac ſenii, & mortis expertem Mundum conſtituit.

Illum itaque fictitium *futurum Deum levem illum*, & *æquabilem*, & *ex medio æqualem*, & *totum*, & *perfectum ex perfectis Corporibus corpus effectum* ipſum *Mundum* eſſe, Plato iterum commentus eſt, quia *Mundus perfectus ex omnibus æquali illi*, & *perfecto corpori*, *ex perfectis corporibus effecto* reſpondet, atque idem eſt, ac *corpus* illud *perfectum*. At ubinam ſacræ litteræ dicunt, iſtud Mundi *corpus futurum* fuiſſe Deum, antequam crearetur? Nullibi ſane id ponitur. Ergo de Sacris Scripturis Socinianus Clericus falſa & impia loquitur, dum obtendit, fictitium illum Platonis *futurum Deum ex medio æqualem* & *perfectum corpus Divinis litteris reſpondere*: Hæc impia, abſurda, atque falſiſſima effutiunt Sociniani, ut Chriſtum, & Dei Filium, & Verbum Patris, & Mundi effectorem, & verum Deum eſſe temere negent, & impie; quam ipſorum impietatem, ac Platonis commenta Joannes Apoſtolus tollit, quoniam ſcribit, quod *Mundus per ipſum Verbum factus eſt*: atque adeo *Verbum* non erat Deus ille futurus a Platone confictus, & Mundo falſiſſime attributus: ſed *Verbum* erat Deus æternus, qui *Mundum levem*, & *ex medio æqualem*, *ac perfectum* corpus effecit.

Juſtinus quoque nunquam aſſeruit, Verbum, antequam Mundus crearetur, *Deum futurum fuiſſe*: Sed id Platoni contrarium dixit, quod *hæc ipſa vere ex Patre prolata progenies ante res omnes creatas una erat cum Patre*: quæ progenies utpote *verè* prolata nihil aliud eſt, niſi Verbum Dei Filius *ex Patre ante omnes res creatas*, atque adeo ab Æterno *verè prolatum*, & *genitum*, quippe quod ſol. m habeat Verbi *ante res omnes creatas* pro-

(a) *Plato in Tim. pag.* 1049.

(b) *Plato in Tim. pag. eadem* 1049.

prolati rationem. Hoc igitur Verbum ex Juſtino non eſt illud ſpeciale Verbum *decuſſatum*, quod Plato, effinxit, ajens *de Filio Dei*, & decuſſavit eum in univerſo. *Decuſſare* enim Platoni in Timæo loquenti, uti ab Juſtino affertur, nihil aliud eſt, quam *ex medio Mundum æqualem* reddere, ipſumque ex *perfectis corporibus corpus efficere*. Atqui de hoc corpore, quod Deus in temporum principio condidit, Plato hæc comminiſcitur: *ſic igitur Dei circa futurum aliquando Deum inſtituta ratiocinatio* (*a*) *levem illum, & ex medio undequaque æqualem, & ex perfectis corporibus corpus effecit*: quibus Plato *Dei ratiocinationem*, ab illo fictitio futuro Deo, ſive Mundo aperte ſecernit: de qua ratiocinatione iterum ait: (*b*) *Ex hac igitur Dei circa temporis creationem ratione, & cogitatione, ut tempus crearetur, Sol, & Luna, & alia quinque Aſtra, quæ cognominantur Planetæ, ad diſtinctionem, & obſervationem temporis facta ſunt.*

Hanc itaque rationem, quæ græcè logos dicitur, Plato diſtinguit a Mundo, quem alterum Deum in temporum initio futurum, & Dei Filium, & aliud Verbum decuſſatum, ſive ex medio æquale, & perfectum, in quo animus ratione haud carens infixus eſſet, confinxit. Quare Juſtinus primum ex Sacris litteris adſtruit, *a Deo Verbo*, cui res omnes creatæ *ſubjecta* ſunt Mundum *conditum* eſſe; quod Juſtinus a Prophetis ſumpſit, & *Dei rationem*, qua Mundus conditus eſt, ab ipſo Mundo diſtinxit. Ac ſubinde innuit, quod Plato per errorem lapſus ſit, dum *non ſatis* perſpectis Moyſis verbis, quæ is de Æneo Serpente decuſſato fecerat, de Dei Filio, quem aut *Cælum*, aut *Mundum* eſſe volebat, ait: *& decuſſavit eum; eumque alteram poſt Principem Deum virtutem appellavit futurum aliquando Deum*, qui ex Platone Mundus ipſe eſt initio creatus, ac decuſſatus, ſive ex medio *æqualis effectus*. Verum Juſtinus in eo reprehendit Platonem, quod & ſacras, Moyſis litteras *non ſatis* perſpexerit; *& Dei Filium alteram poſt Principem Deum virtutem decuſſatam eſſe effutierit*. Ergo Juſtinus hanc virtutem eſſe futurum aliquando *Deum*, ac decuſſandum minime admiſit, uti hujuſce argumenti antecedentia, & conſequentia demonſtrant.

Socinianus ille Joannes Clericus objicit, quod & Plato & Juſtinus Dei Verbo præciſe accepto ut Dei Filio ſecundum locum attribuant.

At Socinianus Hæreticus fallitur. Neque enim Juſtinus allatis verbis admiſit, ſed improbavit locum illum ſecundum, quem Dei Filio Plato errans aſſignabat. Nam perſpicuum eſt, ab Juſtino argui Platonem, quod is *dixerit*, Dei Filium

alte-

(a) *Nota. Plato iſtam* ratiocinationem, *qua Mundum conditum dixerat, ex libris* Moyſis *capit: ſed errore adjunxit, Filium Dei eſſe Verbum* decuſſatum. *Juſtinus autem ſpeciatim aſſeruit Verbo Dei Filio, qui cum Patre & Spiritu Sancto unus Deus eſt, Mundum creatum fuiſſe, nec tamen Dei Filium eſſe Verbum decuſſatum, neque adeo eſſe ipſum Mundum, ſicuti Plato confinxit.*

(b) *Plato in Tim. cit.*

alteram eſſe poſt *Deum virtutem in univerſo decuſſatam*. Atqui particulæ *poſt Deum* oſtendunt ſecundum poſteriorem locum, quem *verbo decuſſato* Plato per errorem *tribuit*. Juſtinus ergo uti Dei Filium eſſe alteram virtutem poſt Deum in Platonis comento redarguit, ita ſecundum poſteriorem locum, quem Dei Verbo Plato tribuebat, reprobavit, quia in utroque erranti Platonis enunciato, quod ſupra retulimus, Juſtinus decuſſationem Platonicam, atque adeo locum illum poſteriorem cenſura laudata vexavit. Sic quoque tertium locum ſpiritui Sancto a Platone tributum ejecit. Quamvis autem Dei Filius ſit ſecunda Sanctiſſimæ Trinitatis Perſona, & Spiritus Sanctus tertia: Tamen Pater, Filius, & Spiritus Sanctus tres quidem Perſonæ diſtinctæ ſunt, ſed unus numero Deus, unus Princeps univerſorum, unus Dominus, ubique præſens, & a nullo loco circumſcriptus, utpote infinitus.

Certe Juſtinus non *ſecundum locum*, qui poſt Deum *Principem* a Platone ponitur, dedit Dei Verbo, nec iſtud unquam in *univerſo decuſſatum* affirmavit, ſed ipſum Dei Verbum eſſe Deum Principem credidit. Nam univerſum illud ſecundum Platonem eſt Cœlum, & Terra, aut Mundi *corpus perfectum ex perfectis corporibus a Deo Principe* omnium operum cauſa *effectum*, atque creatum: atqui Juſtinus affirmavit Dei Verbum eſſe & *progeniem vere ex Patre prolatam ante res omnes creatas*, & Principium, ſive cauſam, ante omnia opera: Ergo adverſus Platonem, & Socinianos adſtruit, Dei Filium ut *progeniem* quidem è *Patre* ante creatas res omnes *prolatam* eſſe Perſonam a Patre diſtinctam, ſed tamen *una cum Patre eſſe operum omnium principium*, aut cauſam, atque adeo *Patrem*, & Filium eſſe unum principem Deum, ipſumque Filium non eſſe alteram virtutem in univerſo decuſſatam, neque eidem ſecundum locum tribuendum poſt Principem Deum, ſed Dei Verbum, Deique æternam *progeniem*, quia *principium* omnium operum eſt, eſſe Principem Deum.

Hinc neque Juſtinus omnino admiſit ea, quæ Plato ad Dionyſium ſcripſit: cui de primo naturæ principio quærenti ille ita reſpondit: „ (a) „ Circa omnium Regem cuncta ſunt: „ ipſius gratia omnia: ipſe pulchro- „ rum omnium cauſa: Secundum cir- „ ca ſecunda: Tertium circa tertia: Præterea in alia Epiſtola Plato ait: „ (b) „ Jurantes non ſine eleganti ſtudio, & „ ſorore ſtudii diſciplina, & omnium „ Deum ducem, & eorum, quæ ſunt, „ & eorum, quæ futura ſunt; ac Ducis „ & cauſæ Patrem, & Dominum cœle- „ ſtem invocantes: quem quidem, ſi „ vere philoſophemur, omnes perſpi- „ cue cognoſcemus.

Sed priori textu tria principia, treſve Deos a Platone confictos fuiſſe, eo probatur, quia ipſe Plato errore maximo ductus ſecundum circa ſecunda appellavit Mundi *corpus ex Dei ratiocinatione futurum aliquando Deum*, quem eſſe *alteram poſt Principem Deum virtutem voluit*, *ac tertium* circa *tertia* poſt eundem *Deum Principem* collocavit: Cum autem Juſtinus iſthæc ut *non ac-*

(a) *Plato in Epiſt. ad Dionyſ.*

(b) *Plato in Epiſt. ad Her. & Coſ.*

accurate a Platone poſita arguerit; ideo denotavit, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum tres quidem eſſe Perſonas diſtinctas, non tres Deos, ſed unum numero Deum Principem, poſt quem nullus alius eſt Deus. Atque etiam Plato *Ducem Patris Filium alteram illam poſt Deum virtutem*, quæ ab Juſtino reprobatur, intellexit: Clemens Alexandrinus Dei Filium eſſe *magnum Deum, & Sapientiam ſine principio*, hoc eſt, ſine initio temporis a Patre genitam, atque adeo æternam edocens, eliminavit Platonis commentum, quo Mundum Dei Filium, & Deum aliquando futurum confinxerat. Denique impietatem Platonicorum, qui *verbis indiſciplinatis tres Deos* a Platone fictos admittebant, abſtulit Auguſtinus: iſti igitur Patres impia Platonis figmenta arcentes, Platonici haudquaquam fuere.

Deinde Socinianus ille obtendit, quod Philo Dei Verbum ſecundi Dei nomine appellat.

Nonne in hoc Philo erravit? Nonne in hoc ſecutus eſt Platonem? At hunc Juſtinus coarguit, quod Dei Filium alteram eſſe poſt Deum virtutem, atque adeo *ſecundi Dei* nomine appellari voluerit. Juſtinus ergo nec Platonem nec Philonem, ſed Sacras Scripturas ſectatus, Platoniſmum ejecit, atque improbavit.

Denique objiciunt, Clementem Alexandrinum de Platone iſta referre: „ *(a)* Taceo enim Platonem: is „ aperte in Epiſtola ad Eraſtum, & „ Coriſcum videtur neſcio quomodo „ Patrem, & Filium oſtendere ex Scri„ pturis Hebraicis ....quando etiam „ dicit: circa omnium Regem ſunt „ omnia, & illius cauſa omnia: il„ lum quoque omnium cauſam cum „ appellat, ſecundum autem circa ſe„ cunda, & tertium circa tertia, non „ aliter ego intelligo quam Sanctam „ ſignificari Trinitatem.

Atenim videas a Clemente partim ſublatum Joannis Clerici errorem, quo iſte putat, eas voces, quas exhibuimus, a Platone in Chriſtianiſmum illatas fuiſſe. Sed ex adverſo Clemens teſtatur, quod Plato Patrem, & & Filium oſtendat ex Scripturis Hæbraicis, non ergo Chriſtianiſmus, neque Patres a Platone, ſed a Scriptura Divina Patris, & Filii nomina acceperunt, quibus tamen vocibus abuſum eſſe Platonem, Clemens in antecedentibus allatis, & in aliis ſubjunctis ſignificavit, dum de Chriſtianæ Religionis Myſteriis ſic egit: „ Qua „ quidem ratione mihi quoque viden„ tur eſſe tria effecta cognoſcendæ po„ teſtatis: primo res noſſe: ſecundo „ id efficere quod verbum, ſeu ratio „ dictaverit: tertio ea quæ occulta „ fuerant apud veritatem; prout Dei (b) „ majeſtati convenit tradere poſſe... „ Fides ergo eſt noſſe Deum, quæ eſt „ prima poſt fiduciam doctrinæ Ser„ vatoris... nunquam enim a ſua ex„ cedit ſpecula Dei Filius, ut qui non „ dividatur... Sit autem ſemper ubi„ que, & contineatur nuſquam.

Quo circa Clemens voluit, a Pla-

(a) *Clem. Alex. lib. V. Strom. pag.* 598.

(b) *Nota. Clemens lib. VII. Strom. pag.* 659. *exagitat* = Philoſophos = *ac ſic Platonem, & alios, qui unum verum Deum impie non agnoſcebant, quorumque* Philoſophorum *errores in præcedentibus libris retulerat.*

Platone *Trinitatem ſignificari*, ſed non ut convenit Dei Majeſtati: Primitus enim Clemens ipſe cum Iſaia prædocuit, Dei Filium *Deum potentem*, ac *magnum*, atque *æternum* eſſe, ac non adeo aliquando ortum, ſicut Plato effutierat: qui quidem de Mundo idipſum dixit, ſed tamen Mundum *corporeum*, & *genitum*, & *Dei* Filium, & futurum Deum aſſeruit errore: cui Clemens poſtea oppoſuit, quod Dei Filius *non dividatur*, *nec diſſecetur*, quippe quia Pater, Filius, & Spiritus Sanctus tres Perſonæ diſtinctæ ſunt, & *unus Deus* certe incorporeus, cujus *unius* Dei opus eſt *Mundus*, qui Mundus proinde non eſt Deus, ſed Creatura, uti Clemens præmonuit, atque ita notavit, a Platone ſignificatam fuiſſe Trinitatem, ſed non prout convenit Dei Majeſtati, quia Plato nunquam dixit, Dei Filium æternum eſſe, ac magnum Deum, ac divinarum Perſonarum Trinitatem eſſe unum Deum.

Demum ne longum fiat: huc adde quod reliqui omnes Patres tradiderunt, ac prædicaverunt, Dei filium eſſe Deum Verum, Æternum, ac Patri Conſubſtantialem; quæ doctrina Catholica, & illi erranti Platonis ſiſtemati oppoſita eſt, & Socinianorum impietatem radicitus demolitur.

F I N I S.

ER-

Digitized by Google

ERRATA CORRIGENDA.

PAg. 8. col. 1. lin. 4. Cæſarenſis *leg.* Cæſareenſis. p. 29. col. 2. lin. 1. fingebant *leg.* fingebant : p. 29. col. 2. lin. 10. Cathetheſi *leg.* Catecheſi. p. 30. poſt columnam primam Afferur *leg.* Affertur. p. 41. col. 1. lin. 4. memæoriæ *leg.* memoriæ. p. 44. col. 1. lin. 8. reprebendat *leg.* reprehendat. p. 47. col. 1. lin. 21. ab allis *leg.* ab aliis. p. 49. col. 2. lin. 23. afferi *leg.* afferei. p. 50. col. 1. lin. 10. nuquam *leg.* unquam. p. 57. col. 2. lin. 14. tenere *leg.* tenete. p. 62. col. 2. lin. 32. mojores *leg.* majores. p. 63. col. 1. lin. 21. fumti *leg.* ſumpti. p. 63. col. 1. lin. 23. fecundis *leg.* ſecundis. p. 65. col. 2. lin. 1. verfio *leg.* verſio. p. 67. col. 2. lin. 27. præceſſetunt *leg.* præceſſerunt : p. 68. col. 1. lin. 26. jndicet *leg.* judicet. p. 69. col. 1. lin. 21. cæterotum *leg.* cæterorum. p. 70. col. 1. lin. 12. primnm *leg.* primum. p. 71. col. 12. boc *leg.* hoc. p. 76. col. 2. lin. 17. verisimilirudinem *leg.* veriſimilitudinem. pag. 76. col. 2. lin. 27. feſelliſſe *leg.* feſelliſſe. p. 80. col. 1. lin. 33. S lvatoris *leg.* Salvatoris. p. 80. col. 1. lin. 34 ple ique *leg.* plerique. p. 81. col. 1. lin. 20. litter m *leg.* litteram. p. 81. col. 2. lin. 3. ſcritum eſt *leg.* ſcriptum eſt. p. 85. col. 1. lin. 8. Zachariam *l g.* Zachariam. p. 85. col. 2. lin. 12. p rmiſit *leg.* permiſit. p. 85. col. 2. lin. 21. P eudo-P ephetas *leg.* Pſeudo-Prophetas. p. 85. col. 2. lin. 22. tatiocinatut *leg.* ratioc natur. p. 88. col. 2. lin. 33. Probtas *leg.* Propheras. p. 88. col. 2. lin. 18. ſermonem De *leg.* ſermonem Dei. p. 91. col. 1. lin. 27. Probabilius *leg.* probabi- l bus. p. 91. col. 2. lin. 25. penit s *leg.* penitus. p. 94. col. 1. lin. 7. conſubſtantialem *leg.* conſubſtantialem. p. 95. col. 2. lin. 19. texrum *leg.* textum. p. 99. col. 1. lin. 10. communemque *leg.* communemque. p. 100. col. 2. lin. 18. ac anctos *leg.* ac Sanctos. p. 100. col. 2. lin. 32. in choris *leg.* inchoamus. p. 103. col. 2. lin. 2. te ificationem *leg.* teſtificationem. p. 103. col. 2. lin. 6. au em *leg.* autem p. 104. col. 2. lin. 28. Vincen i s *leg.* Vincentius. p. 106. col. 1. lin. 10. Vinc nt i *leg.* Vincentii. p. 111. col. 1. lin. 11. Auguſtin *leg.* Auguſtino. p. 119. col. 2. lin. 28. Doctoris *leg.* Doctoris. p. 120. col. 1. lin. 24. Cencalogiæ *leg.* Genealogiæ. p. 121. col. 2. lin. 14. ce cberrimam *leg.* celeberrimam. p. 129. col. 2. lin. 11. incorpoream *leg.* incorpoream. p. 130. col. 1. lin. 21. conſiſtere *leg.* conſiſtere. p. 133. col. 1. lin. 25. compl r um *leg.* complurium. p. 133. col. 2. lin. 17. eſe *leg.* ſeſe. p. 133. col. 2. lin. 28 Phi ippopoli *leg.* Philippopoli. p. 133. col. 2. lin. 35. Do atum *leg.* Donatum. p. 136. col. 1. lin. 36. utem *leg.* autem. p. 137. col. 2. lin. 8. e, voce *leg.* eſt, voces. pag. 138. col. 2. lin. 32. ſingulis *leg.* ſingulis. p. 140. col. 2. lin. 17. addub tat *leg.* addubitat. p. 143. col. 2. lin. 29. poſterior m *leg.* poſteriorem. p. 143. col. 2. lin. 30. an iquiores *leg.* antiquiores. p. 144. col. 2. lin. 28. ut ali hujus o i unt *leg.* aut alia hujuſmodi ſunt. p. 145. col. 1. lin. 33. anima *leg.* anima. p. 145. poſt columnam primam Exaem *leg.* Exam. p. 14 . col. 2. lin. 2. fervens v pore *leg.* fervens vapore. p. 146. col. 2. lin. 11. inſtar *leg.* inſtar p. 146. col. 2. lin. 18. Pau i *leg.* Pauci. p. 147. col. 2. lin. 5. p cater *leg.* peccator. p. 148. col. 1. lin. 9. Anal gia *leg.* Analogia. p. 148. col. 2. lin. 28. Paſcba *leg.* Paſcha. p. 148. col. 2. lin. 29. Cbriſtus *leg.* Chriſtus. p. 149. col. 2. lin. 14. P ſchatis *leg.* Paſchatis. p. 150. col. 1. lin. 12. cornu *leg.* cornu. p. 150. col. 1. lin. 16. ejus *leg.* ejus. p. 150. col. 2. lin. 8. proprietatæ *leg.* proprietate. p. 150. col. 2. lin. 16. veriſimil tudine *leg.* veriſimilitudine. p. 150. col. 2. lin. 11. carcere *leg.*

Digitized by Google

ERRATA CORRIGENDA.

leg. carere. p. 151. col. 1. lin. 10. loquacita i *leg.* loquacitatis. p. 151. col. 1. lin. 37. di putans *leg.* diſputans. p. adeptui *leg.* adeptus. p. 154. col. 2. lin. 7. altiſſimi nominis Jehouæ *leg.* altiſſimi nominis Jehouæ. p. 155. col. 1. lin. 37. caſtic tem *leg.* caſtitatem. p. 157. col. 2. lin. 3. auſ deo *leg.* audeo. p. 162. col. 2. lin. 15. ſacinus *leg.* facinus. p. 163. poſt columnam primam terti *leg.* tertii. p. 171. col. 2. lin. 14. recordarentur *leg.* recordaremur. p. 173. col. 1. lin. 7. ſolutus *leg.* ſolutu. p. 173. col. 2. lin. 22. aſſilimavit *leg.* aſſimilavit. p. 173. col. 2. lin. 33. Proph ta *leg.* Propheta. p. 179. col. 2. lin. 6. veriliſimili *leg.* veriſimili. p. 179. col. 2. lin. 37. deſendendæ *leg.* defendendæ. p. 183. col. 1. lin. 34. ſint *leg.* ſint. p. 185. col. 1. lin. 2. in abſeſſione *leg.* abſceſſione. p. 185. col. 1. lin. 15. e im *leg.* enim. p. 185. col. 1. lin. 27. pro pe *leg.* proprie. p. 185. col. 2. lin. 38. exer ent *leg.* exercent. p. 186. col. 2. lin. 18. bominum *leg.* hominum. p. 186. col. 2. lin. 7. rei, quæ nullius *leg.* nullius rei, quæ. p. 187. col. 1. lin. 9. electis *leg.* ejectis. p. 188. col. 1. lin. 18. inficatus eſt *leg.* inficiatus eſt. p. 191. col. 1. lin. 24. G æcos *leg.* Græcos. p. 191. col. 1. lin. 39. inc rporeis *leg.* incorporeis. p. 194. col. 2. lin. 36. manifieſte *leg.* manifeſte. p. 199. col. 1. lin. 16. incip r ent *leg.* inciperent. p. 200. col. 1. lin. 18. deſendiſſe *leg.* deſcendiſſe. p. 205. col. 2. lin. 35. quihus *leg.* quibus. p. 210. col. 2. lin. 35. bumani *leg.* humani. p. 212. col. 2. lin. 19. adduco *leg.* adducto. p. 212. col. 2. lin. 20. ob pio *leg.* ob pios. p. 213. col. 2. lin. 13. diſcinxit *leg.* diſtinxit. p. 215. col. 2. lin. 25. Spirtum *leg.* Spiritum. p. 216. col. 1. lin. 39. Theſſaradecaticas *leg.* Theſſaradecatitas. p. 219. col. 1. lin. 31. parvolos *leg.* parvulos. p. 222. col. 1. lin. 38. exa en *leg.* examen. p. 231. col. 1. lin. 23. in Spir tum *leg.* in Spiritum. p. 231. col. 2. lin. 25. ille *leg.* illæ. p. 233. col. 1. lin. 24. pu i atis *leg.* puritatis. p. 235. col. 2. lin. 24. in ſomni *leg.* inſomni. p. 236. col. 2. lin. 40. diutorniores *leg.* diuturniores. p. 239. col. 1. lin. 18. conſtat *leg.* conſtant. p. 243. col. 1. lin. 15. per paucis *leg.* perpaucis. p. 243. col. 1. lin. 35. præmaturæ *leg.* prœmature. p. 243. col. 1. lin. 36. illæ *leg.* ille. p. 247. col. 1. lin. 24. Euchareſtiæ *leg.* Euchariſtiæ. p. 253. col. 2. lin. 4. cumparare *leg.* comparare. p. 255. col. 1. lin. 19. ccomodans *leg.* accomodans p. 256. col. 1. lin. 8. decriviſſe *leg.* decreviſſe. p. 257. col. 1. lin. 42. Diabuli *leg.* Diaboli. p. 258. col. 2. lin. 5. ilīud *leg.* illud. p. 259. col. 1. lin. 4. quaproter *leg.* quapropter. p. 260. col. 1. lin. 30. obumbravit *leg.* obumbrabit. p. 267. col. 1. lin. 6. Paccatores *leg.* Peccatores. p. 268. col. 2. lin. 34. moltitudo *leg.* multitudo. p. 269. col. 2. lin. 3. debeat *leg.* debeant. p. 272. col. 2. lin. 40. poſis *leg.* poſſis. p. 277. col. 1. lin. 21. Dallaus *leg.* Dallæus. p. 278. col. 1. lin. 27. conſeutidinem *leg.* conſuetudinem. p. 282. col. 1. lin. 29. inſciptio *leg.* inſcriptio. p. 284. col. 1. lin. 24. ceſo *leg.* ceſſo. p. 287. col. 1. lin. 41. placui *leg.* placuit. p. 287. col. 1. lin. 42. nihi *leg.* nihil. p. 288. col. 1. lin. 21. neutipuam *leg.* neutiquam. p. 293. col. 2. lin. 40. piritum *leg.* Spiritum. p. 295. col. 2. lin. 2. cilicet *leg.* ſcilicet. p. 297. col. 2. lin. 15. neqne *leg.* neque. p. 301. col. 1. lin. 37. ab Eccleſia *leg.* ab Eccleſia. p. 306. col. 2. lin. 8. antiquores *leg.* antiquiores. p. 309. col. 1. lin. 37. co textum *leg.* contextum. p. 309. col. 1. lin. 38. divin tatem *leg.* divinitatem. p. 311. col. 1. lin. 20. Ex bac *leg.* Ex hac.

Digitized by Google

Digitized by Google

005673995

Digitized by Google